ORATIO GRATVLATORIA

INSCRIPTA

FERDINANDO IV.

Bohemiæ; Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Slavoniæ, Boſniæ, Ramiæ, Lodomeriæ, Serviæ, Galatiæ, Bulgariæ

REGI.

IPSAMET CORONATIONIS DIE.

FERDINANDVS IV. *Angelico S. Regis Stephani ſtephano coronatur Poſonij decem Regnorum Rex,* XVI.*die Iunij Sanctiſſimæ Trinitati ſacrâ, Anno* M.DC.XLVII. *Auguſta rerum diſſerendarum copia mentem efficit pauperem.num.*1. *De Creatione Phyſicâ, ſupernaturali, Politicâ, Omnes & ſingulæ hæ Creationes à totâ Trinitate proveniunt, & tamen prima appropriatur Patri, ſecunda Filio, & tertia Spiritui Sancto.* 2. *Qui habet vocem activam non debet ſequi privatum & ſingulare dictamen, nec duci paſſione aut affectu ſingulari & privato.* 3. *Pontificum Cæſarum, Regum & quorumcumq; Principum Electores, Spiritûs Sancti veræ imagines. quod litteris ſacris confirmatur.* 4. *David digniſſimus Regis Philiſtæi opinione, non placuit Satrapis; & ideò promotus à Rege non fuit.* 5. *Hungarorum Principum eligentium & FERDINANDI electi Regis laus. Politica creatura, quæ? qualis.* 6. *Caïn deſpectus, electus Abel; cur?* Zoè, Zódion, Zodiacòs. Monóbion, Díbion. *Duplex homini vita.* 7. *juvat terrenam deſpicere & amare cæleſtem. De Creatione ex nihilo. An ſit ex nihilo ſui, an verò ex nihilo ſubjecti? Materia formam ſuſtentat; & clientem* Patronus: *carere materiâ forma debet, patronis & fautoribus Vir, ſi creatur.* Probabile *eſt dari multas materiæ primæ ſpecies. Adulationis character.* Pán *Deus.* Pân *omne.* 8. El camino da la nada. *Creatur* FERDINANDVS, *ut creet. An & creatura creare poſſit? Circinus politicus, aptus coronæ & capiti commenſurandis. Saul ſub initium regiâ coronâ major; id eſt, dignus; ſed ſuâ malitiâ poſtmodum. eâdem coronâ minor, id eſt, indignus redditur.* 9. *Corona ad pedes lapſa compedum miſerabilem rationem ſubit, captivum detinet quem coronat. Corona debet eſſe multò minor capite.* 10. *Probabile eſt nullum agens (naturale, morale) operari per ultimum ſui poſſe.* Virote, *circulus ferreus eſt in*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

collo mancipij apud Hiſpanos. Corona, ſi capiti aqualis, in collum allabitur, & in laqueum (Virote, *ferreum annulum*) *tranſit. Præmia minora meritis. In promotionibus non corpora ponderanda, ſed animi. De Comite Palatino. De Bethlen-Gábore. Invaſam coronam hic cedit, ille perdit. Virtus vileſcit, cùm non eſt perſonalis.* 11. *Milites perſonaliter pugnant pro Rege; & Rex illis perſonaliter favere debet. Cæſaris hiſtoria ex Macrobio. Tenetur Homo perſonaliter ſervire* DEO. 12. *Rex perſonaliter praeſſe* (*hoc eſt prodeſſe*) *populo.* CHRISTVS *in Ioſepho minoris venditur, quàm in ſe ipſo. Cur?* 13. *De proprijs & alienis meritis. Inter myſticæ Prophetæ Ezechielis animalia, tametſi reliqua omnia tolluntur in altum ut lapſu majore ruant, ſola Aquila ſecura volat. Cur? Quia habet proprias alas. Ergo, qui habent alienas promovendi non ſunt.* Dar alas *apud Hiſpanos favere indigno eſt. Leo Bohemis & Palatinis in ſtemmate.* 14. *Leonem in campo humanis interpuncto cordibus Sueci habent. Stemma Gallicum tres Bufones complectitur, qui tandem tranſiverunt in Lilia.* 15. *Lemovicenſium Inſignia Homo honorat, Normandenſium Leopardi, Benearnenſium Boves. Timendum fuit multis Pontificibus, Epiſcopis, Abbatibus, Canonicis.* 16. *Timendum multis Cæſaribus, Regibus, Principibus, Ducibus, Legionarijs, Centurionibus, Militibus, Nobilibuſque. At hodie congratulandum eſt Romano Imperio, Hæreditarijs Provincijs, Domui Auſtriacæ, Regno Hungarico,* FERDINANDO *Parenti:* FERDINANDO *etiam Gnato, utpotè Hungariæ Regi, Pullo Aquilæ. Spei alteri Catholicorum.*

DOMINE.

CONDOLET ſibi Argumenti Majeſtas, nimiâ temporis brevitate damnata. Opulenti ac multiplices mentem conceptus ditant, cujus conſtringunt amplitudinem Occaſio & Tempus. Termini Epiſtolæ nimiùm anguſti ſunt, ut ideas Auguſtas complectantur: tunc enim brevis pagina conceptus meos excipiet, cùm Oceanum integrum ebiberit arguta Philomela.

Sphœricæ figuræ phialam pretioſiſſimo liquore plenam, ſiquis totam uno impetu voluerit profundere, ubi volebat dici prodigus, videbitur omninò avarus. Erunt in causâ anguſtiæ inſidioſi orificij, ut qui ſimul totus nequit liquor effluere ſimul remaneat totus; nam ubi gutta quælibet prælabi nititur, eſt guttæ cuilibet impedimento. Nec aliter impræſentiarùm mecum agitur. Mens Ideis Auguſtiſſimis dives, quia ſimul conatur univerſas profundere, compellitur conſervare univerſas. Speculatio, ſpeculationi, meditationi meditatio, ponderationi ponderatio, ratio rationi, acumen acumini, conceptuiq; conceptus officit; & dum in ſe mutuò impingunt ſingula, hærent omnia, & omnium preſſus impetu hæreo totus. Ne verò affectui deſim, qui omnia quæ concipio nequeo exprimere, ferè omnia ſupprimens, promam aliqua, quæ excellentiora.

1. ☞Omnia, DOMINE, Creationem, & Coronationem tuam concernent; quoniam alterutra circumſtantijs excellentiſſimis nobilitatur. Illam ante dies paucos factam Spiritus-ſancti ſolennitas illapſu divino confirmat; & huic eſt ſacra dies, quæ toti Trinitati ſacra. Inter myſteriorum irrequietas procellas fluctuans animus rimatur plurima, reſpicit pauca; miratur tamen apud Hungaros eâdem omninò die, qua ex Fide Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, vel invitis Arianis Gloria dicitur, eâdem Gloriam Patri FERDINANDO III. Filio FERDINANDO IV. & Orthodoxo utriuſq; Spiritui, Sancto utriuſq; Zelo, Catholico utriuſque Animo, vel invitis Evangelicis & Deformatis ex Fidelitate cantari. Meritò coïncidere jubentur Fidei Fidelitatiſq; vocabula; quoniam DEO Fidelis eſt qui Finem habet curatamq; Fidem ſervat Regi, qui ſanctam intemeratamq; Fidelitatem.

Profecto Ego, dum ſolennitatum Cœleſtium Terreſtriumq; connexionem admiror, doceor adamantinam Creationum Politicarum legem, inviolabilem Civilium Coronationum normam; quam debeo uberiore calamo dilucidare. Hîc attentione indigeo: hîc animis integris eget Auditor. Narciſſum ipſe exuito; me Ducem ſequitor. Sic inquam.

2. ☞Tota Trinitas creatrix eſt; verùm unicuique perſonæ diverſimodè adtribuitur Creatio. Patri Naturalem adſcribi conſtat ex Fide Eccleſiæ, credenti in DEVM Patrem, Omnipotentem, Cœli & Terræ Creatorem.

Fi-

Digitized by Google

Filio ſupernaturalem applicari, conſtat ex ineffabili Redemptionis myſterio, in quo Devs ſemetipſum exinanivit (mira res!) & formâ ſervi acceptâ emortuum cœlo hominem divinitus regeneravit. Et tandem Politicam (hæc eſt, Principum & Regum electio) appropriari Spirituiſancto, conſtat ex ritu antiquo Eccleſiæ, *Veni Creator Spiritus*, ante omnem Civilem Creationem decantantis. Priores duas olim expoſiturus ſum; ultimam Hungaria celebrat, Ego totam examino, & cur Principum Inauguratio Spirituiſancto adſcribatur, admirabundus inveſtigo. Proderit Reſolutio, ut opinor, Electo & Coronato Hungariæ Regi; proderit ejuſdem Apoſtolici Regni Summatibus, quorum ſuffragio Angelica S. Regis Stephani corona digno capiti imponitur: etiam Parenti Auguſto, cujus omnia conſenſu: & tandem quibuſcumq; Principibus alibi gentium electuris elegendiſve, ut ſicubi terrena notitia & humana diſcretio ſit inanis & vacua, feratur ſuper aquas dictaminis ambigui Spiritus, & influxu divino iniquas contradictionum undas ſuperans lintrem erronem portum æquitatis inducat.

Profectò Pontificum, Imperatorum, Regum, Principum Politica Creatio & Coronatio diem, horam, ſucceſſumq; nanciſcitur à providentiſſimo totius Trinitatis decreto, & tamen Spirituiſancto appropriatur, non Patri, non Filio, ut doceamur divinitùs, quales Electores eſſe debeant humanitùs. Sanè Pater Ingenitus particularem & notionalem cognitionem habet, quâ Filium generat. Sic nos docet Orthodoxa Theologia, ſic Doctores. Ita-ne? Dictamen notionale & particulare habet Pater? Ipſi igitur Regum minimè approprietur Electio, minimè adtribuatur Coronatio, licet enim notionales actiones perfectionis ſummæ ſint in Divinis, in Humanis ſcaterent innumeris inconvenientibus. Ergo vel Deo jubente vocem activam in Principium Creatione nemo habeto, qui ſit vel ſenſu, vel opinione ſingularis. Non debet Regnis integris præfici, quem unius vel alterius favor peregrinus extulerit nam oportet, ut omnibus placeat, qui omnibus præſit. Igitur ſolus ille cenſendus eſt coronâ dignior, quem decernit dictamen commune, quem eligit opinio univerſalis. Nam, ſi experientiæ Artium parenti creditur, ingerunt univerſalia damna ſingulares ſententiæ, nihil enim aliud ſunt Hereſes & Schiſmata in Eccleſia; nihil aliud inſolentes tumultus & perturbationes in Statu Politico, quàm opiniones ſingulares.

3. Iam audio, Aſſentior Conceptui; Lector inquit, ne eſto Creator qui intelligentiâ notionali ſit præditus; ne Electo, ne Iudex, qui non habeat opinionem communem, qui non ſubſcribat reſolutioni univerſali. Ergo Regum Promotio, ſi non æterno Patri, ſaltem Coæterno appropriãda erit Filio, qui notionali carens intelligentiâ, ſapiens eſt ſcientiâ communi & eſſentiali.

Inſtat acutiſſimè, fateor; ſentio rationis vim, ſed non adquieſco. Filius conſubſtantialis Patri eſt, Æternitatis conſors, ſcientiâ communi & eſſentiali Sapiens; at habet Amoris peculiaris indicium, hoc eſt, notionalem & particularem Voluntatis actionem quâ producit tertiam Perſonam Trinitatis. Sed quid inde? Politica, eaq; ſanctiſſima Inſtitutio, à ſuffragio illos arcens, qui proprio amore ducti, affectu proprio impulſi, vel invitâ Republicâ, Idola Regia erigunt, & cunctantibus renuentibuſque Populis exponunt ſilentio & obedientiâ veneranda: Inſtitutio, inquam, inferens, Politicas Monarcharum Creationes, non eſſe approbandas Verbo æterno, quòd infinita ejus voluntas polleat operatione notionali.

Eſto igitur Spiritus Sanctus Creator Politicus, mentium & voluntatum Rector, & Principum omnium Promotor: Nulla enim in Chriſtiano Orbe Electio unquam accidit, ni prævenerit Creator Spiritus, & mentes ſuorum viſitans, gratiâ ſupernâ impleverit corda, quæ prius creaverat. Sunto Electores in Comitijs eidem Sanctiſſimo Spiritui ſimiles? Ne Pontifices, ne Imperatores, ne Reges, ne Principem creato, qui communem opinionem & voluntatem deſerens, propriâ phantaſiâ ductus, propriæ ſubſcribit voluntati: ille enim Elector ſolus bonus, qui paſſionibus proprijs non regitur, ſententiâ non abundat propriâ, commodum privatum non quærit; ſed cedens communi judicio, illum approbat qui placet omnibus, & publicæ Rei utilior creditur.

4. Politicam hanc doctrinam confirmat Regia Hiſtoria deſumpta ex Annalibus Regijs. Achis Philiſtinus Monarcha præficere vo-

Digitized by Google

volebat[1.*Reg*.28.] ſuis Copijs Davidem militem generoſum,ductus dictamine particulari. Amori notionali concedit Rex barbarus,& ait hoſpiti ſtrenuo: *Ego cuſtodem capitis mei creabo te*. Ac ſi diceret, Macte animo, David invicte,tanti tuam generoſitatem,tanti victorias tuas,tanti tuam famam facio,ut decreverim tibi ſummas rerum concredere, exercituum directionem committere; ſed quia hæc omnia amore erga te meo minora,tibi memetipſum confidam. Indicitur Creationis dies. Coguntur in Senatum Primores, colliguntur ſuffragia,& Davidi jam jam in Copiarum Imperatorem eligendo dicitur: *Reverte,& vade.* Quid hoc? Sta dictis Monarcha Philiſtinæ. Nonne fides maxima virtus Regum eſt,& intolerabile vitium perfidia? Cur ergo fidem tuam non liberas; ſed Davidem, cui à te promiſſa capitis tui cuſtodia, capite civiliter damnas? In exilium eum abigis,quod non niſi politica mors eſt. Quocumq; perget ille, fidem tuam captivam ſecum deferet, conquerendi occaſionem:ergo fidem redimito,Davidemq; Imperatorem exercituum creato. Audit, excuſat ſe tamen Rex ethnicus humaniſſimâ ſinceritate. *Vivit Dominus*,ait,*quia rectus es tu & bonus in conſpectu meo,ſed Satrapis non places*.& diceret,ſi ſuas retineret ideas,& meâ uteretur linguâ: Monarcha ſum,ac ideò DEI imago. DEI videlicet Vnius & Trini. Actiones notionales & eſſentiales habet DEVS; habeo & ego dictamen ſpeciale & privatum, & etiam ſententias communes & univerſales. Si notionalibus noticijs utar,vivit Dominus, quod rectus es, & bonus; aptus, qui copias dirigas, & exercitum totum gubernes. Sanè ſi me committerem meo genio, te omnibus alijs anteponerem, quoniam in conſpectu meo ſtrenuus es. Cęterùm quà Monarcha, ſum Homo publicus, ſum Creator politicus, & civilis Elector,nec poſſum uti affectu proprio, nec indè aborto dictamine particulari. Rebus publicis non prodeſt privatus affectus, paſſione & inclinatione ſubornatus. ideò te, quem notionaliter, hoc eſt, privatim diligo, imò & eligo:eſſentialiter,hoc eſt,boni publici intuitur à meâ provinciâ relego. Quem me domi concredideram, me militiæ decredo; omnia confideram,omnia diffido;non te creabo exercituum Philiſtinorum Ducem, non te militum Imperatorem, quoniam Creatio & Electio politica non affectui & dictamini proprio,non amori privato, non notionali ſenſui, ſed communi conſilio, & univerſali revolutioni inniti debet. Places privatim mihi; ſed quia nequeo te præficere invitis, nec poſſes jus dicere non acceptantibus,vade hinc,quoniam non places Satrapis.

5. Ecce nobis exemplo eſt Monarcha barbarus. Audiunto Creatores Politici in Comitia coacti. Eſto unuſquiſq; ſimilis creatrici Triadi. Patri adpropriatur naturalis Creatio; Patri,inquam,Ingenito,qui intellectionem & volitionem propriam & notionalem habet. Eſto igitur Patri Ingenito ſimilis,acturus phyſica, tractaturus privata. Phyſica nec merito nec demerito ſunt;privata,ſi lege publicâ non indicuntur, libera ſunt omninò, poſſuntq; & affectibus cedere, & dictamine ſingulari tractari. Supernaturaliter operaturus, Verbum æternum contemplator,cui adſcribitur Creatio & Electio in ordine Iuſtificantis gratiæ. Verbum æternum ſcientiâ communi intelligit,habet tamen volitionem ſecundam notionalemq;. Docetor igitur ſupernaturalium virtutum ſtudioſus; non licet in materia Fidei ſingulares propugnare ſententias;ſubſcribendum omninò eſt dictamini Catholico, id eſt, univerſali. Credito, ut omnes; ne tamen ut omnes,operator; nam obligationibus ſuis ſatisfaciunt perpauci. Modò non ſit notionalis doctrina, eſto notionalis voluntas, cujus terminus ſit Spiritus Sanctus.

Tandem (& hoc noſtra præcipuè intereſt) civiliter operaturo, creaturo Principem, electuro Monarcham, non jam Pater & Filius, ſed Spiritus Sanctus ſit prototypus. Hic caret notionali ſcientiâ, notionali notitiâ; jubetq; omnem hominem activæ vocis compotem, exuere Narciſſum; & opinionibus & affectibus proprijs denudari. Communem Prudentum omnium opinionem ſectator, communi deſiderio adnuito. Illum creato politicè,illum eligito,illum præficito, qui omnibus prudentibus placeat, qui imprudentes adjuvet, qui utriſq; proſit. Iniquè Philiſtæorum Agminibus præficeretur David, inviſus Satrapis, Senioribus & Nobilioribus exoſus, tametſi Achidi charus. Erit iniquus Iudex, qui Pontificem,Imperatorem,Regem,Principemve creaverit, tametſi illum ſuſpiciat ameruque, ſi tamen eumdem prudentum omnium calculo

nihili

nihili fieri videat,& communi voluntate contemni.

Hinc laudandi ſunt Hungari, hinc FERDINANDVS IV. commendandus. Hunc illi omnes, in Generalibus Comitijs elegerunt; hunc plauſu communi coronarunt; hunc omnes nullo dempto admiſerunt; huic omnes fidelem obedientiam jurarunt. Abſuit dictaminum & affectuum varietas, abſuerunt notionales notitiæ,& privatæ rationes; bono publico proſpexere univerſi: omnes unanimes, & uniformes; Quæ enim aliàs diſcordijs graviſſimis expoſita; in hujus Creationis articulo, terra labij unîus & ſermonum eorumdem fuit Hungaria.

6. ☛Et quia Relativa ſimul ſunt tempore naturâ & cognitione; fundamenti notitia mentem ingenioſam ſollicitat, ut terminum ſpeculetur. Prærogativas Politici Creatoris in Creatrice Trinitate conſpeximus, expedit in eâdem etiam Politicas Creaturas meditari. Politicum Creatorem eum dixi, qui habet vocem activam, quòd Principes & Reges creet; quam ob rem Creatura Politica dici debebit ille, qui eligitur, præfertur, creatur. Sed meritò doceri voles, quibus Politica Creatura dotibus, quibus virtutibus pollere debeat: ſed ab illo doceberis, qui è ſacro CHRISTI pectoris fonte uberrimas Theologicæ doctrinæ undas DEO dictante potavit. Hic in Chriſtianæ Hiſtoriæ limine, in Creaturas collimat, & ſic ait; *In ipſo*(Verbo) *vita erat.* clariùs Græcè, *En auto Zoe*, id eſt, *In Verbo vita cœleſtis erat*. Eccur non transferam *Cœleſtem vitam*, ſiquidem *Zoe* in concreto eſt *Zodion, Cœleſte animal*, unde *Zodiakos* ille *Cœleſtis circulus*, qui conſtat æthereis animantibus? Ergo Divina Trias,& expreſsè ejus Divinum Verbum, in Creatione Politicâ vocem paſſivam ei concedit, cujus vita cœleſtis ſit, cœleſtes mores, cujus ſit non niſi in cœlis converſatio. Quod & clariùs oſtendo.

Ne ingrati cenſerentur Caïnus & Abel, Hominis primi Primogeniti,[*Geneſ.*4.] obtulerunt ſacrificium Creatori. Erigunt æquas aras, ſed exornant non æquè: erigunt ſimiles, ſed diſſimili cultu procedunt. Caïnus lętas ſegetes profert, vegetativas campi opes, inſenſibiles terræ divitias: Agnellum Abel, aut aliam id genus animantem. Creator Dominus Abeli proſpicit, Caïnum deſpicit: & qui utrumq; creaverat phyſicè, moraliter creavit (hoc eſt, coronavit) Abelem, alterum reprobavit. Sed cur? Non indigemus alieno magiſterio; ipſa nos docent amborum ſacrificia; quoniam ipſæmet oblationes ſunt indices latentis voluntatis. Aras binas contemplor, binos fratres; & in Caïni lapide vitam ſimplicem, duplicem in lapide Abelis; quoniam ſegetes vegetativâ tantùm vitâ prędite cedunt Animantibus pollentibus vegetativâ & ſenſitivâ. Video Caïnum deſpici, Abelem eligi; doceorq; paſſivâ voce cariturum *Monóbion*, & eſſe donandum omnem *Dibion.* ſunt enim inter Homines monobij & dibij; carnales illi, iſti ſpirituales. Illi uni vitæ ſtudent, duabus iſti; ita illi hujus negotia vitæ tractant, ac ſi non eſſet alia: ita iſti, ut in alterâ poſſint prioris bonam exhibere rationem,& cœleſti donari. Proſpicit uni vitæ Politica, quam olim docuit Epicus, quam ante annos paucos Machiavellus, quã hodie ſectantur quàm multi; proſpicit duabus illa, quam CHRISTVS olim tradidit, quam Eccleſia dilucidat, quam ſequuntur prudentes. Ne igitur ad Pontificatum in Conclavi, ne ad Regiam Coronã in Comitijs ille evehitor, qui habeat curam ſolummodò terrenæ vitæ; ille autem promovetor, cui ſagitta ſit terrena vita; & ſcopus, vita cœleſtis & ſupernaturalis.

7. ☛Rem expoſui,& Auſtriacum electum, & Hungaros Electores collaudo. Delegerunt & dilexerunt iſti, qui deligi debuit & diligi; puerum aureum, Germanię ſpem, ſimilem Patri. Duplici vitâ præditum; ita mortalem hanc agentem, ut DEO vivat, & immortalem mereatur. Sed omnia hæc univerſis ſunt nota, probatione non indigent, quia nec Oracula fidejuſſore; ulteriùs gradior; nam nomen *Dibios* & *Divus* videntur aut parùm aut nihil differre. Nemo Divus ni Dibios, ni duplici vitæ proſpiciat, ni ita utatur terrena ut ęternam & immortalem nanciſcatur. Hinc conſtat, cur Cæſares, cur Reges, *Divi* dicti; qui enim conſcientiæ incurius ſalutem æternam negligeret, nec Divus, nec Cæſarea Lauru, aut cydari Regiâ dignus eſſet.

Sed jam obſervo. Auditores impatienter ſubmurmurant, & me totam Philoſophiam, Theologiamq; invertere iterum & iterum inclamant. Creandi Regis prærogativas poſui, quas multi regerunt, & ſic excurrunt. Vt de

Na-

Naturalibus, ſic etiam de Moralibus agere oportet; quoniam formalitas, quæ fundamento reali caret, chimæra potiùs eſt quàm moralitas. At Creatio phyſica ex nihilo eſt; ergo & Moralis: Fruſtra igitur diſpoſitiones poſtulamus, cùm nullam requirat Creatio.

Laudo acumen, & reſpondeo, bifariam poſſe rem fieri ex nihilo: videlicet ex nihilo ſui, & etiam ex nihilo ſubjecti. Illud prius non eſt de Creationis conceptu; quoniam Accidentia Euchariſtica creatione continuâ in Sacramẽto conſervantur, & tamen ante creationem fuerant, non tamen caruerant ſubjecto. Hinc ad Moralia tranſeo: Creatur Rex qui priùs erat, adeòq; non ex nihilo ſui, ſed ex nihilo ſubjecti educet Regem hæc Creatio; coronâ enim indignus, qui materiæ aut rebus corporeis inhæret; dignus ille, qui moraliter materiâ caret.

O quàm multa (Angele Sereniſſime) paucis verbis ſubaudis. Creationis vi teneris carere omni materiâ; non realiter, id enim eſſet impoſſibile; ſed moraliter. Ita debes inter mortales vivere, ut mortalitatem non ſapias. Ita in Mundo, ut tibi Mundus mortuus ſit, & tu Mundo. Ita plurium Regnorum habenas moderari, ut ſubditos exemplo componas, & obſervantiâ legum à moribus terrenis eruas, & cœleſtibus ornes.

Aperi oculos; nam Creationis rigori materiæ primæ officit ſuppoſitio, tametſi officioſa videatur. O quàm multi accurrent Paraſiti, qui tuæ promotioni congaudeant; grata eloquentur, ſed non vera; quos ſi placeat admittere, in Iura Creationis peccabis. Apud Phyſicos variæ dantur Materiæ primæ ſpecies; item apud Morales, & inter ipſas Adulationem pono, quæ Principes multos ſubcollat. Quidquid Samius Pythagoras, Divinus Plato, Ariſtoteles Stagirita, & alij veteres de primâ Materiâ ediſſeruerunt, Adulationi competit. Nam ſi Materia eſt nihilo proxima, adultera, inſidioſa, malefica, corruptionis initium, & appetitu inſatiabili prædita; Adulatio Materiæ primæ vices gerit, nam paraſiti nihil valent, loquuntur verba adulatoria, & quæ impingunt in mentem, inſidias apparant, faciunt mala, pejora ſuadent; appetunt ſummos coronæ apices, & Regnum Regemq; exponunt evidenti periculo.

8. ❧In omni motu tria quæruntur. Vndè? Quà? Quorſum? Et interrogor, undè creatus fuerit novus Rex? quò iter agat, & quà? Fuiſſe eductum ex nihilo materiæ & corruptionis dixi; ad omnia tendere pronuntio, pergit enim in DEVM, & iſte *Pán* ab Hiſpanis olim dictus, quòd ſit *Pân*, omnia. Sed quà? dicam Hiſpanè: *Por el camino de la nada*. per viam inter Nihilum & Omnia mediam, quæ utriuſq; extremi oppoſitas naturas ſapiat. Omnibus & Nihilo intereſt, qui nihil habet, & omnia poſſidet; qui nihil poſſidet, & omnia habet; qui non exſugit ſanguinem ſubditorum, ut injuſtè ditescat ut prodigè vivat, ut bona aliena auſu temerario dilapidet; ſed vivit, ut moriatur pro populo ſibi concredito, ſi neceſſarium fuerit; nam paſtor bonus tenetur vitam ponere, ut oves periclitantes eruat; agit vitam modeſtam parcamque, ut divitias corradat, quibus poſſit Populos ſuos defendere. Non ſunt creati Populi, ut Principes dominarentur; ſed creantur Principes, ut defendantur Subditi; quorum ſe aliqui, etiam Imperatores, Regeſque, Servos, alij Socios dixerunt. nam Creatori Creatura multum debet, & ſi Comitia examinare bene placeat, Creatur Princeps, & Populus Creator eſt.

Creatur quidem; ſed civili miraculo creãdi etiam poteſtatem adquirit, ut qualiter creatus ipſe fuit, etiam Principes creet. Hîc, hîc, oculis centum (Suaviſſime FERDINANDE) indiges; & ni Divi Parentis juvaretis exemplo, etiam ſi Argum indueres, in tantâ rerum turbatione agere Creatorem vix poſſes. Indiges Politico Circino, quem non vivacitas ingenij, non lectio, non doctrina, ſed experientia unica ſubminiſtrabit. Circino, inquam, quo poſſis Coronas Capitibus, Præmia Meritis commenſurare. Quoniam conferre dignitatem majorem meritis, aut coronam majorem capite, non eſt favere ſubdito, ſed nocere Reipublicæ, & ſubditum promotum perdere. Quod clariſſimè oſtendo.

9. ❧In Gelboæanorum montium inæquali horizonte *Signa, pares Aquilas, & pila minantia pilis* video; duos exercitus fortes, Hebræũ & Philiſteum. Ecce tympana utrimq; utrimq; tubæ audiuntur; ecce congrediuntur Velites; ecce panduntur alæ, & acies Iſraëlitarum funditur. Provide tibi Saul. Fuge, Profuge: ſalutem, quam negabit hoſtis, pedum diligentia concedet. At hæret ille, & me ſubaudiente ſic

ait.

Digitized by Google

ait. Mortem & video & timeo; evadere deſidero & ſcio;nec tamen evadere poſſum. Habeo dignitatem multò majorem meritis,coronam multò majorem capite;ingreſſa circa caput ad humeros, tam ponderoſa mihi fuit, ut debuerim ſuccumbere. Onus nec ferre potui, nec abijcere volui, & Corona humeris ipſis grandior & latior lapſa in pedes.Ipſa me ſuis circulis vincit, ſuis catenis me detinet; & ne fugere poſſim, ſed mori debeam, compedum illa vices gerit, quæ Regia corona videtur. Diſcunto igitur Principes, diſcunto Subditi, & Saulis exemplo Politici aliquando ſapite. Non debet eſſe Corona maior Capite,nec debet eſſe præmium maius meritis; quoniam Corona maior Capite non poteſt conſiſtere in vertice, ſed lapſa circa tempora irruet in humeros & Regem indignum proſternet; irruet in pedes, & cippi inſtar retinebit captivum, ne præſumptionis pœnam fugiat, qui auſus eſt dignitatem meritis maiorem acceptare.

10. Quanta igitur eſſe debet Corona? Æqualis Capiti? Debéntne dari pręmia ęqualia meritis? Minimè gentium,ſed minora;quia ſi Philoſophis fides, nullum agens operatur per ultimum ſui poſſe; & ſi exigat diligentiam ut quattuor, habenti providentiam ut quattuor, non poterit dignitas conferri. nam providentia ut quattuor ſi totam ſuam exſerere virtutem nequeat, operabitur tantùm ut tria, nec dignitati exigenti diligentiam ut quattuor, ſatisfaciet.

Proderit Coronam æqualem Capiti conſiderare. Viderim in Hiſpania mancipia in bellis Africanis capta, & non obſtante ſervili conditione ſuperba, indomita, rebellia; quorum ne liberè fugere queant, ferreo circulo collum circumdatur. Cùm iſtos video ſemper Iudæ Apoſtoli & Epiſcopi memini, cui videtur data Corona æqualis capiti. Quia ęqualis, in vertice remanere non potuit,ſed paulatim circa tempora illapſa, tandem ad collum decidit; & circuli ferrei vices gerens perſonuit Iudam eſſe ſervum peccati. Clamat ille ſe obſtringi,ſe ſtrangulari,ſibi dignitatem eamdem eſſe laqueo, quæ coronæ deberet; deſpondet animo, concidit corde & remedium deſperat. Tædet eum vitæ infœlicis anxiæque; laqueo morali realem addit,& pendet ab arbore,crepat medius, & quia corpus quod corrumpitur aggravat animum,eius animus, vitæ indignæ & perfidæ proditionis pondere gravis, lapſu præcipiti irruit in infernum.

Ergo Corona nec debet eſſe major, nec æqualis, ſed minor Capite. Si minor,remanebit in vertice,nec circa tempora induci,nec ad humeros, aut per hos ad pedes labi poterit. Annon Angelica S. Stephani Corona magna eſt, & Caput Quarti FERDINANDI tenerum, parvumque? ergo timenda videretur certiſſima infœlicitas, & ipſam cydarin converſum iri in laqueum aut in compedes. Sed non: quia cùm de præmiis diſeritur, non corpora ponderantur ſed Animi. Et FERDINANDI IV. Animus in tenero corpore, in ætate puſillâ eximius eſt. Æſtuat amore Religionis Catholicæ. Iuſtitiam intenſiſſimè diligit,& quia virtutum Paternarum hæres, pertinaci ſtudio Politicas & Militares ſcientias ebibit, quibus ſanctiùs & meliùs ſuos Populos regere poſſit.

Si corpus & ætatem ſpectem, noſtro ævo Monarchâ Fridericus Comes Palatinus major fuit; at ſi Animos metiar, Gygas eſt FERDINANDVS,Fridericus Pygmæus.Gramondus, tametſi Auſtriacæ Gloriæ invidus, ſic Virum pingit (ſi debeam Virum dicere, quem duxit in Maritum Regia Conjux; quem ductum ad maiorem Capite Coronam acceptandam induxit,& ambitione maleſuadâ promovit) *Planè indignus Fridericus*, ait [Hiſt. Galliæ lib.4. ann. 1620. pag. 250.] *qui per ſuffragia in Regem legeretur. Decretorium illi erat Pragenſe bellum. Quis credat,quo tempore conſerebantur pro ipſo manus, ludicris Pragæ exercitum inter fæminas? Poſtquam inſtructa ad prælium acies, recipit ſe Fridericus effæminatus homo in urbem, ſub cujus muris agebatur de ſumma rei Palatinæ,de Coronâ Bohemicâ,de Imperio Occidentis*. Et mox ad Hungariam deſcendens, Principis Tranſylvani meminit, eumq; hac cenſurâ perſtringit. *Interea BethlenGaborus in Regem Hungariæ electus ab indigenis, poſtquam negaverat Turca ſubſidium, bello impar*. Ecce duo eiſdem Coronis redimiti, quibus in tenerâ adhuc ætate FERDINANDVS: At ſinguli ſingulis Coronis minores. Fridericus parvi capitis homo magnâ Regni Bohemici Coronam, in quam non ſunt auſi cogitare Danus, Saxo, Sabaudus, temerè acceptat illam ſolenni ritu Pragæ recipit, & quia maior Capite, ſuſtinere non potuit, Inducta

circa

circa caput collum cingit. humeros onerat; & Fridericus impar ponderi laboris ſocium quærit & deligit. Gramondus [anno 1619. pag. 241.] ſic inquit: *Non multò poſt Palatini uxor puerperio liberatur prole maſculâ, cui Fridericus Henricus nomen inditum. Erigitur filius in ſpem regno ſecundam; habitiſque Pragæ Comitiis eligitur Infans, Patre etiamnum ſuperſtite, in Bohemiæ Regem.* Erat hic Hercules nimis tener, nimis ignavus ille Atlas, ut Bohemiæ cœlos ſubcollaret: quam ob rem Coronâ circa collum inductâ, cùm Regiam Maieſtatem conabatur adquirere, peregrinam ſervitutem incurrit. Furtim in Sileſiam dilabitur, hinc ad Batavos ingratus & inexpectatus hoſpes venit; & precariò vivens, tandem inglorius moritur relictis poſteris calamitatis patriæ hæredibus. Corona, quæ collo annulus ſervilis & ignobilis fuit, tandem dilapſa in pedes, compedum & vinculorum vices geſſit, ut ille fumo ſimilis fugeret, qui egreditur ſed nunquam revertitur. Interim BethlenGaborus Auſtriam exſpoliat: ſed Friderico cautior Coronam, Capite ſuo maiorem, ne illa ſtrangularetur aut vinciretur, FERDINANDO II. legitimo Domino cedit. Vtramq; hic recuperat, Bohemicam marte, & arte Vngaricam; utrâq; fœliciter habuit FERDINANDI II. Filius, utramque fœliciter ſuſtinet Nepos.

11. Sed cur indignos dixero Fridericũ, BethlenGaborumque? Illum, quia omnia alieno committebat arbitrio; iſtum, quia nulla: oportet enim conſilio Virorum grandium uti, non tamen licet omnia committere Adminiſtris, nil facere. Strenuus non quærit Vicarios, ſed perſonaliter ſatisfacit obligationi. Vidimus Fridericum intentum latrunculorum luſui, cùm ſeriò à confœderatis Principibus actum de recuperandâ Coronâ, quam latrocinio infauſto invaſerat. Sed nec arguimus ipſum ſolum: Scimus enim eſſe in Orbe Chriſtiano etiamnum plurimos, qui expendunt perſonaliter officij redditus, & oneribus per alium ſatisfaciunt. Conducere dicitur ad authoritatem, ut Epiſcopus Eccleſię curam Suffraganeo, & Clericorum regimen Officiali committat; & ipſe interim genio indulgeat, nec ulli utili negotio vacet. Canonici Superiorum exemplo ſuos habent Reſidentes, qui choro interſint: Suos Subſtitutos alij. Hos Ego univerſos incuſo, & appoſitiſſimo confundo exemplo.

Agebatur olim lib. 2. Saturn. cap. 4. aſſerente Macrobio de famâ & authoritate egregij Militis, qui ſub Auguſti Cæſaris Aquilis meruerat, & in militarium ſudorum præmium fuerat rude & divitijs donatus. Erat Iudex integer, lis anceps, actor potens, reus in periculo. Cæſarem Miles advenit, adſiſtentiam & favorem implorans. Cæſar illi: *Obruor graviſſimis negotiis,* ait, *adeſſe perſonaliter nequeo, ſed ſubrogabo aliquem, qui meo nomine tuam cauſam & iuſtitiam defendat.* Impatiens Miles plenis oculis Cæſarem reſpicit, multumq; dicit, nihil dicens. Hæret tantiſper, & plurimis tacitè expreſſis pauca hæc addit. *Quid? Negotiis obruor? alterum ſubrogabo? excuſationes calva Cæſar, quoniam non ego periclitante Te Aciatico bello Vicarium quæſivi, ſed ipſemet pro Te pugnavi.* Stringitur efficaciâ dicendi Auguſtus Cæſar, omnia alia poſthabet, Senatum init, & Militis periclitantis cauſam agit.

Apud Stellæ Valles de Regno & Imperio agebatur; & dum Viri aciem inſtruunt militiæ, domi Comes Fœminarum tripudio delectatur, ſubrogatis aliquibus, qui ludentis Principis nomine ſeriò rem agerent. DEVS, Exercituum Dominus, favit Iuſtitiæ, inſudanti FERDINANDO Victoriam, confuſionem impertitus Friderico nuganti.

12. Hodie, REX SERENISSIME in Gymnaſio, in Foro, in Aulâ, in Templo, in Vrbe, in campo, in Acie agitur de honore IESV-CHRISTI, quem Heterodoxi labefactant. Illum Iudæus ſpurium dicit, Neſtorius purum Hominem, Arrius minorem Patre; & hoc in magnâ parte Hungariæ. Ioannis & Huſij aſſeclæ in Bohemiâ eum in portiones dividunt, & ſub ſacramentalis panis ſpecie merum corpus, ſub vini ſpecie merum putant hauriri ſanguinem. Vtrobiq; Evangelici quinto excuſo Evangelio antiqua obtorquent: & magnâ indigent reformatione Reformati. Crimina ſunt læſæ Maieſtatis Divinæ, quæ quotidie commiſſa; quæ vindicare miraculosè poſſet DEVS, ſed utitur cauſis ſecundis, mavultq; ad legem ordinariam agere. Monet Te, ut cùm creverit ætas, Maiorum tuorum exemplo, ſomni & ſolatii negligens, ſoli propagationi Catholicæ Religionis vaces. Vt Atavi, Proavi, Avi Parentiſq; veſtigiis generoſis inſiſtas, & publicam rem perſonaliter agas. Quid dices? *Subrogabo Miniſtros & Vicarios qui Regna meo guber-*

nent

Digitized by Google

ntut nomine, qui Eccleſiam defendant meo juſſu, qui me imperante Religionem propagent: & interim Ego ero meus, vocabo mihi, nec negotiorum turbinibus interpellabor. Audio Te, ſed & CHRISTUM, qui ait: *At non Ego periclitante Te in originalis culpa luto, & actualium plurimarum oceano Vicarium quæſivi. Perſonaliter redemi homines, ita univerſos, ut & ſingulos ſine acceptione, aut exceptione perſonarum. Angelum non apprehendi, qui Vos redimeret; ſed torcular calcavi ſolus, mortem vici, fugavi Dæmonem, diripui ſpolia, captivos liberavi. Igitur, ſiquis es, qui tuæ velis obligationi ſatisfacere, proſpicito meo honori læſo, non jam per Legatos, Vicarioſque, ſed labore & diligẽtiâ perſonali.*

Porrò ſubſtituere Vicarium, ut vel ſic illa fiant, quæ perſonaliter debuerant, ſcelus eſt: admiſſi enim Vicarii, ut ea præſtemus, quæ perſonaliter non poſſumus, aut non debemus. Bona opera, quæ ipſi nos facimus, magni à Domino fiunt; minoris, quæ per Vicarios facta. Rem expono.

13. ☞ Nemo Sacrarum Litterarum peritus Vetus Teſtamentum eſſe CHRISTI Hiſtoriam hieroglyphicam & moralem ignorat. Et quia Ioſeph imago eſt CHRISTI oportet aliquid dilucidare. Ioſeph [*Geneſ.* 37.] amicè fratres corripit, coram Iudice appellat; diſplicet, perſequutionem patitur, venditur. Hucuſque CHRISTO ſymbolus; nam & CHRISTVS fraternam correptionem præcipit, judicia fovet, diſplicet multis, invidos & hoſtes multos habet; venumdatus olim à Iudâ, hodie quotidie venditur, & rarò emitur. Sed interrogo: Cur Ioſeph viginti argenteis venditus, CHRISTVS triginta? Cur majoris vænit CHRISTVS Ioſepho, cùm in analogis & parallelis ſumma ſervari debeat paritas? Reſpondeo, Ioſephum fuiſſe Imaginem CHRISTI, adeòq; agones CHRISTI perſonales multò majoris vendi; & multò minoris omnes labores illos, quos fuit in Ioſepho, velut in typo & imagine paſſus. ut diſcamus actiones univerſas ſupernaturales, naturales, morales, militares, politicas, vileſcere, ſi non ſint perſonales: Vt mirum ſit eſſe homines, qui meritis aliorum ſuperbeſcant; quoniam virtus, ſi propria, poſſeſſorem humanitùs ad laudem, & divinitùs ad gloriam erigit; ſi aliena, extrinſeca hypocriticaque, præbet adulterinas alas, ut homo audentiùs evolans, miſerabiliùs ruat.

Suadebo id breviter, & ponam calamum, qui forſan liberiùs exercitus. Vidit Ezechiel, Ecſtaſeôn ſuarum primo, myſticas illas Animantes, quæ ſummis Ingeniis fuere ſtudio, & omnibus admirationi. Exhibuit mirabilis illa Apocalypſis alatum Hominem, Leonem volucrem, Bovem alitem, Aquilamq; nubium hoſpitem, avium Imperatricem. Contemplatur ſuarum alarum divitias vanè glorioſus Homo, vult transvolare in æthera, plumas expandit, ſe credit aëri, ventos ſuis pennis pectit; & ictu oculi aut deliquio animi, aut inconſtantiâ alarum, aut inclementiâ venti in præceps ruit *à dextris ipſorum quattuor.* Brutorum Princeps Leo, condolet Icaro, Dædalum ſe mentitur, ima deſerit, & ardua cogitat: at pœnas dedit illicò, quia agitaverat pennas. *A dextris ipſorum quattuor*, etiam Leo apud Hominem pręcipitatus eſt. Bos interim labori aſſuetur, de ignaviâ incuſat Hominem, Leonem de audaciâ; ſuſpectam habet dexteram lapſu iterato infamem, lævam reſpicit, alas expedit, & ſe inani elemento concredit: & nihilominùs cedens inſolenti labori *à ſiniſtris ipſorũ quattuor* cecidit. Lynceis interim oculis inſpexerat Tragędiam Aquila. Vidit agi præcipites Bovẽ, Leonem, & Hominem, nec ideò timuit. Alas explicat, aëri jura dicit, leges vẽtis pronũtiat, terras à nube, nubes à cœlo deſpicit, & remigio plumarum evecta per æthereos, oceanos imminet *deſuper ipſorũ quattuor.* Cur tamẽ hoc? Vna Aquila cęlos ſecura trãſvolat, & aliæ omnes præcipitãtur Animantes!

Aut fallor aut non poteſt aptior excogitari poſitæ Quæſtionis diſſolutio illâ, quam ſuppeditant omnia, quæ expendi. Omnes iſtæ Animantes alas habebant, fateor; ſed ſola Aquila proprias, reliquæ mutuas & alienas. Homini, Leoni, Boviq; alas non conceſſit natura, ſed vel illas ſibi adfinxerunt ipſi, vel ab alienâ prodigalitate receperunt. Et quidem adſcititiæ plumæ inſufficientes fuerunt, ut Animantes illæ transferrentur ad Superos. Quoniam favor externus cera eſt, & alæ quæ cerâ fulciuntur, deferent Icarũ, ubi is cũ Sole contrahere affinitatẽ affectet. Aquila habebat alas proprias, & ideò *deſuper ipſorũ quattuor* ſiſtitur, ſecuritate & immunitate ſummâ fruitur, ponitq; pedẽ, quò reliquis nõ licet caput.

14. ☞ Iſtæ Animãtes Myſticæ sũt omnibus inſtitutioni. Rẽpublicã, rẽ privatã reformant

& in aſceticâ Pietatis viâ tyrones incitant, promovent Veteranos Singula ponderemus.

In Imperio Animantes illas, quas deſcribit Ezechiel, omnes omnes, & earumdem etiam lapſum ſpeculor. Anno enim ſupra milleſimum ſexcenteſimum undevigeſimo Leo Palatinus donatus fuit alis ab Anglis, ratione Conjugis ſibi vinculo ſtricto devinctis. Adſumpſit Bohemicum Leonem hypoſtaticâ unione, ut geminus robuſtior eſſet. At qui ante ſimplex fuerat, ſimplex etiam manſit cùm duplex. Movit alienas aciei alas contra Cæſarianum exercitum; alienum militem alieno ingenio gubernavit, Favore alieno effertur; & cùm elatior erat, à Cæſare, Moguntino, Trevirenſi, & Colonienſi fœdus initur, & ſub Bavari ductu chimæram illam è duabus Leoninis naturis ſub illud tempus incompoſſibilibus conſtructam, invadunt horum quattuor Principum milites, & Leo deiicitur *à dextris ipſorum quattuor.*

Leo Suecicus humanis cordibus (ſic pictus, vel quia Leonum dentibus & unguibus Hominum corda nuda præſtent, vel quia Reges tametſi leoniformes ſint, teneantur eſſe humani cordes) alas à Rege Galliæ recipit, & in Germaniam transvolat. De alis Gramondus, [lib. 4. pag. 260.] *Regi Gallo in eam diem altus ſopor fuerat, ne dicam ſtupor: in immenſum aucta Gens* (Auſtriaca) *Europæ dominium diu affectatum jam prope tenebat, cùm Ludovico Regi, implacido velut horrore diſcutitur ſomnus, imponit dominationi Auſtriacæ modum, Guſtavoq; Adolpho Sueciæ Regi fortiſſimo* (hic ipſe eſt ille Leo humanus, ille Homo leoninus, de quo ego) *ſtipendia & militem* (illa ſunt hujus alæ) *ſubminiſtrat.* Et in Indice. *Guſtavus Adolphus Suecorum Rex, copiis & pecuniis Galliæ conductis in Germaniam irrumpit, pro libertate publicâ* (videlicet Conſcientiæ) *tuendâ contra Auſtriacos.* Involavit igitur in Germaniam hic Barbarus (nec mirum, ſi illum hoc indigitem nomine, quo honoratur à Gallis, à queis conductus.) Volatui ad Lypſiam obex ponitur, qui tamen Ann. M. DC. XXXI. ſuperatur. Superbit Prædo VVandalus (ſic etiam ab eiſdem Gallis dicitur) & exercituum alis Germaniam fere totam percurrit: cadit tamen in bello Luzenſi ſequenti anno. & quia in cadaveribus adhuc manent vitales nonnulli ſpiritus, inanime illud Gothi exercitûs corpus, alas & plumas movet, has ut militem tumultuarium conſcribat, illas ut periculo evolet. Occaſu alieno ſapiunt Ioannes Georgîus Saxoniæ Dux, & Marchio Brandenburgenſis, Electores, ſociantur Imperatori & Bavaro; à quâ die Suecici exercitûs reliquiæ centies lapſæ à dextris ipſorum quattuor.

15. Sed quid de Galliâ, Belli Germani Authore, immò & auctrice dicam? Tribus olim Bufonibus clypeo appictis myſticè exprimebatur. Iſti Pictorum fraude transiverunt in Lilia; metamorphoſes enim non ab Homero modò, ſed ab Apelle invectæ, quoniam *Pictoribus atq; Poëtis quidlibet audendi ſemper fuit æqua Poteſtas.* Gallicum ergo virus ſub candidâ Liliorum ſpecie, nec apparet quod eſt, nec eſt quod apparet, ſed Europæ illudit, quæ tandem tandem, quia *Peſtifer ambroſiâ latet iſtâ vermis in herbâ* ad ſe & ſuum Imperatorem revertitur, & timet à veneno, quod Lilia occulunt, ut ſentiri debeat, & videri non poſſit. Nec apud omnes Gallos unus & idem penicillorum error: quoniam Levomicenſes Bufones ſuos ſpecie humanâ velant; Normandenſes Leoninâ, aut Leopardicâ, Benearnenſes Bovinâ, unde concludo Galliam eſſe quaternum Animal, quod Camæleonti ſimile colores mutat, & Proteo ſuppar mutat facies Si illam in incunabulis reſpicias, Vermis peſtifer eſt, quem hodie folia candida celant. Si illam ex Levomicenſi territorio contempleris Homo eſt; ſi ex Normandiâ Leopardus, ſi ex Benearniâ Bos. Iſtud Portentum quadriceps: bellicoſa hæc Chimæra, Aquilæ hoſtis, in Germaniam contra Auſtriacos transvolat. & quia non habuit ortum ſed abortum, non habuit occaſum, ſed caſum Numeroſum militem evomit (evomit inquam; quoniam populatura Imperium, furibus, prædonibus, hæreticis, aliiſq; Reipublicæ ſordibus purgatur Gallia) ſed non terreris Aquila, *quoniam cadunt à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis,* & Tu non obſtante procellâ Bufoni, Homini, Leoni, & Bovi, Naufragis, Caſtor & Pollux es *deſuper ipſorum quattuor.*

Supervolat invictiſſima Aquila, ubi Homines ſummo ingenio præditi, ubi Boves nullo unquam labore perterriti, ubi Leones nulli inferiores viribus, lapſu majore cecidere: alis enim utitur propriis, & illi abutuntur alienis: quoniam habere alas Homini, Bovi, & Leoni im-

Digitized by Google

improprium, Aquilæ proprium eſt. Supervolat Auguſtiſſimus Cæſar,nec timet Principes, ſi Humani ſint; quoniam iubet humanitas, quod membra ſubſint capiti,& Hominis myſtici,Orbis Chriſtiani caput,Cæſar eſt.Quodſi Humanitatem illi exuant,nec Capiti ſuo ſubeſſe velint, ſed Mezentii exemplo Taurum potiùs induere, aut Herculis ritu Leonem; Auſtriacus quà Hiſpanus Tauros agitat,& ſine ſudore confodit; quà Cæſareus, Romanus eſt, hæres Æneæ, adeòq; generosè

—Haſtam iacit; illa per orbem
Ære cavum triplici per lignea terga,tribuſq;
Tranſiit intextũ Tauris opus.[Virg.Æn. 10.]

quà Hiſpanus Leo eſt, & quia eminentioris ſpeciei, ſpurias iſtas Leonum umbras non timet;quà Germanus Aquila eſt Leones aſſueta vincere; Palatinorum domitrix, Bohemorum cicuratrix, Suecorum victrix: nec tamen alienis infortuniis, ſed virtutibus propriis eſt fœlix. Scit, quòd ſtando veritati ſinceræ. [Ovid. epiſt. 19.]

Nõ Bove mactato Cæleſtia Numina gaudent;
Sed quæ præſtanda eſt,eſt ſine labe fides.
[*Non placet accenſis poſitiſq; Leonibus ara Cælo, ſed placuit Religioſa Fides.*]

Hac pollet noſtra Cæſarea Aquila; Aquilina etiam proles,novus Hungariæ Rex,nova Germaniæ ſpes,chara Deûm Humanorum,Mundi Antiſtitum Soboles,magnum Auſtriaci Iovis Incrementum: & ideò eximio univerſis exemplo eſt.

16. Omnes theologicè & omnes politicè volamus; nimirùm ad Cœlorum Rempublicam,ad Reipublicæ Cœlos.Alii à Cæſare, promoventur excelſiùs in Imperio;alii à Deo ſublimiùs in Empyreo;ſed ſolùm illi,qui proprias alas habent, in terris debent ſubrigi: in cœlis ex ordinariâ lege poſſunt. Propriis ornantur aliis, qui perſonaliter inſudant bono publico, paci communi, Imperii utilitati, qui extirpationi hæreſum, Fidei Catholicæ propagationi invigilant, & virtutibus adipiſcendis vacant. Alienis illi, qui Icaro ſimiles Parentum & Maiorum meritis, aut etiam Fautorum impulſu promoventur; qui genio indulgent, & ſubrogatis Vicariis volunt videri feciſſe ſatis obligationi perſonali. Et quidem iſtis timeo humanitùs. Timeo enim in Eccleſiâ Pontifici, qui fruens Romanis opibus, officii ſummi ſumma onera, è ſuis excuſa, humeris ſubditorum imponat.Epiſcopo,delitiarum cupido, qui Suffraganeo Templum, & Populum Vicario committat. Canonico, qui ut totâ provinciâ vagari & recreari liceat, ſubroget Reſidentem,Abbati,qui MARIAM Prępoſito,MARTHAM Oeconomico delegans, dilapidandis pauperum theſauris invigilet.Et extra Eccleſiam timeo Cæſari, Orbis regendi incurio, qui honorem manuteneat, onus excutiat.Timeo Regi,qui delitiis vacans à regimine vacet.Timeo Militiæ Principi, qui domi dormiat,& debeat vigil eſſe belli. Timeo Legionario vel Duci;ſi de Locumtenentis induſtriâ & generoſitate gloriatus, ſciat ſtipendii ſolvendi horam, non diem hoſtis vincendi. Timeo gregario Militi,ſi dum exſpoliat ruſticum quod non debet, vexillo abſit, nec tympanis obaudiat ut debet. Timeo Nobili,ſi luxu terat ætatis florem, quem vel litteris vel armis deberet.

Et dum timeo quàm multis alieno alarum apparatu volantibus, Auſtriacæ Domui non timeo.Congratulor Romano Imperio à FERDINANDO III. proprio Marte, propriâ arte; perſonalibus ſtudiis, conſiliis, ſudoribus, laboribus, expeditionibus, contra Gallos, Suecos,Haſſos; contra parùm Catholicos, contra nimiùm Hæreticos, contra utriuſq;religionis incurios fœliciter hucuſq; defenſo. Congratulor Hæreditariis Populis ſub Pio Principe dies fœlices agentibus. Congratulor Regno Bohemico, cui datus in Regem Puer aureus, etiam in tenerrimâ ætate ſummi judicii & clementiæ exhibens ſpecimina. Congratulor tandem Regno Hungarico,cuius modò ſaluti & incolumitati inſudant eiuſdem FERDINANDI IV. tyrocinia; ut cum ſudores Regis videant ſubditi, diſcant nîl ſe alieno favore obtenturos,ſi merita perſonalia deſint.

Perge igitur,HUMANISSIME ANGELE,nobis divinitùs conceſſe,cœlitùs date,poſſeſſe animitùs. Perge Cæſaree Puer;& ſi judicium ingeniumq; ſpectem, perge Senex, profice Gygas. Tranſeant ſpecimina in rem,flores in fructus, opes in gaudia, & in poſſeſſionem deſideria. Parenti Invicto,Patruo Victori ſimilis, litteras & arma compone; mentem cole, virtuti ſtude,Fidem Catholicam etiam vitæ prępone.Pullus Aquilæ Solem obtutu immobili debet reſpicere,nam & hoc poteſt Aquila. Et quia Cæſarea Solem DEUM, & in ipſo, non

jam hæreſum umbras & ſchiſmatum nubes, ſed nudam Catholicamq; veritatem reſpicit, hanc intuearis ſolam,potiuſq;cæcus ſis,quàm umbris cæcis occuperis. Novello Pectori Cęſarum Majorum tuorum virtutes inſere, multorum plurimas; quoniam iſtæ ſunt alæ, quibus in terris tranſvolabis ad triumphos,& in cœlis ad gloriam. Tot alas ipſi habuere quot virtutes, tot plumas quot dotes, tot pennas quot prærogativas: & quia eorum es hæres, tuæ ſunt.Invadaris quà Hungarus à Turcâ & Tartaro; oppetaris quà Bohemus à Gallo & VVandalo,ne time, nam habes alas proprias, & ſupervolandi Magiſterium. Pater Auguſtus, *ſicut Aquila provocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans,* te exemplo docuit; ne eſto mera theorica hæc doctrina, reduc illam ad praxin; è fortunæ induſtriâ & generoſitate partæ faſtigio, Turcæ, Tartari, VVandali, Galli, Mahomethani, Ethnici, Evangelici, & Reformati temeritatem deſpice, & Pio Parenti æmulus piè vive, vince, vola, *deſuper ipſorum quattuor.* Duras veterum Regnorum habenas blandâ manu, novâ priſcas aſſume; & auſpicatiſſimâ die,videlicet DEO Trino ſacrâ, ad Trini ejuſdem DEI majorem gloriam, tribus FERDINANDIS Abavo, Avo, Parenti,Quartus addere, & Major Majoribus Tuis, *intende proſperè procede & regna.*

DIXI.

ORTHOGRAPHIA; GRAMMATICA; RHETORICA; ARS MILITARIS.

17 NOVI mei Regis ætatem teneram exornaturus, confero primas Artes; cum enim fœlicem fore exopto, & una Grammatica ad Beatitudinem comparandam non ſufficit. Apud Matthæum Tympium tertio Epigrammatum.

Fælix Grammaticus non eſt, ſed nec fuit unquam,
Nec quiſquam eſt fælix nomine Grammatici.
Quod ſiquis fælix præter fatum exſtitit unquam,
Is demum exceſſit Grammaticos Canonas.

Grammaticæ igitur litterarias univerſas coopto, & morali penicillo reſcribo.

Sed cur Litterariis Artem militarem adjungo? Quoniam litterarum uſus in conflictu conſiſtit,nec mitius ſolet eſſe diſputantium certamen,quàm diſſertatio militantium.Acriùs linguæ conſeruntur quàm haſtæ;nec doctus eſſe poteſt aut dici,qui more Veterum in ipsâ arenâ licitatur. Cùm veteres produco, etiam intelligo, qui ante viginti annos, Gymnaſium in Forum converterunt,& ſicut Mercatores hoc dant,illud recipiunt,unam propoſitionem admittebant, ut altera ſibi concederetur. Iam DEO exercituum auſpice, ad arenam litterariam deſcendimus,non ut contractus mercatorios,ſed ut conflictus militares ineamus,Quam ob rem hæ debuerunt facultates conjungi; ne bonæ Litteræ carerent generoſitate Militiæ, & ne Militia careret bonarum Litterarum ornatur.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO II.

Ad morum inſtitutionem cultumq; Primarum Artium fundamenta reducit.

ORTHOGRAPHIA. La letra con ſangre entra. 22. *De litteris vocalibus.* 23. *De conſonantibus, de Mutis, Liquidis, Semivocalibus.* 24. *DEI ſubſtantiale nomen, omnes Vocales & nullam Conſonantem complectitur.* 24.

ANAGRAMMATA. Neutralis *anagramm.* Luteranis. *Cur non dicemus* Luteranidem, *ſicut* Tyrannidem? A e i o u. *anagramm.* Ieova. 24.

ETYMOLOGICA. Lingua *vox eſt æquivoca, ſignificatq; linguam oris & gladium.* Philippicæ *undè dictæ. Quid ſperare ſit? Quid* ſuperſperare? 10. Paſſus, *an dicamus à* Pando, *vel à* Patior? Perſuadeo, Suadeo, Moneo. 39.

GRAMMATICA. *An poſſit eſſe inſignis fælixque, qui meram profitetur Grammaticam?* 17. Amoris divini *declinatio.* 34. *De* Fidei *numero, & genere.* 28. *De* Fide *ſingulari, plurali, maſculâ fæmineâ, neutrâ, communi, & ambiguâ.* Fides *eſt indeclinabilis.* 27. Aër *plurali caret,* Arma *ſingulari.* 31. 32. Tempus *ponitur in ablativo.* Sacer *caret comparativo.* 34. Verba activa *accuſativum poſtulant.* 35. Gaudeo. 36. Luceo, es, Lugeo, es. *habent* Luxi. 37. Dativus pl. *ſimilis Ablativo.* 41.

POETICA. *Pauci verſus ſunt boni.* 44. *Homines ſunt verſibus ſimiles.* Amans, Amens *differunt quantitate.* 39. *Pedes* Iambi *&* Trochæi. 40. *De B. longo & brevi.* 41. *Vltima verſûs indifferens.* 44.

RHETORICA. *Ejus partes; Exordium, Narratio, Exornatio, Memoria, Pronuntiatio.* 21. *Figuræ, Protheſis.* 43. *Ecthlipſis.* 43. *Parentheſis.* 45.

DIALECTICA. *Diſputare, non eſt licitari ſed pugnare; Viri docti ſunt milites non mercatores.* 17.

PHYSICA. *Quid ſit Materia prima? An exiſtentiam & ſubſiſtentiam propriam habeat.* 31. *An dentur hominum diverſæ ſpecies?* 20. 28. *An poſſint ſpecies mutari.* 20.

ASTRONOMICA. *Cælum ubi ſit.* 20. *CHRISTVS Iuſtitiæ Sol.* 26. *Mercurius in Sole viſus.* 43. *Eclipſis Solis Lunæque. Luminaria ſunt ſigna temporum. Hominum ingenia & inclinationes pendent à climate, educatione, magiſterio, & ſtudio.* 18.

HOROLOGICA, *Rotarum & umbrarum diſcrimen. Vtræ certiores & veriores.* 26. *Præter Automata, & Solaria Horologia dantur etiam Clepſydræ, è quibus olim aqua dilabebatur, jam arena.*

POLITICA. *Aulicorum vita eſt inſania.* 19. *Roma ubi ſit?* 20. *Vbi Aula? An Aulâ Rex egredi poſſit? Paraſiti Camaleontibus ſimiles.* 26. *Omnis homo mendax.* 22. *Pauci in Aulâ Symmachi.* 30. *Theodorici iniquitas. Roboami temeritas. Nemo in Aulâ ſuperbus; puſillanimes & amentes innumeri.* 19. 31. *Multi alieno favore ſubſiſtunt. Omnia ſuum tempus habent.* 34. *Vtrùm ſit melius pati quàm agere?* 35. *Superior debet verbo & exemplo concionari.* 39. *Vana gloria.* 41. *Præſtetne Principem, an Populum opulentum eſſe.* 43.

MILITARIA. *An gladio ſit potentior lingua.* 19. *Labores Militum. An qui belli occumbunt ſint Martyres?* 20. *Innocens ſanguis ad DEVM clamat. An exercitus debeant eſſe æquales?* 34.

THEOLOGICA. *DEVS eſt unicus.* 28. *Omnium rerum Principium Finiſque.* 24. *Eſt omnipotens. Ejus Magnalia omnem humanam fidem ſuperant.* 29. *Eſt Trinus & Vnus. Verbum carnem aſſumpſit. De ejus pretioſo ſanguine.* 21. *Illo decoratur & inundatur Eccleſia, quæ eſt unica.* 28. *Virtutes ſupernaturales. Pia affectio.* 26. *Fides.* 27. *Spes.* 29. *Charitas.* 30. *Servanda eſt Hæreticis fides.* 28. *Timor Spei opponitur.* 29. *Gratia & Charitas duo ſunt nomina, ſed una res.* 30. *Divina auxilia. Illa omnibus concedit DEVS, nec aliquem permittit ſupra vires tentari.* 35. *Virtus in arduo, meritum in conflictu.* 41. *MARIA DEI Mater, pede calcat Lunam, Sole amicitur, & duodecim ſtellis coronatur.*

VA-

Digitized by Google

VARIA. *FERDINANDVS Beatæ Virgini ſimilis, in quo undecim coronis redimitur, duodecimam etiam ſperat.* 18. *optimi ingenii & indolis ſuaviſſimæ puer.* 30.46. *Euphormio liber Satyricus; ejus Author.* 19. *Quo fine Orationes invectivæ ſcribantur. Aulicorum mendacia.* DEO *etiam loqui poterunt qui carent linguâ.* 20. *Vox ſanguinis. Lingua flagellum. Homines convertuntur in Angelos. Rex tenetur animam ponere pro ovibus ſuis.* 21. *Homines liquidi.* 24. *Camaleontis colores. Vermis conſcientiæ.* 29. *ut illum inebriaret & ſedaret multum adlaboravit Lutherus. Theodoricus Italiæ Symmachum condemnavit capite, ejus umbra extinguitur. Lachrymarum vis.* 30. *Temporum & locorum diſtinctio. Vnicuiq; in ſuâ arte credendum. Semper ſunt inter ſuperbos jurgia.* 31. *An fuerit ſuperbus Iulius Cæſar? Non quævis fert omnia tellus.* 34. *Dulce laborum meminiſſe.* 36. *Non dantur præteritæ lachrymæ.* 38. *Amor, brevis amentia eſt.* 39. *Mortis poteſtas & indifferentia.* 44. *Bene moriendi modus.* 45.

DOMINE &c.

18 TE, FERDINANDE Optime, in Sancti Regis Stephani ſolio reſidentem conſpicio, & in Tuâ promotione digniſſimâ toti Orbi litterario congratulor. Tenellam tuam ætatem Summo Exercituum Domino, & Reginæ Angelorum commendo. & quia licet componere humana divinis, terrena cœleſtibus, ima ſummis, Coronationem Ego Tuam cum Marianâ compono. Apoc. 12. 1. *Magnum ſignum apparuit in Cœlo. Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus ejus; & in capite ejus corona Stellarum duodecim.* Et quidem hodie, ſuſpicio in Te qualem qualem prodigii ætherei umbram, & virgineam neſcio quam Virginis ſummæ Imaginem. Magnum profectò ſignum hodie apparuit in terrâ.

Nondum Natura Menti libertatem debuerat; nondum ab intrinſeco emerſerat boni & mali diſcretio; nondum fuerat abacta operandi neceſſitas; cùm Aureus Pueri Cæſarei Animus, partim favore Cœli, partim fertilitate Terræ (nam & Regionibus & Cœli climatibus debentur Genii) partim tandem Parentum diligentiâ & Magiſtrorum cultu, amicitur claræ Rationis lumine, Iuſtitiæ Sole; ipſeq; habiturus Lunam Saracenam ſub pedibus, capite tenero undecim coronas ſubornat; & quia Coronæ cœlitùs datæ, Stellæ ſunt, circumgerit Stellas totidem. Macte igitur animo, *Stelliger Athla, Axem humero torque Stellis ardentibus aptum.* ſi undecim coronis redimiris, unica tantùm deeſt, ut ſacer numerus compleatur. A Verbo habuit Imperatrix Angelica, duodecimam (ſummam hîc coronam intelligo) & Tu jam redimitus S. Stephani Angelicâ, decem aliis ornatus, duodecimam à Verbo exſpecta. Hanc DEO auſpice comparabis ſtudio, eamdemq; arte & marte tueberis. Sed quo ſtudio? quâ arte? quo marte? Non habeo quid reponam novi; quoniam ignorat nemo, totam primam ætatem Verbo colendo debitam, poſſe & debere inſumi in labii directione & ornatu. Alii docuerint aliter; ego Te multò utiliùs & breviùs; videlicet Chriſtianam Grammaticam, quæ uno Verbo contento, theſauris verborum, quibus aliæ celebrantur, non indiget. Aſcendo igitur cathedram. Te Auditorem ſuppono, & Te etiam unico totam Scholam plenam, Artem linguæ regendæ traditurus, à Linguæ definitione exordior.

19. LINGVA, [vox nota eſt, quæ laborat homonymiâ non notâ] membrum ſonat, quod ore volvitur; & enſem, qui geritur manu; quòd generoſi Heroës enſe loquantur, & linguâ digladientur ignavi; ſolet enim labium & ſtylus ulciſci, quod gladius nec audet, nec poteſt. Hinc ortæ Satyræ, & Orationes invectivæ, quas *Philippicas* dicimus, quòd primus id generis calamus aſſumptus ſit contra Philippum. Prodiit noſtro ævo Euphormio, de cujus argumento & Authore in diſcurſu proœmiali ante Argenida, diſputat Elzevirius, & inter alia ait: *Facilis eſt de Scripti hujus tam amarulenti occaſione conjectura, ut ſcilicet Author* (Guilielmus Barclajus, aut fortè Ioannes ejus filius) *ſi pari calamitatis injuriâ adverſarios opprimere non poſſit, eorum tamen flagitioſos mores celebri ignominiâ, veluti longâ & apud poſteros duraturâ morte per ſtylum & acerbos jocos traduceret.* Qui Cenſor in hoc

Digitized by Google

hoc diſplicet, quòd ſtylo aut linguę imparem minoremq; aſcribat poteſtatem, quàm gladio. Iſte non dicitur *lingua*, ſed *lingula*, quòd impotentior linguâ ſit, & ſemel eos occidere poſſit, quos lingua centies; *ipſa* enim *occidit, & ipſa vivere facit, percutit ſanatque, nec eſt qui de manu ſuâ poſſit eruere*. Hæc nimis ſcita & obvia commentario non indigent, præcipuè in Aulâ, & apud Te, qui etiam in ætate innocente, in Orbis Regii ſupremâ apſide, æmulis, invidis, adulatoribus, & aliis variis & inter ſe oppoſitis Reipublicæ monſtris non cares. Audiatur Euphormio, aut potiùs ex illo Elzevirius, quem dixi: *Quid aliud fere eſt*, ait, *Aulicorum vita, quàm ſpontanea mentis inſania; dum ſcilicet ſuperiorum juxta & inferiorum uſualem benevolentiam ſervili adulationis ſtylo allicimus abdicatâ ultrò rectæ rationis libertate? ut de perfidiâ, quam leviſſimo* Simulationis *&* Diſſimulationis, *itemq; blandiſſimo* Comitatis *&* Humanitatis *vocabulo condiunt, nihil dicam, modò Comicus exprimat*; Ore aliud, taciteq, aliud ſub pectore verſant. *Taciti verbo* [lib. 14. Annal.] *adiiciunt* (ſcilicet Aulici) *complexus & oſcula facti naturâ & conſuetudine exercitæ jactare odium fallacibus indiciis. Neq; verò ex priſtino illo furioſæ ſervitutis facilè ad priſtinam mentis libertatem reducimur, niſi fortè mirabilis quædam metamorphoſis, quam novæ cuidam amentiæ aſſimilare poſſis, animum afficiat*. Cito Iuniores libentiùs, ægriùs veteres; non enim in libris fumoſas quæro paginas & tineâ corroſas periodos, ſed genus dicendi altum acutum breve, quod antiquis vix notum.

20. ☞ Meritò igitur, Te Sereniſſime Puer, ab Aulâ evoco. ſed quo modo? Vbicumque CHRISTVS glorioſus triumphanſq; conſpicitur, cœlum eſt: Vbicumq; Pontifex, Roma; ergo ubicumq; Rex, ibi erit Aula: adeòq; hac egredi, privati homines poſſunt, Reges & Monarchæ non poſſunt. Sed ego illos poſſe pronuntio; multi enim dum corpore degunt in terris, mente cœlos inhabitant; dum agunt in corpore, incorporei videntur; multi inter ſummas divitias, ſummè ſunt pauperes, & inter ſumma diſcrimina valdè ſecuri; quorum exemplo inductus corpore poteris tenere Aulam, mente Scholam, voluntate militiam. Etiam militia eloquendi eſt facultas, multum enim loquitur ſtrenuus & tacitus quicumq; miles, qui pro Catholicæ Religionis gloriâ, arma hyeme rigida, & æſtate candentia induit; nigro tenuiq; pane alitur; ſub Iove dormit, ſuper nuda terra, aut fortè nive tecta cubat; omnes cœli inclementias patitur, ut tandem fortiter óccidat aut occidat. quoniam omnes actiones, omnes paſſiones iſtæ, linguæ ſunt, quibus DEVM laudat, & proteſtatur puram Fidem. Milites D. Ambroſius cum Martyribus ſcitè componit, & lib. 1. Officior. c. 41. ſic ait: *Habet fortitudinem bellicam, in quâ non mediocris honeſti ac decori forma eſt, quòd mortem ſervituti præferat ac turpitudini*. [pulchrum eſt enim, & generoſum facinus, malle mori catholicè, quàm vivere & perennare hæreticè] *Quid autem de Martyrum dicam paſſionibus? Et ne longiùs evagemur, non minorem de ſuperbo Rege Antiocho Machabæi pueri revexerunt triumphum, quàm parentes proprii*; [illi ſunt Martyres & iſti Milites] *ſiquidem iſti armati, illi ſine armis vicerunt. Stetit invicta ſeptem puerorum cohors, regiis cincta legionibus. Defecerunt ſupplicia, ceſſerunt tortores, non defecerunt Martyres*. Hucuſq; Mediolanenſis Pontifex; qui progreditur, & per martyrium docet poſſe hominem in aliam Subſtantiæ ſpeciem nobiliorem tranſire: ut doceamur Milites, ſi conſtanter patiantur, non carere Martyrum gratiâ, & poſſe munificentiâ Domini exercituum in Angelos per gloriam converti. Sed ſubiicit; *Alius corium capitis exutus, ſpeciem mutaverat, virtutem auxerat. Alius juſſus linguàm amputandam promere, reſpondit; Non ſolos Dominus audit loquentes, qui audiebat Moyſen tacentem. Plùs audit tacitas cogitationes ſuorum, quàm voces omnium. Lingua flagellum times, flagellum ſanguinis non times? Habet & ſanguis vocem ſuam quâ clamat ad DEVM, ſicut clamavit in Abel*. Habet quidem; & tot voces audiuntur cœlitùs implorantes divinam aſſiſtentiam, quot guttæ ſanguinis pro CHRISTO funduntur humanitùs.

21. ☞ Eloquẽs eſt ſanguis Chriſtianus pro Fide Catholicâ effuſus; & quia Orationis partes Exordium, Narratio, Confirmatio, Memoria, & Pronuntiatio ſunt, omnia hæc ſanguis innocens facit. Adorat DEVM, Orat ad DEVM, dat novæ fœlicitati Exordium, etiam tacitus geſta & gerenda enarrat, conſtantiam ſingulorum Confirmat, Memoriam

DEI concitat, & contra Iudicum crudelitatem ultimam ſententiam Pronuntiat.

Tuus, Sereniſſime Rex, tametſi purus & innocens, nimis pretioſus eſt, ut pro fidelibus ſubditis effundatur; at CHRISTI ſanguis infinitè precioſior, ac tamen non ſolùm pro fidelibus, ſed pro infidelibus & rebellibus fuſus. Votis tuorum adnuens, eſto Miles in re, Martyr in voto: & paratus mori pro populis tibi commiſſis (hoc enim debes ſingulis, ſi tempus ferat) ſalutem vitâq; etiam ſi emi debeat omnium & ſingulorum ſanguine, fruere plurimis annis.

22. Nimis hæc fortia ſunt; & tametſi primos veræ doctrinæ characteres imbibant, nimis dura. At proponi debuerunt, quia ut ait Hiſpanus, *la letra con ſangre entra*, & litteræ quibus tua Iura ſcripta, ſanguineæ ſunt. Sufficiat illas delibaſſe; eaſdem *releges cùm creverit ætas*, nunc docebo dulciores. Seda animum turbatum ſanguine, & attende.

23. Ab Abecedario exordium ſumo, & in illo Conſonas, & Vocales reperio. Hæ tales dictæ, quòd aliis conſonent, & ſolæ non poſſint ſonare. Iſtæ vocales ſunt;

A, E, I, O, V.

alii illas aliter denominent, ſic eas doctiores legunt; *Auſtriaci*, inquiunt, *Erunt In Orbe Vltimi*, & hoc tanquam Vocales, hoc eſt, ſine dependentiâ ab aliis Principibus, qui illis conſonant diſſonantve. Sine vocalibus aliæ litteræ audiri non poſſunt, nec ſine Auſtriacorum conſortio alii Monarchæ: Eccleſiæ enim propugnatores fuerunt, ſunt, eruntq; Auſtriaci Principes; illis quotquot Eccleſiam diligunt, conſonant; nec intelligo, quî poſſint illi vel illi Populi audire Orthodoxi & Catholici, & nihilominùs obeſſe Catholicorum votis, & Acatholicorum partes agere.

24. Ad Conſonantes venio, & ut alias earumdem diviſiones omittam, reperio Mutas, Liquidas, & Semivocales. Et ſanè, ſi Auſtriaci Vocales ſunt, Semivocales erunt Semiauſtriaci; ſummi Chriſtiani Orbis Monarchæ, qui maternâ lineâ Auſtriacum ebibunt ſanguinem, & hauſtam in lacte Religionem conſervant. Repeiuntur præterea Muti & Liquidi Principes; Mutus alio nomine *Neutralis* dicitur, qui miro litterarum omine per anagrãma conſonat *Luteranis*. Liquidus omnium figurarum & morum capax, ſe in mores alienos transfigurat; liquor enim nullam figuram poſtulat, nullam reſpuit, ſed à vaſe nanciſcitur, ſi quam habet. in ſphæricâ phialâ rotundus eſt, cubicus in quadratâ; conicus, in pyramidali; paratus illam, quam habet exuere, ſi in vaſa diverſa transfundatur. Talis eſt liquor; & illi ſimiles univerſi homines, qui adulationis lue laborant. Principis, cui aſſentantur, voluntate reguntur, ejuſdem exiſtunt exiſtentiâ, ejuſdem mente judicant, linguâ loquuntur, enſe & poteſtate minantur. Quicumq; ex iſtis Camœleonti ſimillimus colores alternat & immutat, ventum ſequitur, fortunamque, & dum alii jacturas lugent, alii victorias cantunt, ipſe medius & anceps intonat,

Pompejanus ero; ſi perdidit omnia Cæſar;
Omnia ſi vincit, Cæſareanus ero.

Et quia Vocalium & Anagrammatum inducta eſt mentio, Vocales, à quibus exordium ſumpſimus, ad numeros Theologorum coordina, & qui A E I O V repereras, IEOVA reperies. Eſt autem IEOVA nomen primarium DEI; initium ſcientiarum finiſque; ut ſcias humanam omnem paſſionem & operationem debere à nomine Domini exordiri, à Domino dirigi, & in ejuſdem nominis gloriâ terminari. Hæc eſt Chriſtiana Orthographia. Si hanc bene percalles, jam doctiſſimus es; & ſiquis illam Doctor ignorat, non eſt ſapiens.

25. Excitat virtutum promotio: & Te hucuſq; luſitantem inlitteris, hinc ego ad altiora conduco, ut foveas ſtudioſum animum. Grammaticam ab aliis didiciſti, eamdem à me breviùs & clariùs. A Declinationibus incipiam, nec Te onerabo multis, ſed quâ diligentiâ & induſtriâ *Amor Verbi*, & *Verbum Amoris*, debeat aut renuat declinari & inflecti novo ſpiritu dilucidabo. Si impetraro ora attenta, ſic inquam.

Cæſaris ô Magni Soboles: ſi Cæſare dignas
Exoptas Artes noſſe, Magiſter ero.
Tradam Grãmaticã. Si hos diſcis flectere Caſus,
Hæc Tibi præ reliquis Artibus una ſatis.
Sit tibi Rectus AMOR, mellita hæc nomina sũto,
Hoc tibi perpetuo nomen in ore ſonet.
Hinc tibi rectus Amor genitivũ gignet Amoris,
Scilicet à Chriſto, vis ut ameris, ama,
Inde Dativus Amor largo te reddet Amori,
Teq; Deo dat Amor, dat tibi Amorq; Deum.
Mox Accuſativus Amor ſe accuſat Amorem,
Seq; algere putat, quo magis ardet Amor.

Abla-

Ablativus Amor ſpoliis ab Amore receptis,
Sæpè triumphato victor Amore redit.
Iamq; vocativus Ieſum vocat igneus ultro;
O Amor, ò omni major Amore veni!
Hos mea Grammatice, ſi flexeris ordine Caſus,
Tu mihi præ cunctis artibus una ſatis.
Hos ego verſiculos immotâ mente canebam,
Dum jaculo dulci pectora turbat Amor.
Turbet Amor quocũq; volet, conſumar & urar,
Vrar, at amplexus da mihi Chriſte tuos.
Tum lætus moriar, placideq; in fine quieſcam,
Quando finis, eris tu ſine fine meus.
Et nunc neſcit Amor finem reperire loquendi,
Mandat Amor, juſſus verba tenebit Amor:
Verba tenebit Amor? Sed quis frænabit Amorẽ?
Neſcit Amor, remoras, ſemper amabit Amor.
Ille ſuas novit per amica ſilentia voces,
Et loquitur nullo teſte, quietus Amor.
Quare age jã taceo, tacitũq; loquemur Amorẽ,
Auris Amoris, amor; verbaq; Amoris, Amor.

Dixi; nec putaveram me eſſe tam doctum in Amoris materiâ; at experior citò Amorem addiſci, & ubi Spiritus Magiſter eſt, non dari remoras, quæ ſtudia ſincera retardent.

26. ☞ Hic Amor, qui Orthodoxam, quanta eſt, Religionem ſuccollat, dicitur in Scholis *Pia Affectio*, in Litteris Sacris *Timor Domini*, & aſſeritur eſſe Sapientiæ initium, & fundamentum Virtutum ſupernaturalium; nimirùm, Fidei, Spei, & Charitatis: quæ quia ſuos habent Articulos, Caſus, Numeros, Declinationes, Genera, Syntaxeſque, veniunt ſingulatim tractandæ.

Et quidem optimè quidam pius Declamator ut Automata à Solari horologio, Fidem Humanam à Divinâ diſtinxit. Simpliciſſimum hoc & certiſsimum, illa verò multis rotis, circulis & periodis compoſita, multis erroribus obnoxia, vix unquam certa. Sic etiam Fides: ſi divina, ſimplex ſincera & infallibilis; ſi humana, rotis & converſionibus multis obnoxia; jam enim circumvenit, jam circumvenîtur, & dum tot circulos peragit, caret rectitudine debitâ. & veritatem non attingit, undè meritò dictum, *Omnem Hominem mendacem eſſe*. Sed quia Horologii Solaris memini, eſſem avarus, ſi Lectori inviderem elegantiſsimum Philomathi Epigramma, quod Iuveniles Muſæ exhibent numero XVI.

Explorat dum Solis iter, cœliq; labores,
Nec niſi ſub grato lumine vivit opus.
Diſce vias Domini ſignandas paſſibus æquis;
Quod te ſubtacitè muta tabella docet.
Sit ſplendens tua vita decor; quâq; illa recedit
Hâc quoq; te exſtinctum vivere parte puta.

Contemplere, FERDINANDE, Horologium, & tot Te jam momenta devixiſſe intellige, quot illud numerat, & quoniam in Sole tuta fides, & in rotis periclitans; Te totum CHRISTO, Iuſtitiæ Soli, crede; & Fortunæ Orbi, hujus fallacis mundi rotatili Horologio, decrede.

27. ☞ Si Fidei regulas doceri vis, hanc unam excipe. Apud Latinos quinta declinatio eſt facillima, & apud Catholicos multò eſt facilior illa, de quâ agimus. Audi hoc Verbum, & Verbum DEVM Te audire reputa; loquitur enim DEVS per homines, cùm iſti ex DEO divinas veritates pronuntiant. Sic inquam, [In Orthodoxâ Chriſtianorum Grammaticâ indeclinabilis eſt Romana Fides. Caſu & occaſu caret. Quòd ſi nos obnoxii caſibus periclitemur, in omni illa caſu eſt indeclinabiliter tenenda, potiuſq; occidas aut óccidas, quàm patrias cæremonias deſeras.] An-ne Fides, quæ declinari nequit, inflecti poterit? Minimè. Recta enim per eſſentiam, frangi poteſt, flecti non poteſt. Homines fractæ Fidei præter Lutheri, Calvinique ſeveros aſſeclas, etiam aſſeram illos, qui ſerviunt tempori, & medium iter delirantes aut omnia probabilia judicant, aut nihil certum: Fides enim puriſsima Cryſtallus eſt, & vitrum frangi ſolet, at flecti & rugari non ſolet.

28. ☞ Sed quid dicam de Fidei numero? Eſſe unum DEVM Catholicum, unam Eccleſiam Catholicam, unam Fidem Catholicam: In Adulationis gentilitiis ſcholis dari magnos Deorum & Religionum numeros, at Veracitatis Eccleſiam unam eſſe, in eâ unam Fidem haberi, unum DEVM coli. *Domine*, dicebat olim DEO quidam Apoſtolus, *adauge Fidem noſtram*: & modò Hungarici, *Domine Fides noſtras diminue*. Audi, obaudi; Sereniſsime Rex. Quod à DEO exoratur divinitùs, à Te id ipſum poſtulatur humanitùs. Aufer Regni Optimi peſsimas Fides; dantur multa genera Hominum, & Religionum. Alia Fides eſt maſcula, alia fœminea & puſillanimis; alia, neutrum: alia eſt communis, alia ambigua. Præter unam, ſuperfluæ

Digitized by Google

& nocivæ ſunt reliquæ. Aufer, excîde, aut ſaltem minue, quas auferre non poſſis; non tamen ita, ut Fidem propugnaturus frangas fidem: nimiùm enim Eccleſiæ nocent, qui exiſtimant violatâ fide poſſe Fidem ſervari. Centies examinari debet, quod ſemel promittitur; at quod promitti licuit, debebit ſincerè ſervari; aliàs enim ita Fides diminuerentur, ut nulla remaneret fides.

29. Hujus pediſequa eſt Spes. Ei opponitur Timor, & ſi excedat limites prudentiæ lethaliter.

Intra prudentię terminos conſtitutus, *Vermis Conſcientiæ* dicitur; & ita ſolet pungere, ut ſumma prudentia hominibus dementia appareat. Semper mordet, & ni ſpontè inſenſibiles ſimus, debemus morſum ſentire, remedium ponere. Sed dantur Homines & Homines, Sereniſſime Rex, quos ni contrarium ſcirem, ſpecie diſtinctos opinarer: quoniam qui DEI clementiâ excitatur, & qui humanâ malitia ſopitur, inæqualis activitatis eſt; ſunt enim miſeri peccatores ſordibus immerſi, qui ſtrepitum roſoris non audiunt; nec vulnera, tametſi gravia, ſentiunt. O quàm alto jam ſub finem ſomno ille vermis dormiebat in corde Martini Lutheri, quem legimus ingenio ſuo ſcrupuloſum, & genio ad pietatem compoſito, ſibi vim intuliſſe, ut poſſet ſcrupulis carere, & placido ſomno dormire! O quàm vehemens in Theodorico Gottorum Rege Ariano; nunquam dormiens aut dormire permittens! Damnârat inter alios Orthodoxos Symmachum, virum probum & pium; eiq; vermis ſemper ob oculos ponebat ſcelus, & conabatur converſionem & pœnitentiam extorquere. Spontè cæcutiebat ille, nec vermiculi vocem inſonantem curabat. Mordet iſte, non vult ille ſentire ut bene agat; acuit hic dentes, & tamen ille inſenſibili ſimilis morſus cordis non curat. Tandem iſte iraſcitur, illumque caput piſcis comedentem ita turbat, ut caput Symmachi comediſſe ſe exiſtimet; ita mordet, ut & mortem inducat. Certa res eſt, licèt mirabilis & fide major; at DEVS non eſſet quantus eſt, ſi ejus miracula deberet fides naturalis metiri. Summam ipſe Vermi conſcientiæ virtutem addîdit, ut ſceleratum Regem ad virtutem reduceret; ſed ille tametſi debuiſſet malle mori, quàm peccare; maluit Vermi cedere, quàm reſipiſcere. Obiit impœnitens; à conſcientiæ Verme, dum non morderi nequivit, & dolere non voluit, potentiſſimè extinctus. Cujus mirandam & miſerabilem ſuffocationem Num. XXXVIII. Philomathus his verſibus eloquenter deſcripſit.

Quē Getic⁹ furor & vecors magis implet Arius,
Cerne, epulas inter quàm malè parcus habet!
Sanguine Chriſtiadum madidus, ſicco ore Lyæum
Nauſeat, & ſitiens vina liquata fugit.
Torquetur ſecum mens ipſa; ſibi una, ſatelles,
Et reus, & pæna, & Carcer & uncus adeſt.
Dū damna inſontū, ſua crimina pectore verſat,
Et dapibus curas pellere quærit iners;
Dentibus exertis, oculiſq; minacibus, auro
Illuſus lautâ piſcis ab arte natat.
Convivæ riſum capiunt; Rex inde pavorem:
Symmachus, exclamat, ſtat mihi lance minax,
Terruit exſtincti ſpecies; umbratilis hoſtis.
Hunc jugulat, terris qui modò terror erat.
Vſq; adeò & grandes animas, regeſq; ſuperbos,
Cùm Deus eſt vindex, motis imago necat.

30. Diſce igitur, Clementiſſime Puer. Paucos habebis in aulâ Symmachos, illoſq; honore auge, & ſemper in gratiâ conſerva. Quamdiù Viri bene meriti & boni fuerint in gratiâ tuâ, tamdiù in DEI gratiâ eris; tamdiù in Verbo DEI laureas, victorias, triumphos, & nova diademata ſuperſperabis. At ſi, quod DEVS avertat, Robohamo ſimilis, ièris in conſilium impiorum, aut in viâ peccaminoſè ſteteris, aut in cathedrâ pernitioſè ſederis, devives exſpes, ſimilis Theodorico. Sed hoc ipſum non timeo; tantâ enim Te DEVS exornavit Clementiâ, ut Parentem & Avum referas, & ut Germaniæ proſis faveaſq; habenis indigeas, non calcaribus. Spes altera Orthodoxorum es, In Auguſto Parente Tuo ſperavimus olim, quæ in Te, Gnato optimo ſuperſperamus. Sed quid ſuperſperare eſt? Verbo expendam. Sperare eſt habere Spem; adeòq; ſuperſperare, erit habere aliquid ſupra Spem; & cum ſupra Spem ſola reperiatur poſſeſſio, me Iudice, quod in Te ſuperſperamus, poſſidemus.

Igitur ſupra Spē evecti conſideremus Gratiam; Charitatem, quæ ab ipſâ differt mero nomine; & favores, quę ab eâdem promanant. nam divinum auxilium aut eſt diſpoſitiva quędam Charitas, aut diſpoſitio ad Charitatem: cæterùm quidquid ſit, ſummè neceſſarium eſt Homini; eſt enim illud per quod om-

omnia merita facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Converto igitur ad DEVM oculos, & mentem ad cœleſtia ſubrigens, ſic inquam.

Te, Deus, imploro, qui blandè crimina tractas;
Culpa mea eſt ingens, ſed Tibi larga manus.
Audio divinum reſonans in pectore carmen;
Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris.
Fac mihi Te Comitem, præfer Tua lumina, Ieſu,
Cælica, namque ſequi Te ſine Te nequeo.

Sed quid oro? ut in lachrymas ſolvar, & demum convertar in cineres. An aqua in cineres converti poterit? Numero XXXII. Philomathus,

Lympha olim vitæ diviſit mobilis horis,
Iam ſervat gratas mollis arena vices.
Scilicet haud ævi potis eſt ars ludere curſum,
Quin referat, quæ te ſerta damna premunt.
Tempora per lachrymas, monuit properare cadentes,
Nunc properante monet funere quantus eris.

Pulchrè quidem & appoſitè; homo enim finis ultimi oblitus, non monetur quouſq; peccata ſua lugere incipit, & in Clepſydram tranſit, & horas ab horis lachrymis priùs, & pulvere demum diſtinguit. Tanta enim lachrymis innata vis, ut cor adamantinum terant, & convertant in pulveres, quibus etiam tempora & temporis portiones ſecernantur. Nam cùm dentur tempora loquendi & tacendi. ſubridendi & puniendi, omittendi & faciendi, ſumma Regis eſt Virtus ſcire diſtinguere momenta, quæ confundunt homines malememorati. Nec juvat illa diſtinguere ab extrinſeco; diſcretio enim, ut laudabilis ſit, debet eſſe libera & ab intrinſeco; aliàs enim nec eſſet meritoria nec viva. Vt igitur ab intrinſeco diſtinguas tempora, Mi FERDINANDE, eſto Clepſydra, & correſpondens nomini lachrymis præterita tempora exæques; contritione redigaris in pulveres, quibus futura metiaris: ita vive, ut olim nec lugere debeas, nec dicere: *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas, ne memineris.* Intra Grammaticæ Chriſtianæ elementa Te contine: & ſiquidem Coï Apellis ſententiâ nec cœcus de coloribus judicat, nec ſupra calceos Sutor, nec ſupra veſtes Sartor, patere cum dulci Poëtâ dicam,

Nâvita de ventis, de bubus narrat Arator;
Enumerat Miles vulnera, Paſtor oves.

& Te ad Regulas Eloquentiæ, quas ſapis, ſublimem Theologiam edoceam. Hac Arte ſupernaturales illuſtravi virtutes, tranſeo ad Morales.

31. Et inquiro, cur avara Latinitas nomini AER pluralem, & nomini ARMA ſingularem negaverit? Iam olim me torſit iſtud dubium, nec illud intelligere potui, quouſq; incidi in ſelectiſſima verba Innocentii. *Omnis fere vitioſus, ait, diligit ſibi ſimilem; ſolus ſuperbus odit elatum, undè inter ſuperbos ſemper ſunt jurgia.* Hîc attentione indigeo. *Aër* hieroglyphicum Superbiæ eſt; caret plurali numero; quia homo elatus, ut paſſer ſolitarius in tecto, univerſis ingratus cum nemine vivere poteſt. *Aër* igitur careat plurali numero, quia plures ſuperbi ſimul eſſe non poſſunt.

At video: me arguit Aula, quę dicitur multos complecti, Sic vulgò creditur; & me judice Superbiæ exuli ſucceſſit in Aulâ mera Puſillanimitas ſub falsâ quâdam Elationis ſpecie. In Aulâ Superbi non dantur; vel qui contrarium teneas, unum exhibe. Anne Superbus Iulius Cæſar, qui offerenti Pompeio medium Mundum, *Se velle eſſe aut Cæſarem aut nihil*, reſpondit? Sic dicitur; ſed abiecti fuit animi, cùm talia dixit: nam ſi Iulius Orbe toto poſſeſſo Cæſar erat, & non toto poſſeſſo nihil erat, carebat magnitudine intrinſecâ, & totus ipſius valor à meris fortunis dependebat. An-non grandiùs dixiſſet: *Iulius eſt tantus, ut nec Orbis integri poſſeſſione creſcere, nec poſſit integri carentiâ diminui?* Grandiùs quidem clariùſque; ſed quia puſillanimis erat, internas dotes non reſpexit, ſed fuit terram dimenſus. D. Thomæ ſententiâ Materia prima Formæ exiſtentiâ exiſtit, & ſubſiſtit ſubſiſtentiâ Formæ; at eſſet nobilior, ſi propriâ; & hodie in Aulâ multi, qui dicuntur Superbi, Materiæ primæ ſimiles perfectione omni carent. Subſiſtunt Fautorum potentiâ; exiſtunt conniventiâ Principum; volant alienis alis; & quia nobilitate Animi & internis prærogativis

carent, magnitudine alienâ magni ſunt. Habeant pretioſas veſtes, famulos numeroſos, centenos equos, rhedas plurimas, an-ne hac viâ addent ſtaturæ ſuæ cubitum unum? Minimè: nam magnitudo phyſica à multitudine famulorum non pendet. Imò neq; moralis, quia generoſi de moralibus ut de phyſicis philoſophantur. Stat ergo Aulicos fere omnes eſſe Superbiæ impotes, Puſillanimitatiſq; morbo caduco infectos: & ſicut ſitibundus æger ſe decipit extrinſeco ſtrepitu aquarum, ſic & ipſos Majeſtatem ſitire, & ideò famulorum oceanis urbem hac illac inundare, nec tamen ſitim extinguere, aut prætenſam magnitudinem aſſequi.

32. Sed Aulam deſero. Meum me nomen admonet, nam IOANNES CARAMVEL, per anagramma reboat, *Nemo Sacer in Aulâ*. Campum, arenam, ARMA advenio, & cur hoc nomen ultimum non habeat ſingulare, poſtulo. Sed non poſtulo, nam conſpicua res eſt; jurgia enim nec adſunt ubi non ſunt Homines, nec ubi ſunt homines abſunt. Roganti Aniſio. An bene valeret Lyſimachus, illum tranquillè vivere Athenis Aximander reſpondit; & intulit ſtatim Aniſius, *Ergo poſt peſtiferam luem omnibus abſumptis Lyſimachus unicus ſupereſt*; ac ſi ille tranquillè vivere non poſſet, ſi aliis cōviveret. Et colligo, Arma, Difficultates, Iurgia, nec obeſſe homini ſoli poſſe, nec hominum numero abeſſe. Igitur aperi oculos, Monarcha Optime, & quia inter multos habitas, eoſdem eſſe cōcordes & amicos decrede. Ne fide laudanti aut carpenti: reguntur paſſione & affectu; accipiunt perſonas & excipiunt, & dum ſingularum actiones remittunt aut intēdunt, veritati parcunt, & puram innocentiam traducunt: confundunt temporibus tempora, rident cum flentibus, flent cū ridentibus, & omnes actiones immiſcent. Aperi igitur oculos, & tempus à tempore, locum à loco, perſonam à perſonâ, & ætatem ab ætate diſtingue. Hanc tuam, quam auream dicimus, ſuſpectam habe. Tenella eſt, & quæ aut ſuccumbere Regio oneri poſſit, aut debeat invidiam Parcarum experiri. *Hoc anno, hac die, hac horâ valetudine frueris?* Aſſeris. Germano Orbi congratulor; at interrogo, Cur tempus, annus, menſis, dies, hora, momentum in caſu Auferendi ponātur?

33. Hunc caſum adſcribunt temporibus Regulæ Sapientiæ Chriſtianæ. Horæ, dies, menſes, vitæ corrigendæ & formandæ cauſâ conceduntur, & ſi malè impendantur, auferentur, *& tempus non erit ampliùs*. Scias igitur, ſi tempus majoribus negotiis debitum, ſine delectu prodigis, fuiſſe illud auferendum, & impendendum excellentiùs & aptiùs. Sciunt etiam univerſi Mortales, quos devotio fugat, & luxus adlicit, ſe habere tempus in auferendi caſu: à luxu enim quælibet eſt hora auferenda, quælibet levitati neganda, ne tempus morum reformationi deſit.

34. Omnia tempus habent, ſic dixi; ſed Auferendum pleraque, cōcedendum vix pauca; quia plura illicita, & pauciora decētia. Sed eſto, omnia tēpus habeant; non ſequitur; quòd & omnia habeat tempus. Suos ſingulæ arbores fructus emittunt, ſuos efferunt regiones ſingulæ, ſuos ætates & tempora; at Pietatis & Orationis fructus univerſales ſunt, nec cum loco, ætate, perſonâve ſunt comparandi. Hinc eſt, quod nomen SACER Comparationis gradu careat; nam cùm Sanctitas nulli poſſit nocere, collationem univerſam excludit. In militari pulvere cum Agareno & Saraceno pugnaturus luſtra milites, & prudenter expende, an cum decem millibus illum poſſis retundere, qui cum viginti millibus invadit Te. Hîc locus collationi & examini. At in intellectuali conflictu, quando dimicant inteſtini inimici, nihil indulgendum ætati, nec ſuggeſtioni aut paſſioni cedendum, ſufficit enim etiam ferventi & ęſtuanti adoleſcentię CHRISTI virtus, qui non patitur hominem tentari ſupra vires, aut pati & urgeri ſupra animum, ſed dat nivem ſicut lanam, nebulam ſicut cinerem; labores ad menſuram patientiæ, tribulationes ad menſuram conſtantiæ.

35. Et quia in hanc virtutem incidi; utrùm meliùs ſit pati quàm agere, inveſtigo. Et, ut video, primæ leges reſpondent, omnia verba activa caſum Accuſandi præcedere. Video, & doceor omnes actiones noſtras, quæ paſſivę non ſint, eſſe accuſandas. An-ne actiones paſſivæ reperiuntur? Maximè. quoniam dantur directæ à DEO, & quæ jugum excutiant. Paſſivæ & laudandæ ſunt illæ; hæ purè activæ & condemnandæ.

36. Hinc me ſubintelligere exiſtimo etymon hujus nominis PASSVS. Illud à *Pando, is*, aut fortè aliundè Iſidorus diducet; illud ego à *Patior, eris, paſſus ſum*; quoniam, qui pa-

Digitized by Google

patitur, magnis paſſibus currit, ut CHRISTVM præcedentem adveniat.

Qui patiuntur, dicuntur dolere & lugere; gaudere reliqui. Quid ſit *pati* jam vidimus, quid ſit gaudere & lætari videamus. GAVDEO in præſenti verbis activis ſimile, paſſiva in præterito ſequitur; quoniam in hac valle lachrymarum, ubi extrema gaudii luctus occupat præterita gaudia non dantur. Porrò heſterni dolores hodierna gaudia inducunt; & recreatio heſterna, hodie, hodie, dolorem inducit & lachrymas. Dixit Poëta Latinus, *Dulce eſt meminiſſe laborum.* addo ego, *Atque voluptatis eſt meminiſſe dolor.*

37. Dantur dolores & dolores, lachrymæ & lachrymæ: ſuum ſingulæ pretium & ſplendorem habent; ſed ſemel tranſactæ convertuntur; videlicet, ſplendor in lachrymas, lachrymæ in ſplendorem. Lachrymantur in gehennâ, & potenter patiuntur tormenta potentes, qui dum vita maneret, fuerunt ſplendoribus vanè glorioſis præditi: gloriæ lumine amiciuntur in Patriâ, qui in hac valle lachrymarum vitam tenuem & modeſtam egerunt. Suadentq; laudandum fore Nomenclatorem Latinum, qui Verbis LVCEO, ES, & LVGEO, ES (utrumq; enim habet LVXI.) commune Præteritum conceſſit: quoniam tametſi ſtando orthographiæ & declinationis rigori differant *lucere* & *lugere*, non differt *lucſiſſe* & *lugſiſſe*; nam utrobiq; ſcribitur & profertur *luxiſſe*. Debemus igitur prudenter lugere, ut luceamus; quoniam ſi vanè & temerè luceamus, lugebimus.

38. Addam aliquid in lachrymarum ſummam commendationem. Nimirùm: eas ſemper apud Mortales eſſe, ſemper in hac vitâ futuras, nunquam fuiſſe. Et oſtendo. Torquet enim exſpectata lachrymarum occaſio, præſens viciſſim torquet dolor, ſed dolor fletus & contritio ſi tranſeant, dulces ſunt, & mirabili metamorphoſi in clariſſimas meritorum luces, & ſplendores gloriæ transfigurantur. Hanc veritatem jam probavi: & laudo interim Scriptores Latinos, qui in verbo MOEREO cognoverunt Præſens, Futurumque, & Præteritum tempus negarunt. nam habuiſſe moerorem, eſt habere lætitiam; quoniam meminiſſe doloris & afflictionis dulce eſt.

39. Hanc doctrinam diverſis ornatam conceptibus multi Populum monent, nec tamen ſemper utilitatem ſentio; quia Verbum MONEO duos ſemper poſtulat Accuſativos, nec efficaciter conſtruitur, ſi altero caret. Non bene monet, qui linguâ accuſat, quod vitâ approbat; ſed ille unicus, qui culpas bifariam accuſat, videlicet, linguâ & exemplo. Attende igitur, Nove Monarcha, idem omninò eſt regnare & concionari. *Regis ad exemplum totus componitur Orbis, Nec linguam curant Populi, ſed facta ſequuntur.* Habet Antonius Nebricenſis in Lexico. *Perſuademus perficiendo, & ſuademus monendo.* ergo deficientibus exemplo & opere, perſuaſio reperiri non poterit. Omnia ab imitatione dependent; adeòq; ſi puros ſubditos habere velis, purus ſis. Et ſcias ſolum DEVM abſolutè eſſe amandum; Proximum verò poſitâ conditione; non enim in iſto amari debet, quod opponitur DEO. Amare enim quæ DEVS jubet odiſſe, amentia eſt. undè apud Latinos nomina ſunt AMANTI & AMENTI cognata. totum enim diſſidium in primâ vocali conſiſtit, quæ in Amante corripitur, & prolongatur in Amente, quòd Amentia ſit quidam exorbitans & longus Amor, & Amor ſit brevis Amentia.

40. Ergo Puriſſime Adoleſcens, declinato à malo & fac bonum; & ſi hac viâ inquiris pacem, tandem invenies eam. Progreditor de virtute in virtutem: & ne peccatores imitator, quoniam in circuitu impius ambulat; ſemper proficiſcitur, & nunquam proficit; quia pede progreditur Iambo, cùm deberet Trochæo. Nota eſt pedis utriuſq; differentia. Iambi brevia longis præponunt, & brevibus longa Trochæi; & ideò dicimus jambicis pedibus infernum peccatores incurrere, & pios Viros trochæis ad Cœleſtia transferri. Præponunt Peccatores brevia longis, quia terrena cœleſtibus, & caduca perpetuis; præponuntq; Sancti longa brevibus, quoniam terreſtribus empyrea, & temporalibus æterna.

41. Hæc erga DEVM. Erga hominem prima virtus eſt Munificentia. Sed hæc ipſa ſæpiſſimè maculas contrahit. Verepæus lib. 2. pag. 55.

Terno eſt par ſextus caſus pluraliter omnis. quem ſic moraliter expono. Caſus dandi (is eſt ternus) ſi fiat pluraliter, hoc eſt, publicè & in plurium concurſu, eſt ſimilis caſui Auferendi (nempè ſexto) quia qui erogando eleemoſynas gloriam ſolam popularem ſectatur, aufert

aufert meritum,aufert præmium,infert & pęnam ſub DEO, juſto judice,dicturo olim *Recepiſti mercedem tuam.*

Nec ſufficit, ſi plauſûs & gloriæ ambitio naturalis dicatur,ut aſſeratur licita; quoniam in luctâ & certamine conſiſtit meritum, & laus in conflictu conſiſtit. Victoria pendet à Metatheſi, notâ figurâ, ſingula convertente, vi cujus, qui amabat terrena & cœleſtia deſpiciebat, incipiet terrena deſpicere & amare cœleſtia.

42. Metatheſi addo Protheſin;quæ characterem frontibus dictionum præfigit,& mavult *Gnatum* & *Gnarum* dicere quàm *Natum &c.* Aut fallor, aut hac figurâ utebatur ille Angelus,ſimilis DEO, qui in Apocalypſi dicebat,*Nolite nocere Mari,neq; Terra, neq; Arboribus, quoaduſq; ſignemus ſervos DEI in frontibus eorum.* Stat igitur ſolam gratiam, Gentis ſanctæ Populi acquiſiti characterem eſſe quærendam amplectendam;fugienda humana, aut ſaltem minuenda & decircinanda. Id monemur à carmine;nimirùm,[Verep.l.4.]

Corripe Beth Latii,Peregrini extēdere malis.
Sanè *Beth*,nomen ſecundæ litteræ,*Domum* ſignificat; cujus ego correptionem ac productionem ſic intelligo. Æterni DEI æternum Verbum, ſemetipſum exinanivit formamque ſervi accepit, vt Hominem nobilitaret. Ergo Latius, Romanus(Orthodoxus, Catholicus) Redemptorem debebis imitari.Vt facias,Beth propriæ Domûs tuæ corripe, abbreviaq; ſuperfluum apparatum & pompam: *peregrini extendere malis* domum commoditatemque: quoniam ſi te diminuas ut aliis profis,eris ſimilis DEO, quem exinanitum admirati, & benefactorem experti, ſupplici cultu veneramur.

43. Hinc ſolvitur Politica illa Quæſtio, quæ inquirit, Præſtetne Regem pauperem Populo dominari opulento; an divitem Populo pauperi? Variè reſpondent varii;& dum alteri adulantur parti, implicant Controverſiam difficilem. At Tu

Qui vis invictū nomen producere in ævum,
Abbrevia pompam,Populos extendere malis.

Princeps enim,qui imperat diviti Regioni, dives eſt; nec dici debet illum poſſe diteſcere,qui ſubditos depauperârit.

Dum ſe exinanierit Princeps, ut foveat Populos, non patitur Majeſtatis deliquium, nec eclipſin ſupremæ authoritatis. Semel Mercurius Solem obumbrare fuit viſus,& celebris fuit obſervatio: quoniam Mercurius [mentis & rationis eſt ſymbolum] faciem Militis cohoneſtari vulneribus, Picturam umbris,frugalitate Regis Aulam teſtatur.At umbræ, quæ contra rationem tenduntur, Solem maculant & dehoneſtant eclipſi. Hanc cave: nam eclipſatur Luna (Anima) umbrâ Terræ (Peccati.) Sed cur Grammaticè tracto cœleſtia?Cur Eclipſin dixero,quam Ecthlipſin debuiſſem nominare; quoniam inter Ecthlipſin & Eclipſin ſumma eſt proprietatum cognatio.Nomina rerum ſunt ſigna;temporum ſunt ſigna Luminaria. Sol & Luna tot videntur characteres ſcribere, quot radios ducunt, & ideò dum iſti eliduntur,coguntur ſuam ecthlipſin pati. Et dictiones tot radios emittunt, quot litteras,& cum iſtæ obumbrantur, ſua patiuntur deliquia,ſuas æquivocationes, ſuas eclipſes, ſuas tenebras, ſuas obſcuritates.

44. Ad me redeo; quoniam nimiùm effuſus, videor velle totam Metricam Artem tractare: ſed profum Politicis, ubi Poëtica ediſſero; quoniam,

Verſus sūt Homines.Scis undè id colligo? Nāq;
Sunt ſicut verſus plurimi in orbe mali.

Et utinam aliquando nos meliores ſimus, & illos condamus accuratiùs. Sed in memoriam ſubvenit quædam Moralis Regula,quę debet legi & relegi; & ſervire póterit humanæ converſationi reformandæ. [Verepæus lib.4.]

Vltima cujuſq; eſt communis ſyllaba verſûs.
Et meritò: quoniam ultima humani metri ſyllaba eſt mors,hoſtis communis, quæ æquo pulſat pede pauperum tabernas, Regumque turres. Parca per antiphraſin dicitur, quod parcat nemini.Pendit ipſi tributum omnis caro; nec fuit à vectigali libera, quæ unita Verbo.

45. Ergo,Sereniſſime Rex, etiam hîc Te alloquor, cùm Mortis invidentiam urgeo. Etiam Tu,natus es moriturus; & Divos, Majores Tuos,etiam mortales,ſubſequêris;ſemel tantum licet Homini mori;& ſi errat,in æternum peribit.Ne confide Cæſarum Stemmati, centenos Orbis habuit, quorum vix exſtant cineres.Ne confide valetudini & robori,quoniam multos Ioves, Hercules, & Oſirides legimus non eguiſſe Æſculapio, & tamen etiam ipſi perierunt.Ne tandem confide ętatis flori, quo-

Digitized by Google

quoniam in horto formaturi faſciculum, juniores flores carpimus, & Parca nobis ſimilis puellos pulchriores legit. Hæc puta veritas, illâq; Polyarche Sereniſſime, centenis oculis examinatâ,

Vt bene contingat devivere, vivere diſce
Vt bene contingat vivere, diſce mori.

Et cùm adoleſcentes mores Tuos bene formatos aut reformatos videas *Parentheſin*, communem & ignotam figuram generoſus exhorreas. Vidi, qui loquor, multas in moribus Parentheſes, quas juvat breviter dilucidare.

46. Incipio periodum ſcribere, & aliquid offertur notandum. Formo hoc ſignum (, progredior; & cùm meum intercalarem conceptum finii, claudo parentheſin hoc modo). & ſententiæ prioris ſenſum perſequor. Sic nonnulli in medio lapsûs tacti, convertuntur ad DEVM, & brevem pœnitentiam agunt, moxq; vitam ſanctam faſtidiunt, & ut canes revertuntur ad vomitum. Quid dicam? Eorumdem converſionem fuiſſe quandam parentheſin, quæ intercidit malitiæ periodum, quâ clauſâ curſus culparum anterior locum habuit. Hanc converſionem non coronat Omnipotens, nec nos commendare debemus: fruſtra enim aggeribus occluditur flumen, ſi permittitur poſteà fulmen agere; ſi objectas cataractas abrumpere, & totam regionem inundare: & fruſtra valedicitur vitiis, ſi poſt horã ſunt ad gratiã majorẽ revocanda.

Tu igitur, Sereniſſime Rex, ſiquidem tot Naturæ dotes, & tot Naturæ Authori gratias debes; divino ingenio præditus indolis ſuavitati reſponde. Ne genium conceſſum divinitùs macula, ſed Majorum Tuorum, Cæſarum, Regum, Principum veſtigiis orthodoxis inſiſtens, tuere virtutes, vitia regere, & Majoribus Tuis major *intende proſperè, procede, & regna.*

ARITHMETICA.

47 REX ille meus, quem myſticæ Eloquentiæ cognitione exornavi, non poterit carere Arithmeticâ. Doctus fuit ab aliis Mathematicam, Ego Moralem traditurus ſuccedo; & quia mores humani in numero & menſurâ conſiſtunt, Numeros lineaſq; theologicè conſiderabo.

ORATIO III.

In natali Beatiſsimæ Virginis MARIAE.

ARITHMETICA *numeros ſpeculatur; coordinando, aggregando, multiplicando, ſubtrahendo, dividendoque.*

Sic ordinantur numeri: 1.2.3,4,*&c. Iſti* 10.20,30,*&c. ſunt decupli; iſti* 100,200,300, *centupli; & hi* 1000,2000,*&c. tandem millecupli.* 65. *De ciphrâ* [o] *quæ nihil valet, & tamen numeros in infinitum augere poteſt, num.*60.*de centenario. de ducentenario. de millenario.*65.*Stellarum numerus: Perfectionum Virginis numerus; uter major?* 61. *Stellæ ſunt ſicut numeri.* 61. 72.

De Aggregatione Numerorum. *Quid ſit Summam producere*[Hiſp.*Sumar?*]53. *Quæ nam ſit illa creatura, in quâ omnium prærogativarum & perfectionum ſumma? num.*53.54.

De ſubductione Numerorum. *Species phyſicæ ſunt ſicut numeri. De moralibus idem dicendum. Numerum è numero extrahere potes, virtutem à virtute ſeparare vix potes.* Extractâ *Charitate, nullæ manent virtutes vivæ, ſed mera virtutum cadavera.*61.62.

De Multiplicatione Numerorum. 60. 61. *Omnes & ſingulæ Virtutes ductæ in Humilitatem vivam in Charitatemve multiplicantur.*61.62.

De

De Diviſione Numerorum. *Mors eſt diviſio: diviſio mors. 63. qui ſine peccato & errore corpus dividit ab Animo, optimus Arithmeticus eſt.*

VARIA. *Cur Matthæus Sereniſſimam Angelorum Reginam in ultimâ lineâ collocârit? 48. 49. MARIA Salutis exordium. 48. Humilitas omnium virtutum mater, origo, fons, 51. Virginitate nobilior. 50. Viva humilitas non diſtinguitur à Charitate. 61. Superbia & Humilitatis linguæ oppoſitæ. 54. 55. Superbia primi Angeli. 54. Evæ. 55. Humilitas CHRISTI. 54. 59. MARIÆ. 50. 54. 55. 59. BENEDICTI. 55. 59. Sapientiæ neceſſitas. 51. Omnes docti ſunt humiles, omnes ignorantes ſuperbi. Gratia non deſtruit naturam. ſed perficit. David Aulicus, Salomon Scholaſticus, Abdias Militaris, Amos Ruſticus, & Matthæus Arithmeticus. 52. Monetarum & ponderum nomina; Argentei, Aurei, Coronæ, Regales, Imperiales, Scuta, Ducati, Angeli, Floreni, &c. 53. Dies Martiis. 56. Generoſitas non opponitur Humilitati. Poſſunt Heroës adſpirare ad gloriam ſine ſuperbiâ. 56. De Elatione & Humilitate Conceptus deſumptus è re ruſticâ. 57. 58. Honos umbra. 39. Abbas Vicarius CHRISTI. Charitatis præſtantia & neceſſitas. 62. Malememoratus Concionator Cymbalo ſimilis; in quo? Iulianus Apoſtata Cæſar & nihil. Mortis hora quæcumq; eſt. 63. Regibus & Principibus plures miſeriæ & labores adnati: plures conceſſi Angeli, & plures coronæ promiſſæ. 65.*

DOMINE. &c.

48 Feſtivo hodie apparatu noſtra Mater Eccleſia Reginæ Virginis concelebrat Nativitatem. Ornatus templorũ illuſtriſſimus excitat devotionem, Confeſſionem & Communionem frequentantium. Præſente populo enarmonicis numeris chorus verbum bonum eructans, ſalutat Verbi Matrem Angelorum Reginam, & Hominem Imperatricem. *Salutis Exordium* grandi vocabulo eam Sacerdos appellat. Conticent omnes, ut loquatur Sapientia, quæ de primordiis ejus agens, ait, *DEVM poſſediſſe eam in principio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à principio.* Omnes primas laudes & gratias referunt Orienti Stellæ matutinæ. Sequitur Matthæus, & qualis invidiâ maleſuadâ ſeductus Gentiles, Idololatras & ſceleratos Viros illibatæ huic Virgini anteponit.

49. An non ille es Matthæe, qui favores plurimos eximiaſq; gratiæ divinę dotes hujus interceſſione Principis recepiſti? ſanè ingratitudinis non effugies cenſuram, ſi eam parvi pendas, quam DEVS maximi facit; eamq; cui gaudent ſubſiſtere cœleſtes exercitus, ſupponas hominibus malemoratis. An non Davides fuit adulter? Salomon templorum & arcium gentilitiarum conditor? Improvidus Roboamus, &c. & omnes alii peccatores, de matribus nati peccatricibus? Iure ij, an injuriâ Principi Matri anteponendi? nonnè eſſet urbanitati congruentius, & charitati aptius Evangelium à MARIAE nomine ſuaviſſimo inchoare, quàm id remittere ad ultimam lineam narrationis? An non dignius dixiſſes in Evangelii initio, *Liber Generationis Beatiſſimæ Virginis MARIÆ*, quàm in fine *MARIA, de quâ natus eſt IESVS, qui vocatur CHRISTVS?* nonnè meliùs conſtitueretur Dulciſſimæ nomen MARIAE in capite Evangelii, quàm in calce?

50. Vidi aliquando hærentes Eccleſiaſtas & difficultatis preſſos onere varia effugia quærentes. Congruit, dicebat quiſpiam, Patriarcharum Reginam in ultimo loco collocari, ut ipſius innoteſceret profunda humilitas. Hæc omnium eſt virtutum digniſſima, & pluris habenda, quàm Virginitas, pronuntiante Bernardo. *Audeo dicere nec MARIÆ puritas placuiſſet DEO, ſine humilitate.*

51. Non progrediamur ulteriùs. Incertum iter agimus, & cęci per invia diducimur. Eſto Humilitas moralium Perfectionum, ſeu nobilior, ſeu magis neceſſaria, (ita ſentio edoctus à Gregorio, qui libro moral. 27. Eam *omnium Virtutum Matrem originem & fontem* nominat,) ſed Virginem humilitatis gratiâ fuiſſe in calce diſcursûs collocatam non ſentio; Nam ſi eam Humilitas in ultimo conſtituit loco, doceri velim, cujus fuit hæc Humilitas, an Virginis? an Hiſtoriographi? Si Matthæi eſt Humilitas; doceor, id quod ignoraverunt Patres omnes; nimirùm, contemnere Virginem, eam aliis poſtponere, actum eſſe profundæ

fundæ

ſundæ Humilitatis. Si MARIAE; doceor, poſſe humilior vilifieri, atq; impunè contemni, & ſine libertate dari Humilitatis perfectionem. Primum colligo ex eo, quòd Evangeliſta eam ad finem impunè,imò & laudabiliter, remiſerit: ſecundum, quòd inconſultæ Virgini (ut certo certius eſt) fuerit ille locus deſignatus;Ergo aliâ debemus procedere viâ, ut explicemus propoſitam difficultatem, nec novis aliis explicemur. Me ducem, ſi velitis ſequi, pervia nos invitat, & facilis. naturam enim non deſtruit gratia,ſed perficit; non deprimit, ſed elevat; *ſupernaturalis* ideò,& non *contranaturalis* à Theoſophis ipſa appellatur. Eſt vita, ſplendor, Nobilitaſq; perfectionum. Rex fuit Davides, ac proindè eloquentiam percallere debebat: hanc non eliminabat, ſed perficiebat gratia,ut conſtat ex ſuis Canticis, in quibus relucet Vrbanitas ſumma, quam condecorant divinæ & naturales Charites. Sapientiâ maximâ illuſtrabatur Sal omon,nec uſquam majoris Sanctitatis intuitu voluit Libros deſerere;quinimò duce gratiâ ad Hyſſopum à Cedro diſputavit. Eruditiſſimi & Eximii fuerunt Hieronymi, Chryſoſtomi, Ambroſii,Auguſtini,Proſperi,Bernardi, & omnes alii, quos *Eccleſia Patres* Orbis litterarius appellat; & ſi rem bene examinem,aut totus errat mundus,aut ignavi nonnulli,qui delirant, ignorantiam, præponendam doctrinæ, ut vel ſic eſſe magni dicantur.Plenus DEO legitur fuiſſe Stephanus, nec ideò ignorantiâ, ſed Scientiâ; DEI enim ſpiritus, Spiritus Sapientiæ eſt.Optimè pro Lectore ſuo Abbas Benedictinus ex Regulæ ſanctæ præſcripto, *Aufer ab hoc famulo tuo*, ait, *quæſumus Domine ſpiritum elationis & ignorantiæ, ut repletus ſpiritu humanitatis & ſcientiæ intellectum ſacræ capiat lectionis*.Et meritò;videntur enim Superbia & Scientia antipodes; & omnes ſapientes eſſe humiles,ignorantes elati. Nam, ſi ignorantia, doctrinæ & ſapientiæ præponderat;quid contra Hæreticos controverſias ſcribimus? quid ad Indias Regioneſq; noſtro emiſphærio oppoſitas peregrinamur? cur tantos toleramus labores, doctrinam Catholicam prædicaturi, quoniam ſi præſtat ignorantia doctrinæ, cur laboro, omni enim homini ſine labore licet eſſe ignoranti? Quod ſi dicantur utiles labores iſti, temerè Sapientia damnatur.

52. ❧Hac doctrinâ præventi altiùs Genealogiæ divinæ Authore poterimus philoſophari. Publicanus Matthæus in teloneo exigebat communia vectigalia, nec potuiſſet huic miniſterio ſatisfacere niſi in arithmeticis eſſet vir expertiſſimus Relictis opibus, & divitiis extrinſecus, ſequutus eſt vocem Redemptoris. Dotes animi liberales amittere nec debuit, nec potuit; manſerunt illæ igitur; non ſolùm ut gratias altioris ordinis comitarentur, ſed ut à gratiâ perfectionem adquirerent: Apocalypſes enim Prophetarum legimus, & in ſingulis ſtylus profeſſionem ſapit. In Davidis pſalterio regia ſplendet eloquendi Majeſtas; Eccleſiaſtes Metaphyſicus eſt, & quæſtiones Hyperphyſicas tractat: Amos Paſtor & ruſticus Ecclogam propheticam texit,& ad vaccas loquens fulminat contra peccatores; Abdias miles, *Horrentia Martis arma Viriſq; canens*, Apocalypſin explicat, quam de bello Hiſpano & Gallico intelligendam expreſſa nomina harum Provintiarum perſuadent.

53. ❧Non ſecus noſter divinus Mathematicus, Virginis Geneſin expoſiturus in Evangelico, teloneo poſitus incipit Arithmeticè valorem pondus & metallum ſingulorum numiſmatum examinare.

Hic ſunt, ait, tot *Argentei*, nominibus Patriarcharum deſcripti: factâ ſupputatione habent valorem tantum.ſcribo *ad marginem*. Hic ſunt *Coronæ* tot: ipſarum valor tantus, *ad marginem*. Hic *Scuta*; Regum authoritate cauſa, quæ tributant Veteri Eccleſiæ milites bellicoſi; Valor tantus; *ad marginem*. Hic ſunt *Regales* actus quos pendet pietas, & candor Principum; ſunt tot; pretium tale: *ad marginem*. Angli inter aureos nummos babent *Angelos*; & hic tres Abrahamus, alterum Iſac, alium Ioſephus, alios alii exhibent; eſt moneta nobilior; Valor talis; etiam *ad marginem*. Quot duces fuerunt in hac nealogiâ? tot. Ergo ſunt tot *Ducata*. Pono *in marginem*. Quot Virgines ex eodem fonte? paucæ? tot: Ergo & tot *flores*, tot *floreni*, ſcribo *in margine*. Non reſtat aliud? non.

Ducamus igitur lineam; & conjungamus has numiſmatum & monetarum partes.Computemus & dicamus ſic. Tot *Argentei* Patriarcharum; tot *Aurei* Herôum; tot *Coronæ* Regum; tot *Scuta* militum; tot Principum

Regales; *Angeli* tot Apocalypſeon;tot *Ducata* militantium Ducum;tot *floreni* Virginum;tot alia generum diverſorum numiſmata, chariſmata, prærogativæ, dotes, gratiæ, ſi in unam conjungantur ſummam, Summa ex omnibus coaleſcens erit MARIA, *de quâ natus eſt IESVS, qui vocatur CHRISTVS*.

54. Verè ſumma eſt MARIA, & aggregatum omnium illarum perfectionum,quę reperiuntur diviſæ in aliis. Ipſa continet Abrahami fidem,Isâaci gratiam,Iacobi benedictionem,Davidis manſuetudinem, Salomonis ſapientiam, omniumq;aliorum prærogativas naturales & ſupernaturales. Verè omnium creaturarum ſumma concinitur, quæ eſt perfectionum collectio & excellentiarum theſaurus; quæ eſt ut arithmeticè loquar, omnium gratiarum *Summa*. Optimè ergo Matthæus MARIAM in ultimam Lineam ſuæ Genealogiæ ſupputationis poſuit,quia ex Arithmeticæ juratis regulis, SVMMA non debet alibi, quam in ultimâ lineâ collocari.

Hinc jam ſcio, SERENISSIME REX, quid ſit eſſe humilem, quid ſit eſſe infimum, quid ultimum locum affectare.Humilitatis & Superbiæ ſunt diverſa idiomata; & ſi bene res ipſa diſcutiatur, oppoſita. Antiphraſibus videntur uti, & ſententias coïncidere in ſenſus contrarios. *Sedebo in lateribus Aquilonis*, ait Lucifer ſuperbus Angelus, inobediens Spiritus, *ſimilis ero Altiſſimo*, cùm maximè fateri debuiſſet infinitam diſſimilitudinem,& DEO ſummittere divinitùs conceſſam libertatem, Et de CHRISTO magni Concilii Angelo ad Philipp. 2. Apoſtolus: *Cùm in formâ DEI eſſet* (cùm eſſet DEVS, & æterno conſubſtantialis Patri)*non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe aqualem* DEO; *ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem* (ſpeciem) *hominum factus*, *& habitu inventus ut homo*. Et ſubiicit; *Humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis*. Vt videas Divinæ Humilitatis proprium eſſe Majeſtatem exinanire & diminuere; Luciferinæq; Superbiæ ex muſcâ facere elephantem. Ecce ad Humilitatis labium CHRISTVS Dominus in ultimâ lineâ fuit, & ideò in hac myſticâ arithmeticâ quædam quaſi SVMMA & opulentiſſimum omnium gratiarum aggregatum, è quo omnes participamus: quod perſonat idem Apoſtolus, cùm ait: *Propter quod & DEVS exaltavit illum,& donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen* (id eſt, quod eſt omnium perfectionum faſciculus; & complectitur prærogativas omnium Nominum) *ut in nomine IESV omne genuflectatur Cæleſtium, Terreſtrium, & Infernorum: & omnis lingua*(Empyrea,Terrena,& Stygia) *confiteatur, quia Dominus IESVS CHRISTVS in gloriâ eſt DEI Patris*.

55. Ex CHRISTO ad CHRISTI Matrem redeo: & Evæ etiam meminero, ut Superbiam cum Humilitate componam. Aſſentitur Serpenti prima mulier,ſuadet conjugi ut pomum interdictum comedat, *Erimus*, ait, *ſicut Dii*, *ſcientes bonum & malum*. Ecce Luciferi diſcipula, verba Serpentis ebibit, venenum expuit;& inſonât,*Similis ero Altiſſimo*. Sic illa, quia ſuperba fuit; at MARIA, quia humilis, cùm DEI Mater nunciatur, reſpondet, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum*. Servi in Perſonarum ordine ultimi ſunt, imò vix homines politici ſunt, eos enim Iura *nullos* aſſerunt: ideòq; ſe ſervam Virgo & Ancillam adſtruendo, infimam lineam init. Ecce MARIA ad Humilitatis Idioma Ancilla eſt, infima eſt; ſed quid ſignificat hæc phraſis in idiomate Empyreo? Ideò illam in lineâ ultimâ poſitam, quia omnium creaturarum ſumma, hoc eſt, ſuprema eſt, & omnium etiam perfectionum aggregatum & Summa. Hoc idioma comprehendit ſolus DEVS; ſubintelligimus nos; pronuntiat Deipara, quæ ait, *Quia reſpexit Humilitatem Ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*. Igitur Angelorum Regina, quam licuit cum Evâ componere, ut oppoſita juxta ſe poſita magis eluceſcerent, *Ave.Maris.Stella*, es, & nos naufragi ad tuos radios noſtræ vela devotionis dirigimus. Es etiam *DEI Mater alma*; & ſi peregrinorum idiomatum arrideat curioſa expoſitio, *Alma* ad ſanctæ linguæ rigorem, es, Innupta, Adoleſcens, *atq;ſemper Virgo*; & ad Ibéri, *Alma*, terræ Animus, & *Cæli Porta*, Abes? caremus Reginâ, deſtituimur miſericordiæ Matre, exuimur Vitâ, ſpoliamur Animo, privamur Spiritu, dulcedine & ſpe, & tota tellus convertitur în lachrymarum vallem. Fac adſis, quæſumus, & *ſumens illud AVE Gabrielis ore, funda nos in pace mutans EVÆ nomen*.

Al-

Altiſſimis virtutibus condecorata Humilitatem univerſos nos doces,monſtraſq;nullâ aliâ poſſe Hominem viâ omnium virtutum ſummam & aggregatum amplecti, quàm ingrediendo lineam infimæ Humilitatis. Sub Deiparæ magiſterio hanc ipſam veritatem. S.Benedictus perdidicit,& ſuæ Regulæ quarto inter inſtrumenta bonorum operum Superbię carentiam enumerat,ſeptimoq;de Humilitate diſſerit, & ejuſdem duodecim leges exponit:& quia Magno Gregorio teſte,ita vixit ut docuit, ita docuit ut vixit, do verba. *Omni vilitate ſeu extremitate ſit contentus monachus, & ad omnia, quæ ſibi injunguntur, velut operarium malum & indignum ſe judicet, dicens cum Prophetâ,*[*Pſal.*71.] *Ad nihilum redactus ſum,& neſcivi. Vt jumentum factus ſum apud te,& ego ſemper tecum.* Et mox. *Omnibus ſe inferiorem & viliorem non ſolùm ſuâ linguâ pronunciet, ſed etiam intimo cordis credat affectu, dicens cum Prophetâ,* [*Pſal.* 71.] *Ego ſum vermis & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis.*[*Pſal.*78.] *Exaltatus ſum & humiliatus & confuſus.* Et itē [*Pſ.*118.] *Bonũ mihi quòd humiliaſti me, ut diſcam mandata tua.*

Ecce Humilitatis virtute Benedictus infra omnes Humanos numeros in ultimâ lineâ collocatur. Ecce cœleſtis Arithmetica illum eſſe aggregatum & ſummam omnium gratiarum infert. Ecce illi conſonans noſtra ſancta Religio, diebus Martis hebdomadum ſingularum pronuntiat, ad Laudes, ad Nonam, ad Veſperas, *Virum DEI benedictum* fuiſſe florum divinarum faſciculum, gratiarum Summam, & *ſpiritu omnium Iuſtorum plenum.*

56. Sed cur id concinit Eccleſia diebus Martis? Quia Martis nomine bellum intelligit,& ipſa eſt militans,& militia vita Hominis ſuper terram. Quia hæc doctrina in caſtris videtur magis neceſſaria, quàm extra. Amant gloriam & laudem univerſi,& pleriq;ſunt ſuperbi & elati, & inſtructione indigent, ut generosè agere poſſint, quin ſuperbiæ aut gloriæ vanæ ſuſpicionem incurrant.

Sanè ſatisfacere injuncto officio bonum eſt: bonum ita illi ſatisfacere, ut id omnibus conſtet. *Videant opera veſtra bona*, inquit CHRISTUS, *& glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.* Bonum eſt enim omnibus eſſe exemplo, nemini ſcandalo. Ambire præmia meritis congrua generoſum eſt; nec in hoc genere peccati eſt arguenda animoſitas, quæ in proximi damnum non vergit: At ſupereſſe, ſuperſedere, ſupervolare, indipiſci dignitates eminentiores meritis, munia talento nobiliora,coronas capite majores,malum eſt.

57. Egredior urbe & honeſtæ recreationis causâ campos, agroſq; advenio. Arrident lætæ ſegetes & tacitæ multa me docent. Ecce agrum, ariſtis tritico onuſtis divitem, in quo viſa me delectat varietas,perpenſa erudit. Inter ariſtarum æqualium numeroſum exercitum ſunt plantæ aliquæ,quæ eminent, & erecto ſupra univerſas florido capite multitudinem inferiorem deſpiciunt. Turba reliqua deformitatem habet, inęqualitatem non habent. Sunt ariſtæ, quæ dimiſſo capite videntur eſſe modeſtæ & humiles: aliæ, quæ elatæ audentiùs,nolunt caput ſubmittere. Et Ego hac ruſticâ meditatione inſtituor, ut mores Aulicorum ingeniosè deſcribam. Mores Palatini egrediuntur ad campos,& pagani multò cautiores civibus politicas exorbitantias hauriunt. Et ſiquidem in campo ſumus, *ex quocumq;lapide*, vel invito axiomate communi, Mercurium eruamus.

58. Si rem bene conſidero, Aula cujuſcumq;Principis ager eſt,Aulici ſegetes. Nonne in agro omnes illæ plantæ,quæ eminent,& vario florum colore ornatæ aream pulchriorem reddunt,ſunt herbæ inutiles,quæ telluris ſubſtantiam exſugunt, & ſegetibus nocent? Tales ſunt multi in Aulâ, qui ſupra humerum univerſos deſpiciunt;homines peregrini, nec bene de Republicâ meriti,qui ſuis opibus authoritatem manutenent, injuriâ opes? Sed omittamus iſtos; peregrinos enim, cæteroquin pares, ſemper indigenis majoris fierî, experientiâ quotidiana confirmat. maximè; cùm dignitates conferri dignioribus debeant, nec ſemper ſint peregrini digniores. Ad indigenas venio. Scire volo, cur è duabus ariſtis altera erigat, & altera caput demittat? Reſpondent ruſticæ rei periti, elatiores eſſe vanas & leves, demiſſiores divites & onuſtas. Ergo vel ſic doceamur, noſcamuſque, quo debeat modo Homo humilis ab elato diſtingui. Caput grandi conceptuum & ſcientiarum theſauro gravidum,grave eſt,& ideò modeſtum & dimiſſum; & contrà elata Capita ſunt levia,& vacua,quæ, quia gravitate omni carent,apices altiores affectant.

Digitized by Google

59. ❧Vmbra fugientem ſequitur, & honores ſunt umbræ, & qui illos fugiunt Humiles; quoniam ſuperbi venandi honorem causâ prodigunt totam vitam. CHRISTVS humilis fuit, & quia ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, obtinuit nomen quod eſt ſuper omne nomen. Cui enim Angelorum dixit DEVS, *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* MARIA humilis fuit; & quia ſemetipſum exinanivit formā ancillę accipiens dicenſque, cùm renunciabatur Angelorum Regina, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum*; obtinuit nomen, quòd eſt ſuper omne nomen; cui enim unquam Cœleſtium Intelligentiarum dixit DEVS, *Mater mea es tu, hodie genuiſti me?* Humilis Benedictus fuit; ſemetipſum exinanivit Conſularis puer, ſtemmate Cæſareo præclarus; formam ſervi accipiens, ſcholamq; Dominici ſervitii conſtituens: obtinuit nomen, quod eſt ſuper omne nomen; cui enim Angelorum CHRISTI agere vices in monaſterio permittitur, & ipſius vocari prænomine dicente Apoſtolo, *Accepiſtis ſpiritum adoptionis, in quo clamamus, Abbas Pater?* Ergo juxta principia Cœleſtis Arithmeticæ, minutione creſcunt prærogativæ, & decreſcendo augentur gratiæ; quoniam Humilitas omnia minuit, ut augeat.

60. ❧Sed neq; hoc eſt ſingulare attributum Arithmeticæ myſticæ; omnia enim dicta mathematicè poſſunt firmari. Rem dilucido. Sumo calamum & hanc ciphram [o] ſcribo. quantum valet? nihil. & tamen illam unitati ſemel iterum aut tertiò adſcribo, [videlicet, 10, 100, 1000, &c.] & ſignifico, *decem, centum, mille.* Ergo ciphra hæc [o] nihil valet, & tamen unitatem afficiens multiplicat valorem & pręſtantiam Vnitatis adauget. Hæc eadem ciphra Humilitatis nota eſt; adnihilationis & proprii contemptûs character, & tamen, ſi vel unicam virtutem afficiat, illam in decuplum, in centuplum, in millecuplum, &c. auget; quoniam Humilibus eſt gloria cœleſtis promiſſa; accipient enim centuplum, & vitam æternam, millies & pluries nobiliorem omni humanâ fœlicitate, poſſidebunt.

61. ❧Hæc ſunt Humilitatis prodigia; & ipſa, aut gratia eſt, aut ejuſdem proprietas, nòn enim ullum exornat peccatorem viva Humilitas. Sed quia Angelorum Reginæ feſtivitatem celebramus, inquiro, quot ipſa prærogativas habeat? Et reſpondeo ſolum DEVM eſſe, qui in Mariano æthere ſtellarum multitudinem numerat, & omnibus eis nomina vocat. Soli DEO computum hunc adſcribo, quoniam corporei cœli ſydera fortè homo inſtructus opticis inſtrumentis dinumerare poteſt, at Cœli Virginei ſtellas & prærogativas non poteſt. Sumpſit calamum pius quidam & eruditus Author, & ſcripſit,

Quot Tibi Virgo ſunt dotes, tot Sydera Cælo.
& iratus ſubito delevit omnia, & hoc carmen reſcripſit.

Tot Tibi Virgo ſunt dotes, quot Sydera Cælo.
MARIA enim, quot Aſtra Cœlum, tot perfectiones habet; at illud tot ſydera, quot ipſa perfectiones, non habet.

Credidit Ariſtoteles ſpecies ſicut numeros eſſe? an bene non examino, numerum enim coopto numero; hunc duco in illum, iſtum ab hoc ſubduco, & ſi placet per alium divido, vel multiplico, cùm tamen poſſibile non ſit ſubſtantiam è duabus naturis componere, alteram ab alterâ deducere, aut per alteram multiplicare. Sententiam Phyſicam non urgeo, Moralem inſinuo & affirmo, *Omnes Virtutes ſicut numeros eſſe*; nam ſicut Stella Stellam pulchritudine, & Numerus Numerum magnitudine, ſic ſuperat Virtutem Virtus. Sed quot in hoc Parthenio Cœlo relinqueres Sydera, ſi Humilitatis Aſtrum; quot Virtutes, ſi ſolam Charitatem auferres? Nullum, nullam. quoniam ſupernaturalis Arithmetica ita Virtutes Humilitati & Charitati concatenati, ut ſi alterutram auferas, omnes excidant. Si mira loqui videar, producam in medium meum Bernardum. *Audeo dicere*, ait, *nec MARIÆ Virginitas* (addat Devotus alias univerſas Virtutes) *placuiſſet DEO ſine Humilitate*: & quæ DEO non placet, viva virtus non eſt; ergo qui Humilitatem aufert, Virtutes univerſas interimit. Hanc Bernardus doctrinam ab ipſâmet Reginâ didicerat, quę non dicit, *Quia reſpexit Virginitatem, Paupertatem, &c.* ſed *quia reſpexit Humilitatem Ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes.*

62. ❧Firmat conceptum Paulus, qui virtutes & charites prolixè enumerat, docetque eas eſſe præſente Charitate multas & eminentes, abſente nihil. *Si linguis Hominum loquar & Angelorum*, ait, *Charitatem autem non ha-*

Digitized by Google

habeam, factus ſum ſicut æs ſonans, aut cymbalum tinniens. Et ratio ſimilitudinis in hoc conſiſtit, quod æra populos ad loca ſacra convocent, & tamen ipſa foris maneant, & ideò ſint ſimilia peccatori Eccleſiaſtæ, qui Auditores ſuos ad virtutem & cœlum promovet, ipſe verò quoniam non ingreditur virtutis viam, ad gloriam empyream non pervenit. Addit Paulus. *Si habuero Prophetiam, & noverim myſteria omnia, & omnem ſcientiam; & ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, Charitatem autem non habuero, nihil ſum*. quoniam ſi caream Gratiâ, non me promovebit ad cœlos futurorum Præſcientia, non myſtica ſecretorum Notitia, non me omnium Artium & Scientiarum poſſeſſio, non me theologica & ſupernaturalis credulitas; quoniam omnes iſtæ virtutes & prærogativæ vivunt vitâ Gratiæ, & quà vivæ exiſtentia Charitatis exiſtunt. *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita ut ardeam, Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*. adeòque eleemoſyna & mortificatio, ſi gratiâ careant, virtualiter nihil ſunt, hoc eſt, ita ſe habent ac ſi realiter quidpiã non eſſent.

Sic Paulus loquitur, & à Principibus, à Militibus, ab Aulicis, & à ſingulis hominibus audiri deſiderat. Te advoco, Iuliane Apoſtata; tuam ego Cæſaream Majeſtatem & gloriam, tuam potentiam, tuos exercitus, victorias & triumphos enumero, Aut Cæſar aut nihil eſſe volebat Iulius, tu utrumq; fuiſti, hoc ultimum æternùm eris; quoniam Cæſar eſt, qui Populo Romano imperat; nihil qui eſt ſuarum paſſionum dominus, ſed caret gratiâ. Potentiſſimus eras dum viveres; & quia potentes potenter tormenta patiuntur, potentiſſimè pateris, & æternùm patieris. Vos adlego Cæſares, Reges, Principes, quotquot infernus occipit; quid eſt laurus, corona, cydaris? quid ſceptrum? quid purpura? nihil, nihil.

63. ☞Et Tu, SERENISSIME REX, aperi oculos, & hoc Nihil! accuratè conſidera, quoniam hujus Nihilî conſideratio nihil non eſt. Homo es, natus de muliere, & multis miſeriis oppreſſus. Condemnatus es capite. Vltima eſt pronuntiata ſententia, & horis ſingulis ad Mortis theatrum appropias. Horas ſingulas arguo, nullam excipio, omnes enim in perditionem tuam conſpirant. *Prima, quæ vitam dedit horâ, carpſit*; & reliquæ primæ ſunt ſimiles.

Plura dicerem, ſi prudens non eſſes; at pauca ſapienti ſufficiunt. Hæc eſt moralis Arithmetica, quam non potes neſcire. Vita ipſa, pretioſiſſimum donum, conceditur in pondere, numero, & menſurâ. Omnia momenta vitæ tuæ ponderata ſunt, omnia enumerata, omnia emenſa, & ſiquidem Arithmeticos agimus; An-ne aliquid ſit in numerariâ facultate, quod non expoſuerim, inveſtigas. Numeravimus; Numeros ad ſummam reduximus; eoſdem multiplicavimus, & ut video ſola ſupereſt exponenda Diviſio: quam ad finem Orationis remiſi, quoniam finis hominis diviſio eſt, & hominis diviſio eſt finis.

64. ☞Optimus Mathematicus fuit Paulus. Cœlos, quos nos conſideratione tranſcendimus, ipſe veriùs inviſit; terras diſtantes peragravit; & tandem poſtquam labores ſuos numerârat, & ad ſummam reduxerat; poſtquã illos novis expeditionibus auxerat & multiplicarat; ad Diviſionem venit, inquitque: *Volo diſſolvi, & eſſe cum CHRISTO*. Ecce hæc eſt Arithmeticæ humanæ Regula, quam vitare non poteris. Si vis, morieris; etiam morieris, ſi non vis; nec expectabitur conſenſus tuus, nec tua voluntas requiretur. Tametſi integerrimus ſis, dividêris in partes, credêris pulveri, convertêris in cineres. Fac, igitur virtutem ex neceſſitate; ſic procede, ut omnia tua oſſa dicant, *Domine quis ſimilis tibi?* ut omnes tui articuli & membra (cogitationes & operationes intelligo) *Volo diſſolvi, & eſſe cum CHRISTO*.

65. ☞Nec ſum ego unicus, qui has arithmeticas diviſiones cõmendo. Inter alios quidã junior & pius Scriptor [Arnoldus Cathius S.I.] aſceticam & doctã paraphraſin in Canticũ Cãticorum compoſuit, & Sectione ultimâ de Hominis diviſione & Animæ à Corpore ſeparatione differẽs, empyreã expẽdit Arithmeticam, & his verbis ſuũ intẽtum proponit. *Sulamitis reddit ultimam rationem villicationis ſuæ, & transfertur in gloriã*. Et ſtatim illa verba Capitis 8. 12. *Vinea mea coram me eſt; Mille tui pacifici & ducenti his, qui cuſtodiunt fructum ejus* (quæ videntur eſſe ſimilia his, *Centuplum accipiam, & vitam æternam poſſidebo*) exponit, aitque. [Denarius numerus plenus eſt, Centenarius maximus, at verò Millenarius

tantus,

Digitized by Google

tantus, ut omnem exiſtimationem ſuperet. Tanti eſt divino ſervitio in hoc mundo gnaviter inſudaſſe. Numeri autem ratio conſtabit,ſi advertas ex agri fertiliſſimi culturâ fructum centenarium recipi, qui in te duplicatur, quòd qui bene præſunt duplici honore digni habeantur.] Sulamitis Sponſa DEI eſt, quo nomine Sereniſſimam Angelorum Reginam intelligit Chriſtiana devotio: illa omni gratiâ plenâ horum numerorum Centupli, Ducentupli, & Millecupli meminit; ut nos inſtruat Superiores ſicut nec carent onere, ſic nec carere honore proprio. Privatis Divis corona empyrea & præmium centuplum promiſſum eſt. Divis Principibus, quia ſimul oves ſunt & paſtores, obediunt & imperant, duplex Angelus in terris ad cuſtodiam conceditur, duplex in cœlis corona & ducentuplum præmium permittiur. Vndè & Tibi multis coronis augurato,præter privatum & perſonalem Genium,multi aderunt Spiritus Regnorum Præſides,ut Te juvent & dirigant; & qui eras privatæ vitæ merito centuplum accepturus, ſi ſanctè & piè habenas decem Regnorum moderereris, millecuplum, imò & ampliùs, accipies, & vitam æternam poſſidebis.

Macte igitur animo GENEROSE MONARCHA; ita humano coroneris honore, ut diſponaris ad divinum. Omnia terrena, ſi non referantur ad empyrea, ſunt fumus, umbra,vanitas, verbo ut abſolvam, Nihil. Hanc veritatem mente ebibe, hanc ob oculos retine,& DEO auſpice,fortunâ comite.Eccleſiæ & Orbi multis annis victurus, *intende proſperè, procede & regna.*

DIXI.

GEOMETRIA.

66 NOtum eſt diſcretæ & continuæ Quantitatis diſcrimen; quam ob rem qui bene percalluerit Arithmeticam. Geometricam ignorare non poterit, Neutrâ carere poteſt hac rerum tempeſtate Princeps, nam deficiente alterutrâ corrueret Ars militaris, utriq;innixa. Id autem inſinuaſſe ſufficiat; non enim ego Terras; ſed Cœlos numeris & lineis emetior. Alii demiſsè ſcribant; alta ego ſpeculor; DEVM contemplor, & his verbis ad FERDINANDI IV. bene inſtituendum Regium Animum ejuſdem auxilium imploro.

Conditor ô Mundi, Cæli ô ſuprema Poteſtas,
Vt te comprendat, Mens mea, mente caret.
Tantus es, Euclides quantum deſcribere neſcit;
Et talis, qualem neſcit Ariſtoteles.
Immenſus DEVS es, quia ſcilicet omnia menſus;
Innumerabilis es, unus enim DEVS es.
Hic Puer umbra Tui, verùm quia Maximus es Tu,
Eſt hac eloquio grandior umbra meo.
Ipſius, ut formare queam ſermone juventam,
Eſt tua ſcripturo lux mihi ſola ſatis.

Et hinc novos concipiens animos,Regem meum,ætate puerum,prudentiâ ſenem alloquor; eumq;ad ſequentem Orationem invito.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO IV.

THEMA. Memento Homo quia pulvis es, & in cineres reverteris.

GEOMETRIA. *Telluris menſura.68. dividitur in Mathematicam, Myſticamque.67. 68. qui illâ carent, Divinum Philoſophum audire; qui hac, DEVM videre non poſſunt. 67. Dimenſiones humanæ.69. longitudo, latitudo, profunditas.68.71. Corpus, figura, punctum.70.71. Dimenſionum abſtractio.72.exinanitio.73.74.*CHRISTVS *punctum.Paulus punctum.75. & nihilominus, Omnibus omnia.69.* CHRISTVS *myſticæ Matheſeos Magiſter.69.70. Moralis Arithmetica & Statica. 68.* Pàn *DEVS,* Pân *omne. 69.*

VARIA. *Inſcriptio Empyrei. 67. Homo terra. 68. 69. Anima juſti eſt quodammodo DEVS, adeòq; omnia. Anima peccatoris eſt quodammodò nihil. 69. Multi ſunt in inferno, qui claruerunt miraculis.* Deſalmado *quis? 71. Aurum coronatum.76.Rex miles.Rex paſtor. Oves verſicolores. Debet vitam Paſtor ponere pro ovibus.68. & eſſe moraliter punctum. 75.* CHRISTVS *coronatur ſpinis: & ejuſdem exemplo* FERDINANDVS I. II. III. IV. *num.76.77. Omnis homo ſuos nævos habet: & ſanctus habetur, qui leves.75.*

DOMINE &c.

ACADEMIA dicta fuit olim Divina Platonis ſchola (malo Platonico *Divina* dicere, quàm Platonem *Divinum*; ejus enim opera divina ſunt, & tamen ipſe ſanctus & divinus non eſt.)

67. Erat, inquam, Academia, Athenienſium Schola, in quâ Plato divinas dictabat Ideas; Aula digna tanto Philoſopho; notabilis hac inſcriptione, NEMO INTRATO IGNARVS GEOMETRIAE. [Ita poſt alios Beſſarion *in calumn. Platonis libr.2. c.2.* Ioannes Gramm. *in lib.* 1. *Phyſ.text.* 45. Conimbricenſes *in Phyſ.*] Ingredi hanc Platonicam Scholam volo, & regeror; Geometriam neſcio, nec Ageometræ in ea admittuntur. Oculos ad DEVM & Cœlos elevo, Homineſq; acceptionis Perſonarum incuſo. Sed teneor. CHRISTVS eſt Divinus Philoſophus: Cœlum Divina Schola; in quâ totus DEVS; nec tamen imperitis patens. Habeo ob oculos ipſum Empyreum, quod fuerat multis ſœculis clauſum, jam tandem apertum à CHRISTO, generis humani Magiſtro, ut Geometræ videant DEVM intuitivè, vel ut Sacræ Litteræ loquuntur, facie ad faciem. Sed nec Inſcriptione Empyreum caret. In nubibus Iride diſtinctis hanc lego; NE HVC EXPERTES GEOMETRIAE ASSVMVNTOR. Ergo, ſiquidem nemo Ageometra Cœlos ingreditur, & omnes nos illos adire volumus, hanc omnes eminentem Scientiam neceſſariò debemus aſſequi, ut digni efficiamur promiſſionibus CHRISTI.

68. Terreſtris eſt Geometria, quam debemus addiſcere; *Homo enim terra eſt, & in terram ibit*; & hoc ipſum, quod in numero, pondere, & menſurâ conſiſtit, à tribus Facultatibus conſideratur; Arithmeticâ, Staticâ, Geometriâ.

Numerent alii ſydera; alii regiones & provincias metiantur; irrequietus & pertinax eſt uterq; labor, & qui ſæpè poſſit utiliùs & prudentiùs omitti; nimis alta illi ambiunt, iſti ſunt nimiâ vilium rerum tenuitate contenti: Tu vero, SERENISSIME REX, *Gnothi ſeavton*, Noſce teipſum, *Enumera Miles vulnera*, *Paſtor oves*. Hæc porrò notitia pondus habet, & Statica Ars, quæ illud examinat, Empyrea eſt. Hęc eadem habet longitudinem, latitudinem, & profunditatem; & Geometria, quæ illas diſcutit, Viatori tam neceſſaria eſt, ut ſine illâ ad Cœlos pervenire non poſſit. Qui hac notitiâ carent, arcentur; & qui illâ inſtructi, introducuntur. Inſtituere igitur, & inſtruere MONARCHA OPTIME. Miles

es,

es,numera vulnera: & quia Paſtor es,numera oves. *Gnothi ſcauton.* Teipſum, & in Te mediatoris obligationes Regias. Paſtor es, oves habes; nigras, candidas, hæreticas, Catholicaſque. Singulas ſcire & protegere debes; ne vellera ſolùm curare & tondere dicaris. Protegis oves orthodoxas, cùm impedis ne labantur in hæreſin, hæreticas, cùm ad Fidem orthodoxam reducis.Singulę paratę ſunt animam pro Te ponere; ut Tu ſtrictiùs & ſeveriùs tenearis. Numera igitur, Nove Miles, Domûs Auſtriacæ, vulnera,quæ pro Eccleſiâ recepta;metire cor,quod plura ſitit,ad utrūq; paratum; nimirùm,ad triumphandum hæreticos, aut ad moriendum. Dum ſic numeras, dum ſic metiris, illas exerces Scientias, quas in triumphaturo quoquo Principe Civitas Empyrea requirit.

69. Sed quis Te hanc Myſticam Geometriam docebit? Ego? Minimè. magiſtro enim indigeo, libentiùſque calamo excipio, quàm dictio ab alijs excipienda,ſecuriùs pendeo ab ore alius,quàm alios à meo dependere permitto.Cęterùm,cùm me nihil ſcire ſcio, aliquid ſcio;& cùm propriam conteſtor ignorantiam, mihi ignotus non ſum; & ſi me cognoſco, propriæque mentis impotentiam dimetior, illamque cum argumenti excellentiâ compono, terram metior, atque adeò etiam Geometra ſum; mea enim mens terram ſapiens, eſt terra. Aſſerit Ariſtoteles *Animam quodammodò eſſe omnia*,quia omnia cogitans, in omnia & ſingula intentionaliter converti ſolet. Suas difficultates patitur hæc doctrina intra Phyſicæ terminos, at reducta ad mores videtur omninò admittenda. Anima juſti,meâ ſententiâ, omnia eſt; & Anima peccatoris nihil; vel ſi aliquid, non cœlum ſed terra. Iuſti Anima profectò eſt omnia; nam Paulus juſtus erat,& *Omnia omnibus* erat;cœco oculus,manus manco, pes claudo, patria exuli, ſolamen afflicto, favor pauperi. Iuſtus per gratiam,per participationem, per contemplationem quodammodò DEVS eſt, & DEVS eſt omnia. *Pân* dicitur, quod *Pân* ſit,id eſt,omne. Opponitur juſto Peccator, ut Omni nihilum, quoniam peccatum eſt quoddam activum nihilū, quod Animam in nihil convertit, Si omnia habeam,dicente Apoſtolo,& tamen Charitatem non habeam,nihil ſum. Et hoc nihilominus Nihil reperitur in Homine, qui terra eſt, & in terram tranſibit.

Iam video. Hæc doctrina Te rapit,& penitiùs edoceri deſideras. Tibi congratulor, & meam ego tenuitatem excuſo.Te docere non debeo, ſed potero ad Magiſtrum nobiliorem conducere:quoniàm

Vox mea menſuris deſiderat è tribus unam;
Lata ſatis,nimiū eſt lōga,profunda parùm.

Te igitur,& Tecum Homines bonæ voluntatis(his ſoli ſcholis perfectionis ſunt apti)conduco ad CHRISTVM, Eximiæ Geometriæ Magiſtrum,clemētem,pium:qui nemini claudit Scholam, qui aſcendit Veritatis cathedrā, & totam ſuam doctrinam ad hanc legem reducit, *Diſcite à me,quia mitis ſum, & humilis corde.* Diſcite omninò; non Cœlos condere, non Stellas formare, non Elementa ſublunaria diſtinguere; non regere Planetas, & miracula facere; hæc omnia æſtimantur minoris; ſunt enim,qui ultimâ die dicturi;*Nonne in nomine tuo Dæmonia à corporibus obſeſſis proſcripſimus;rerum curſum invertimus,& verbo unico Naturam vicimus? Nonne ſumus diſcipuli?* & tamen audituri,*Neſcio vos.*Diſcite igitur à me ſupernaturalem Geometriam; diſcite quid ſit Terra, quia Terra eſt Homo, & in Terram tranſibit.

70. Et meritò ſe reponit CHRISTVS; quia cùm DEVS eſſet, ſemetipſum exinanivit, ut homines humiles faceret. Vos divites, Vos ambitioſos, Vos laſcivos, Vos guloſos, Vos iracundos alloquor;exinaniri neceſſe eſt, ut ſervorum accipiatis figuram,& ſitis transfigurato CHRISTO ſimiles.

71. In Mathematicâ Geometriâ, enumerat Euclides [Punctum,] lineam, Superficiem, Corpus. & omnes iſtas ego in Homine dimenſiones reperio.Peccator quicunq; Corpus eſt. *Deſalmado* illi apud Hiſpanos nomen, quod exanimis ſit, virtualiter ſolo corpore præditus, animâ carens; hoc eſt,ita vivens,ac ſi animâ daturâ rationem DEO careret.Sciat igitur hodie,hoc corpus,quod curat,quod ſaginat,quod ungit,quod ornat,quod honorat, eſſe pulverem, & debere tranſire in vermes. hanc animam,quæ terrenis inhæret, non poſſe ſordibus emergere, ni jubeatur contritionis ſupernaturalis vi, in cineres pœnitentiæ tranſire.

72. Peccator corpus magnum eſt, omni ipſe dimenſione carere debet, nulla caret. Eſt longus; eſt latus; eſt profundus; eſt altus.

Lon-

Digitized by Google

Longitudinem ob oculos concupiſcentia repræſentat; quæ omnes agros percurrit, & in remotiſſima ſe inſinuat, ut voluptati ſatisfaciat. Ratio, luçidiſſimus Microcoſmi Sol, ſuum habet emiſphoerium, ſuum horizontem, ſuum crepuſculum: & tamen Concupiſcentia Rationem deſerit, abutitur Naturæ lumine, Rationis terminos (horizontes, finitores) excedit, & init peccatorum regionem, Rationi antipedem. Latitudinem laxa conſcientia, & rerum divinarum neglectus præ ſe fert. Altitudinem prodit Superbia; Profunditatemq; morum corruptio; corpus enim quod corrumpitur, aggravat Animum, & rerum terrenarum ſpecies deprimit ſenſum, mentemque, quæ deberet alta & ſublimia cogitare.

73. ☞ Incipiamus igitur exinanire hoc Corpus, illudq; à dimenſionibus his omni dimenſione carentibus abſtrahere. Abſtraho Superbiam, & ſimul morum corruptelam abſtraxero; quoniam lues, quæ vitam moreſque univerſos corrumpit, Elatio eſt. Hujus abſtractionis virtute exinanire ſe debet homo: exuat corpus, & carebit altitudine & profunditate. Tunc corporeus non erit, nec tamen ideò probus erit. Manebit longus latuſque, hoc eſt, ſuperficialis; quales ſunt multi in Orbe, qui nec alta ſapiunt, nec ſectantur humilia, & quia tamen videri eximii volunt, ſunt boni ſuperficie tenùs. Hos CHRISTUS *Sarcophagos dealbatos* appellat; hoc eſt, exterius candidos, interius putridos, & vermibus ſcaturientes.

74. ☞ Abſtractâ latitudine remanet longitudo, abſtractâ ſuperficie linea. Superficialem igitur Hominem exinanio, & latitudinem univerſam præſcindo. Quid remanet? Homo, Linea. Mors *eſt ultima linea rerum*, & Homo linearis, ille quem *Mortalem* vocabulo notiore dicerem. Sanè Mors in Mundum per peccatum ingreſſa; ſcelerum ſtipendium eſt & facinorum comes. Homo igitur longus, peccator eſt, qui terminos præfixos excedit: carebit exceſſibus ſi longitudine. Et tunc qualis erit, ſi culpis & exceſſibus careat? Homo, Punctum: nimirùm carens longitudine, latitudine, altitudine, & profunditate.

CHRISTUS in hac ſupernaturali Geometriâ fuit omnium perfectionum & virtutum exemplum. Punctum fuit; carens omni longitudine exceſſuum, omni latitudine relaxationis, omni altitudine elationis, omni ſuperbiæ profunditate, & gravitate. Punctus fuit, in vitâ, in paſſione, & in morte; cogitatione, verbo, & opere; deſpectibus, injuriis, cruciatibus: flagellis, ſpinis, clavis, haſtâ. Ergo, ſi hæc doctrina nos pungit, ſimus Puncta. Linea eſt fluxus Puncti, & offendit ſine linea, ſine exceſſu id moveri non poſſe; ergo ſi ſemel ſimus Puncta, hac erimus prærogativâ præditi: adhærebimus DEO, quia adhærere DEO bonum eſt: & quia lineæ eſſe nolumus, & ſine lineâ moveri non poſſumus, ab illo nunquam amovebimur.

75. ☞ Punctum erat Paulus; ad punctum ſervabat legem DEI, & ſecuriſſimè dicebat. *Quis me ſeparabit à Charitate CHRISTI?* Fames, perſecutio, nuditas, gladius? Minimè: punctum enim ſum, & DEI gratiâ ſubſiſto, & quia indiviſibilis ſum à gladiis vulnerari non poſſum. Timeant divites ne nudentur injuriâ; pauper fures & prædones non timet. Exultat vacuus coram latrone viator, & ego omninò nudus, nudari non valeo. Puncta cibo non indigent, & ego quia Punctum ſum & divinitùs foveor, non curo famem. Nemo poteſt me perſequi, ſi pati volo: & ego in votis habeo vitam pro CHRISTO ponere, quia mori lucrum. Stat ergo me immobilem eſſe, & à CHRISTO ſeparari non poſſe.

Hæc Paulus, SERENISSIME REX; paucis multa, & quæ juvare omninò poſſint. Audis in Aulâ longus, latus, altus, profundus; ſic Adulatio loquitur, & ita Te aſſentatrix imaginat, ut à teipſo cognoſci non poſſis. Aperi teneros oculos, NOVE REX; vide obſecro, an virtutum ſpecioſo vocabulo imperfectiones tuas Paraſitus occultet? Fortè illa, quæ Longanimitas dicitur, eſt temeritas aut prodigalitas; Fortè illa, quæ Cordis latitudo vocatur, eſt conſcientiæ neglectus. Fortè Celſitudo aſſeritur, quæ deberet Elatio; fortè Gravitas celat Superbiam; & Ingenii Profunditas caret rerum neceſſariâ notitiâ; & ut verbo omnia colligam, fortè tota hæc Majeſtas, quam amplectimur, hæc Altitudo quam ſuſpicimus, hæc Suavitas quâ rapimur, hęc Humanitas quam veneramur, mobilis eſt, & radices non habet. Quid ſcio? Septies in die cadit Iuſtus; & ego ſcio ſaltem in Te leves aliquas imperfectiones eſſe: (ſiquis enim dixerit, Te omnibus etiam levibus carere nœvis, univerſos ſeducit, & veritas in ipſo non eſt.) ſed

Digitized by Google

quia nubeculas iſtas non percipio, venerabundo obcœcatus amore, in ſpecie non corrigo. Verbo dico. Eſto qualis mihi videris, & eris optimus, ſimillimus Majoribus Tuis. Sed quia ex Virtutum radice dubium tetigi, claudo diſcurſum expoſitione ejuſdem dubii.

76. Te ſpeculor auro coronato redimitum, & auri ejuſdem ornamentum contemplor. Corona tua decem coronatur coronis, & ſe mutuo nexu coronant vinciuntque, quæ tua tempora cingunt. At omnes coronarum radii, omnes ſurculi, omnia folia ſurſum emergunt. Converto ad CHRISTVM oculos, & eum ſpinis coronatum reperio, ſpinis nempè, deorſum tendentibus, & caput divinum terebrantibus. Diſce à CHRISTO. Coronæ Principum, qui CHRISTVM non ſequuntur, onerant, ornant, honorant, & ad laborem improbum & meram vani-gloriam conducunt. At Coronæ cœlitùs datæ non carent ſpinis, tribulationibus, difficultatibus; caput pungunt, tempora terebrant; & ſi fortè permittantur aut putari aut diminui, radices in caput profundiores immittunt. Attento & ſedato animo hanc doctrinam aſſequere, & ex eâ infer FERDINANDOS Primum, Secundumq; Avos Tuos, coronatos à DEO, quoniam non auro, ſed ſpinis. Hercules fuere; quorum labores ſi duodecim numeres, pauciores numeres. Spinea fuit illa cydaris, quæ viſa laurea; ſed ſinguli hodie ſcrupuli, ſingula vulnera, ſingulæ curæ, ſingulæ expeditiones, ſingula pericula & jacturæ, laureis ſingulis in empyreo coronãtur. FERDINANDO utriq; ſucceſſit Auguſtus Parens Tuus, ſicut Pietatis, ſic etiam Spinarum, Scrupulorum, & periculorum ex aſſe hæres; qui poſt longam bellorum hyemem, terræ inclementias cœli favores judicat, & Ver pacis fugitivũ exſpectat.

77. Æquo animo, ſicut Coronas, ita & ſpinas accipe, oportet caput penetrent ut firmæ ſint; oportet immittant radices in verticem, ut indè amoveri non poſſint. Pati propter Fidem Catholicam, propter defenſionem Iuſtitiæ diſce à Parente, diſce ab Avo. Læti & hilares revertebantur à Concilio Apoſtoli, quoniam digni ſunt habiti pro CHRISTI nomine contumeliam pati; ergo lætare APOSTOLICE REX, quod hinc, indè; à Saracenis, Agarenis; Arianis, Neſtorianis; VVicleſſianis, Huſſitis; Evangelicis Reformatis; & aliis innumeris Orbis Chriſtiani peſtibus invaſus, pateris quæ ſuperant fidem, ne Fides Orthodoxa patiatur.

Perge igitur, OPTIME REX, & novus Geometra terram totam tuarum virtutum radio, & pietatis ſtudio dimetiaris. Tibi ſubige ut ſubigatur CHRISTO; & ſiquidem Radio Iacob (zelum, pietatem, & generoſitatem ſubintelligo) uteris, oro DEVM ut poſt ſeras olympiadum periodos uti Iacobi ſcalâ, indipiſci coronam empyream permittaris. Adnuet meis votis DEVS; & Tu interim animo pacifico inter bella, tranquillo inter procellas, ſecuro inter pericula, & fideli inter Schiſmata, *intende proſperè, procede & regna*. DIXI.

De Quantitate & ejus diverſis dimenſionibus, plures Conceptus addo inferiùs in Oratione Metaphyſicâ; qui debuerunt eò poni propter categorias, quæ conceptum Quantitatis involvunt.

LOGARITHMICA.

78 ARs eſt nova, & quæ reddat illuſtre noſtrum ævum. Inventa ante annos paucos à Nepero, poſteà à magnis ingeniis promota, hodie, miraculis eximiis clara. Fundantur hypotheſi; nimirùm, *Summum Numerum, nihil eſſe ſupponens procedit ad minores nihilo*. Rem exemplo dilucido.

Numeri natur.	10000.	5000.	2500.	1250.	625.
Logarithmi.	0.	1.	2.	3.	4.

Ecce; ita numeri artificiales (hi ſunt, qui logarithmi dicuntur) cooptantur naturalibus, ut maximo nihil correſpondeat. Vide num. 689.

Hoc fundamentum Neperianum multa moraliter ſpeculaturo cognoviſſe ſufficiat, qui Artem ipſam ſcholaſticè ſcire voluerit, legat. Authores, qui illam ſcriptis illuſtrarunt.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO V.

De Converſione D. Pauli.

LOgarithmica eſt quædam artificialis Arithmetica à paucis annis inventa. à quo? num. 78. 79. 90. Quid Arithmus? quid Logarithmus ſit? 79. An Paulus lapidibus obruerit Stephanum? 80. Decrementis propria volũtatis creſcit Divinus Amor. 80. 89. Hieroſolyma interpretatur Viſio pacis. Damaſcus Effuſio ſanguinis. 81. Paulus cadendo attollitur. 81. 83. 84. Lux loquitur. Lux auditur. 82. Articuli Fidei Principiis Scientiarum certiores. 82. Paulus ex lupo agnus. 84. Humilitas cum Superbiâ componitur. Succreſcendo decreſcitur. Mercium raritas adauget pretium. 85. Secreta Fidei videntur. 86. Paulus excæcando viſum reſtituit. ibid. Infirmitas firmat. Gratiæ negatio gratia nonnunquam eſt. 87. Pax non ſemper bona. 88. Aqua S. Ioannis, qualis? Prædicantes. Reformati. Monaſterienſia Comitia cum Diſembergenſi Monaſterio collata. 89. Summus numerus [verbi gratiâ, 10,000,] logarithmicè eſt [o] nihil. num. 84. 88. 90. Nuncius Apoſtolicus inter Legatos ſummus Numerus. Legati Cæſaris, Regum Hiſpaniæ & Galliæ. 91. Luſitanorum, Caduceatorum varii Genii & Ingenia. Cauſa univoca & æquivoca. 92. Religionis concordia. 93.

DOMINE. &c.

79 TAmetſi inter Arithmeticam & Logarithmicam ſumma varietas ſit, ſumma etiã ſimilitudo reperitur; tanta, ut ſi diſcutiatur bene, multum prodeſſe poſſit. Rem perſtringo. Objectum Arithmeticę eſt ARITHMUS, *Numerus naturalis*; Logarithmicæ verò LOGARITHMUS, *Numerus ſupernaturalis*, quo creſcit ille, hic decreſcit, & contrà; ut diſcamus Corpus eſſe Arithmum, Animam Logarithmum, tantumq; iſtam decreſcere, quantum illius cultus ſuccreverit. Appoſitiſſimum hujus doctrinæ exẽplum nobis proponitur hodie in D. Paulo, cujus Converſionem Eccleſia celebrandam proponit. Igitur ad eum converto oculos, & Benedictinis choris ſic accino.

Egregie Doctor Paule mores inſtrue,
Et noſtra tecum pectora in cælum trahe.
Velata dum meridiem cernat Fides,
Et Solis inſtar ſola regnet Charitas.

Et hoc ſolo tetraſticho cohærentes Logarithmos admiror: aliorumque alios detrimento proficere, & augmento decreſcere. Cùm hoſtis videtur, eſt Patronus & mores Catholicorum Paulus inſtruit; cùm cadere videtur, cœlos tranſvolat, & ſuos devotos ſecum ad Empyreum conducit; cùm cœcus videtur, lynx eſt; & cùm perdit Stellarum luces, Solares ſplendores adquirit. Paulatim ſingula conſideremus.

80. Saulus, ut habet nono capite Apoſtolica Hiſtoria, minas evomens, & horrores ſpirans, Stephani martyrio aſtiterat, reliquoſq; pari crudelitate perdere conabatur. De Protomartyris Stephani ſtephano, & qualiter eum lapidibus exceperit Paulus nihil dico; quoniam ita pingitur ab Auguſtino, ſerm. 14. de Sanctis, ut nihil prudenter poſſit addi. *Quando lapidatus eſt*, ait, *Stephanus, primus Martyr pro nomine Chriſti, evidentiùs aderat & Saulus; & ſic aderat lapidantibus, ut non ei ſufficeret, ſi tantùm ſuis manibus lapidaret. Vt enim eſſet in omnium lapidantium manibus, ipſe omnium veſtimenta ſervabat. magis ſæviens omnes adjuvando, quàm ſuis manibus lapidando.* Numera lapides, & artem logarithmicam in illis expreſſam videbis; quò pauciores Paulus videbatur explodere, plures immiſit, qui ſingulorum veſtimenta cuſtodiens ſingulorum actibus cooperabatur. Sibi complacet Saulus extincto Stephano; & ut reliquos Chriſtianos perdat. Diploma impetrat, & armatus Sacerdotum & Summatum potentiâ Damaſcum cogitat. Ecce iterum in juvene incauto duos numeros naturalem & ſupernaturalem (Arithmum, Logarithmum) ubi magis naturaliter à CHRISTI amore diſtabat, minùs naturaliter diſtitit; & ubi minùs gratiá di-

Digitized by Google

gnus fuit, majorem habuit, Involuntarium, indignum, & recalcitrantem inundavit Charitatis oceanus, & ubi naturalis Amor ad minimum gradum & numerum intenſionis venerat, ubi logarithmus, ſeu rationalis & ſupernaturalis Amoris gradus & numerus maximus fuit. Iam jam ingreſſuro Damaſcum alluxit cœlo elapſa veritas, illumque virtutis efficaciâ proſtravit. Damaſcus à ſanguine denominatur, & nos docet, quà debeamus quærere veritatem.

81. Multis rebus abundas, SERENISSIME REX, & fortè nocet hæc ipſa rerum terreſtrium abundantia: at in Aulâ magnus eſt fallaciarum proventus, magna penuria veritatum. Vnam quærebat Paulus; illamque, quam Hieroſolymis habere non potuit, apud Damaſcum habuit. HIEROSOLYMA *Viſio pacis* exponitur, DAMASCVS *Effuſio ſanguinis*, ut ſcias Veritatem in ſanguine fuſo reperiri, non in viſâ & apparente pace. Bellis obruimur, & pacem quærimus, nempe CHRISTVM, qui eſt *gloria in excelſis DEO, & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis*; pacem, quæ CHRISTVS ſit, aut ad ejuſdem gloriam ſit veram dicimus, & bonâ voluntate amplexamur. At quæ ſit *Viſio pacis*, quietis imago, tranquillitatis ſpecies, & dicatur pax pax, & non ſit pax, hanc nullo modo appetimus, ſed in Damaſcum potiùs ad fundendum ſanguinem, animo vehementi concitamur, ut vel ſic nobis effulgeat Veritas, quam quærimus; ſternatur Via, quam inimus; concedatur vita, quam deſideramus; nimirùm, CHRISTVS, qui via, veritas; & vita eſt, & hodie divinè prodigus, nec quærenti, nec invocanti, nec deſideranti affulget D. Paulo.

82. Sed quid lego. *Subitò circumfulſit eum lux de Cœlo; & cadens in terram audivit vocem. Viri autem illi, qui comitabantur cum eo, ſtabant ſtupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes. Surrexit autem Saulus de terrâ, apertiſq; oculis nihil videbat.* Sunt diverſi lucis humanæ & divinæ characteres; aſpicitur illa, hæc auditur, ideoque Paulus oculis apertis nihil videt, quia divina extra objectum corporeæ viſionis ſunt poſita. Hic monendi ſunt noſtri ſæculi Hæretici, qui aperiunt oculos ut examinent, An Eccleſia Romana ſit vera? An CHRISTVS ſub ſacramentalibus accidentibus lateat? An opera Pietatis ſint utilia? & ſexcenta alia, quæ non poſſunt oculis videri ſed aure. nam lumen fidei audiri debet, & videri nòn poteſt.

Sed quid iſta lux loquens, iſte ſplendor vocalis, iſtud divinum Verbum inquit? *Saule, Saule. quid me perſequeris? Ego ſum IESVS, quem Tu perſequeris, durum eſt Tibi contra ſtimulum calcitrare*: Ecce in ſupernaturalium rerum ordine Oculus Auriſque. *Arithmus* & *Logarithmus* ſunt, magnitudo irrationalis & rationalis. *Eſt Fides*, inquit Auguſtinus, *credere, quod non vides*; eſt enim ex auditu, non ex viſu. Quò major eſt numerus naturalis in logarithmicis, eò minor numerus rationalis eſt; & in Fidei Articulis, quò major eſt naturalis curioſitas, & ſcholaſtica diſcuſſio profundior, & notitia terreſtris oculatior, eò minor eſt ſupernaturalis cognitio, eò minor eſt cognitionis ſecuritas, & minus utrobiq; meritum; certior enim & præmio nobiliore dignus ille aſſenſus, qui è duobus Fidei Articulis diducitur, illo qui ex uno Fidei Articulo & uno Principio naturali.

83. Sed & plures adhuc Ego antitheſes, & antilogarithmos reperio. Lego in Apoſtolorum Hiſtoriâ, *Cadens in terram audivit vocem*; Notemus bene textum ut intelligamus Commentarium. *Veniam autem ad Viſiones & Revelationes Domini. Scio hominem in CHRISTO ante annos quattuordecim (ſive in corpore, neſcio; ſive extra corpus, neſcio; DEVS ſcit) raptum hujuſmodi ad tertium Cælum. Et ſcio hujuſmodi hominem (ſive in corpore, ſive extra corpus neſcio; DEVS ſcit) quoniam raptus eſt in Paradiſum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui*. Ita 2. ad Cor. 12. Coopremus ſingula, & conſonantiam contemplemur. Illis verbis, *Cadens in terram*, reſpondent hæc, *Scio raptum ad tertium Cælum*; *Scio quoniam raptus eſt in Paradiſum*. Et illis, *Apertis oculis nihil videbat*, reſpondent hæc, *Veniam ad Viſiones & Revelationes Domini*. Ergo firmat mores doctrina logarithmica, monetq; unius augmentum numeri conſiſtere in alterius decremento. Pone ſummum naturæ numerum; [nempè, 10,000,000.] invenies logarithmicè [0] hoc eſt nihil. Sume hos logarithmos 1, 2. 3. aut quoſq; alios, & naturalis numerus neceſſariò minuetur; quoniam in motu contrario conſiſtunt. Ergo ſiquidem Naturalia & Supernaturalia eſſe logarithmica diximus, neceſ-

Digitized by Google

ceſſariò ſequetur Naturæ augmenta inferre detrimenta Gratiæ, & Gratiæ augmenta inferre detrimenta naturæ.

84. ❧Hinc Paulo toti, aut ferè, lux: quoniam iſtis delectatus antitheſibus, miram doctrinam promit. PRIMÒ enim idem ejus ſententia eſt, *Cadere in terram*, ac *Rapi in cælum*; modò ille caſus merè corporeus ſit: Homo enim Libræ ſimilis duas lances habet (Corpus, Animam) & quò altera profundius deprimitur, eò altera eminentiùs extollitur. Et in Paulo Gratiæ impulſu corpus proſternitur; Spiritus in cœlos rapitur. Hunc (vel dicam aſcenſum, vel caſum) ſermone 14. de Sanctis S. Auguſtinus expoſuit, & ait; *Paulus ex perſecutore Chriſtianorum Adnumerator factus eſt CHRISTI. Proſtravit enim CHRISTVS perſecutorem, ut faceret Eccleſiæ Doctorem: percutiens eum & ſanans, occidens & vivificans, occiſus agnus à lupis & faciens agnos de lupis.* En inviſas antiphraſes, mirabiles antilogarithmos! Sed Doctor Hipponenſis progreditur. *Voce CHRISTI proſtratus de Cælo, & accipiens deſuper interdictum jam ſæviendi, cecidit in faciem ſuam, priùs proſternendus, poſteà erigendus; priùs percutiendus, poſteà ſanandus.*

85. ❧Hinc patet quanta ſit Superbiæ & Humilitatis efficacia; utraq; deprimit & extollit. Superbia corpus efferendo aggravat Animum & in infernum invehit; Humilitas corpus deprimendo exaltat Spiritum, & in cœlos extollit. Hæc vera! & ſi vera, quis in mundo ſuperbus, qui tamen delirus non ſit. Aulicos amentes dixit ille author, qui Argenidi Diſcurſum prooemialem præpoſuit; & meritò, ſi ſuperbi illi ſunt; majoris enim corpus Animo facere, delirium eſt. Occurrit curioſus Apologus Theodemirus (nomen ſit Semphronii vel Titii) inter legent Pygmæorum hiſtorias, curioſitate illectus, magnâ auri vi unum è borealibus provintiis obtinuit. Habuit illum in gratiâ apud ſe ſummâ, juſſit genioſè & opiparè ali, & miraculi loco peregrinis oſtendi. At ille ab infami & crudeli regione extractus (ubi cœlo clemente fruitur & cibo humano, creſcit) & à Theodemiro deſpicitur. Ingemuit Puſio tam ſubitam mutationem obſervans, & quia non ignorabat cauſam ait: *Succreſcendo decrevi.* Audiſtis Aulici. In Cœlo omnes ſunt magni, omnes ſunt læti, omnes ſunt hilares; nullus eſt ibi labor, nullæ lachrymæ, nullæ miſeriæ. *Niſi efficiamini ſicut parvulus iſte non intrabitis in regnum cælorum.* Si ſemel ſitis virtute Humilitatis parvi; cavete ne arroganter & ſuperbè creſcatis; excideritis enim à DEI gratiâ, & proſcripti à Divorum conſortio dicetis, *Succreſcendo decrevimus.* Et ne opibus aut gaudiis confidatis, ſcitote aquam ab Oceano non emi, nec gaudia à Cœlo; ſunt enim ibi gaudia plurima & nobiliſſima, quibuſcum humana comparata ſunt ſordes. Si vultis igitur prudentem & utilem mercaturam agere, ne undam ad Mare, ne nives ad Scythiam, ne aromata ad Indiam, ne ligna ad Sylvam, ne monſtra ad Africam; ſed ſingulas illuc transferte merces ubi ignotę vel raræ. Magnum gaudium eſt in Europâ ſuper unâ Americanâ navi auro & argento onuſtâ, quia in Europâ hæc metalla rariora; & magnum gaudium eſt in Cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quia apud Cœlites lachrymæ non jam raræ, ſed nullæ. Sed hæc ſatis; nam ſi omnia dicenda eſſent, quæ occurrunt, Pauli Antitheſes & Antilogarithmi illuſtrari non poſſent.

86. ❧Progredior. & SECVNDÒ aſſero, idem eſſe *Apertis oculis nihil videre*, ac *Audire arcana verba, quæ non licet homini loqui*: quia ineffabilia adeoque ineffabilia DEI audiuntur oculis, videntur auribus: & ubi illi & iſtæ vacillant, *præſtat fides ſupplementum ſenſuum defectus.* Hinc eſt quòd Paulus converſurus Sergium Proconſulem, à cęcitate exordium ſumpſerit, Fidei enim lumen in terris, & Gloriæ lumen in cœlis obaudientibus, non verò obloquentibus aut videntibus datur. Ita rem proſequitur Apoſtolica Hiſtoria, cap. 13. *Hic* (Proconſul) *accerſitis Barnabâ & Saulo deſiderabat audire verbum DEI. Reſiſtebat autem illis Elymas* (hic eſt ille Iudæus Magicus, qui hebraicè Barieſu.) *quærens avertere Proconſulem à Fide* (nec mirum; ſemper in magnis Aulis ſunt Dœmonis plenipotentiarii, qui bonos conatus impediant.) *Sanctus autem, qui & Paulus, repletus Spiritu Sancto, intuens in eum, dixit, O plene omni dolo, & omni fallacia, fili Diaboli, inimice omnis iuſtitiæ, non deſinis ſubvertere vias Domini rectas.* Et ut correctio minis, & minæ eſſent cùm effectu conjunctæ, addit, *Et nunc ecce manus Domini ſuper te, & eris cæcus, non videns Solem uſque ad tempus. & confeſtim cecidit in eum caligo & tene-*

tenebræ, & circuiens quærebat, qui ei manum daret. Sed cur cæcitate illum obruit? ut videret. Mira res! Quò magis minuitur corporea oculorum vivacitas, mens (Animi eſt oculus) magis juvatur & acuitur. Excœcatus eſt Elymas corpore, ut lucem reciperet Animo, ut ſe ſeriò cognoſceret, & quęreret DEVM, qui ei manum daret. Excœcatus eſt, ut Sergius oculos aperiret; nam & iſte *credidit, admirans ſuper doctrina Domini.*

87. Hinc jam dilucidè intelliguntur omnia illa arcana verba, quæ licuit pronuntiare Paulo, at nobis non licuit intelligere. Quoniam hæ poſitiones, *Plura quàm omnes ſimul ſaxa explodit, qui nullum explodit: Cadens in terram cœlos aſcendit; Auribus videt; Lucem audit; decreſcendo creſcit; Succreſcendo minuitur; Viſus cæcitate perficitur;* quas expendi, videntur eſſe ſimiles his, *Cùm infirmor, firmior ſum; Impotentia potentiorem me reddit; Negatio gratiæ gratia nonnunquam eſt.* Et aliis multis, quæ paſſim reperiuntur in Paulo; nam ſi datur illi Spiritus, à quo colaphizetur, & gratiam (nempe, ut ille proſcribatur) non obtinet, ne magnitudine Revelationum extollatur, hæc ipſa gratiæ negatio gratia fuit; & ſi fuit, hac ipsâ Paulus fuit gratię gratioſa negatione debilior, & tamen potentior & fortior.

88. Hæc verâ, SERENISSIME REX, & Tibi etiam & Orbi Chriſtiano Inſtitutioni; maximè in hac rerum & miſeriarum tempeſtate. Vnam petiiſti à Domino, hanc requires; Sed quam? Vnicam Pacem. Sed cur? Vt inhabites in domo Domini in longitudine dierum. Hanc gratiam oras; hanc inſtantiſſimè flagitas; hanc non obtines. Sed quid, ſi ipſa gratiæ negatio gratia eſt? Quid ſi pax induceret torporem & conſcientiæ deſpectum; & bellum contrà animos excitet & convertat ad Dominum, dicaturque aptius, ut nos ab hac lachrymarum & miſeriarum valle exuat, promoveatque ut inhabitemus Domum Domini in longitudinem dierum. Crede Martem, pro Eccleſiæ defenſione ſuſceptum, quodammodò logarithmicum eſſe, & quò terram diminuit, eò cœlos augere; noſque univerſos prævenire, indulgendo gloriæ cœleſtis pignora, quibus Tu armatus omni major periculo, ſummas victorias (ſic ſpero) obtinebis. Igitur, Macte animo, apprehende arma & ſcutum, & intende in adjutorium periclitanti Patriæ, Patri Tuo, Orbis Germani Athlanti ſis Hercules; & ad majorem divinæ Majeſtatis gloriam, Regiâ fruere; & ut multos lucreris CHRISTO & Fidei, *intende proſperè, procede & regna.* DIXI.

EX *hac Scientiâ multi pulchri Conceptus erui poſſent, qui meo Novo Regi prodeſſent; ſed quia illa minùs eſt nota, fortè iſti plùs eſſent peregrini, minùs grati: ideò Scientiam hanc ſublimem relinquam, & tamen ne contentam omninò, ſequentes Litteras olim Illuſtriſſimo D. D. Fabio Chiſio, Epiſcopo Neritonenſi, Colonienſi Nuncio cum poteſtate Legati à latere, tractandæ Orbis Chriſtiani Pacis in univerſalibus Europæ Comitiis Eccleſiæ nomine Plenipotentiario, multis titulis meo, Crucinaci Calendis Aprilibus M. DC. XLIV. inſcriptas, & Monaſterium miſſas, perſequentes curioſum Conceptum, qui utiliter legi poſſit, adjungo.*

LITTERÆ
De Monaſterienſibus Comitiis.

89 Eiuſdem oris fluminis in partes contrarias emenſis, TV ILLVSTRISSIME VIR, Monaſteriū, VVeſtphaliæ celeberrimam Vrbem, & Ego ad meum Monaſterium perveni. Porrò hoc meum, ut conjector, erit imago Tui; nam in meo nec decrepiti cohærent lapides, nec animi Seniorum concordant. Illi lapſuris ſimiles reformatione magnâ indigent, & iſti, quia in Calviniſmum lapſi, nimis refor[m]ati videntur. Cùm Cœlum ſub Iunii finem [i]n pluvias importunas diſſolvitur, *Agu[a] de por San Iuan*, dicit Hiſpanus, *quita vino, y no da pan*: nam aqua, quæ illo tempore pluitur, *nocet vino, & pani non prodeſt.* Porrò Ego Monaſterium ingreſſus, Prędicantibus (ſic vocantur quinti Evangelii Apoſtoli) aqua S. Ioannis ſum viſus, qui auferret vina, nec

Digitized by Google

nec relinqueret panes, nec reliqua, quæ ipſi invaſerant, aut à noſtris illegitimè extorſerant. Nec illos fefellit opinio; ubi enim potui & quà potui, Calviniſtis proſcriptis, Catholicos Sacerdotes repoſui, qui reformatas Animas (ita Calviniano Idiomate vocantur, quæ Catholico Hæreticæ) duplo labore reformarent. duplo quidem; debebant enim priùs errores dedocere, ut poſteà Fidei Articulos docere poſſent. Hîc Ego inter CHRISTI & Catholicæ Fidei infenſiſſimos hoſtes; qui putant, tantum perdere ſingulos, quantum reſtituitur Eccleſiæ. Iam cogor argumentari gladio, jam bellare rationibus; & ut res tulerit, expulſos Calviniſtas regerere, permiſſos ad mentem meliorem reducere. At quia apud me parturiunt montes & naſcitur parviculus mus, neſcio quâ animorum ſympathiâ conductus, mente utramque Monaſterium perluſtro, & inter diſcordes animos ſummam ego concordiam, aut ſimilitudinem potiùs reperio: nam duæ diſſonantiæ, duæ diſcordiæ, duæ diſſimilitudines, ſi bene concipiantur, ſunt ſimiles. Vnde ductus paritate rationis exiſtimo, tunc Te omnia ad nutum Monaſterii habiturum, cùm ego in Monaſterio; agis enim cum Chriſtianis, cum Catholicis, cum Chriſtianiſſimis, cum Reformandis, cum Reformatis, & ego quotidie cum ſingulis, qui nec ſecum, nec mecum convenire poſſunt: imò, ſi poſſent, nollent, tantâ ſunt pertinaciâ præventi. *Parva hæc*, Illuſtriſſime Præſul, *ſed quia non prodeſt magnis componere parva*, meas miſerias omitto, meum Monaſterium oblivioni commendo, VVeſtphalorum Monaſterium ingredior, Tibi adſum.

90. ❧ An non memineris ultimâ illâ horâ, in quâ à Te plurima didici, de Logarithmis actum? Patere igitur, ut repetam rem ab initio, & me conſoler, & Te tuis verbis repræſentem.

Porrò Logarithmica Ioanne Nepero Authore & Inventore nota quædam Ars eſt, in quâ mirabili artificio ſummus numerus Nihil eſſe ſupponitur, & ipſi accedunt numeri minores nihilo. Aut fallor, aut Monaſterienſia Comitia logarithmica ſunt; in ipſa confluent *Lógos, arithmos*, vox, ratio, numerus. Multa & pulchra dicentur, multæ rationes proponentur, multa pecunia numerabitur, eximium tempus expendetur; at verba convertuntur in ventum; rationes in tenebras, pecunia in fumum; omnia in Nihilum; quàm enim facile eſt *Lógus arithmin*, ſeu *Login arithmus*, verba numerare, ſeu loqui numeros, tam erit difficile, inter omnium & ſingulorum verba, rationes, animos arithmeticam æqualitatem invenire.

91. ❧ In logarithmicis, ergo Comitiis Summi Pontificis Nuntius, Eccleſiæ Plenipotentiarius, dubio procul erit ſupremus numerus: ergo ſtando ingenioſæ logarithmorum inventioni, erit Nihil. Supervenerit paſſu gravi & tardo Catholici Regis Legatus, ſed quia Eccleſiaſticis deferet, erit Te minor: igitur minor Nihilo: Te enim; cùm inter Legatos Orbis Chriſtiani primum poſui, Logarithmorum demonſtravi eſſe Principem, adeoque Nihil eſſe; & reliquos minores Te, minores Nihilo. Succedet Legatus Cæſareus, qui cum non vult Hiſpanus de loci dignitate contendere. Cæterum dum hæc ipſa ſopita diſceptatio, à Legato Regis Galliæ excitatur, inquiritur, an inter Te & Hiſpaniæ Legatum, hoc eſt, Nihilum & minus Nihilo vacet aliquis gradus quo poſſit prætenſam præcedentiam ſubſtruere. Te igitur Plenipotentiariorum Principe, logarithmicè Nihilo, minor eſt Chriſtianiſſimę Gallię Legatus, & conſequenter minor Nihilo; quod ſi etiam Legato Hiſpaniæ minor, minor minore Nihilo: ſi æqualis, tantus ut cooptari poſſit homini, qui nondum cooptari poſſit Nihilo. Accedent Luſitanorum Internuntii, qui tametſi ſint Nihil, non poterint cohærere Monaſterienſi Nihilo, quoniam ſint nihil in alio genere. Nihil ſunt, non tamen logarithmicè, quoniam ſunt nihil ſine *Lógo*, ſine voce, ſine ratione, ſine *arithmo*, ſine numero; quoniam, qui ſine ratione à ſuo vero Rege & fidelitate deficiunt, ſunt ubi agitur de fide & tranquillitate ſuperflui: nec habituri vocem in juramento confirmandis Comitiis, qui contra juramentum inclamarunt Regem, acclamarunt Vaſſallum. Ipſi ſine numero ſunt, numerus enim aſſerente Ariſtotele eſt in ratione, vel ut alii transferunt, eſt in Animâ; & ipſi cùm malunt convaſſalli eſſe ſervi, quàm legitimi Monarchæ filii, ratione carere videntur. Meritò igitur Luſitani excluduntur, qui tametſi Nihil ſint, & hoc titulo poſſent aliis adſcribi Nihilis, ſunt Nihil neſcio quod degenerum, quod dici non poteſt

lo-

Digitized by Google

logarithmicum; maximè cùm in Monaſterienſibus Comitiis omnia jam non niſi logarithmicè veniant tractanda.

92. ☞Abſtrahendo igitur à Luſitanis; ad reliquorū Principum Legatos converto oculos, & quoniam Te minores erunt, erunt Nihilo multò minores.

Quid ergo tandem unum Nihilum & plurima minora Nihilo in re arduâ? quid in ambiguâ controverſiâ concludent? quid reſolvent? quid facient? aut ſubrepet æquivocatio aliqua, aut nihilominùs prodibit aliquid, quod ſit Nihilo minus. Loquor in rigore ſcholaſtico, nam duas cauſas principales admiſere Philoſophi; univocā, æquivocamque: Vnivocam vocantes, quæ effectum in ſimilitudinem naturæ producit; æquivocam, quæ in diſſimilitudinem. Caduceatores igitur Monaſterienſes de abſolutâ potentiâ ſuâ, ſi ſint unicordes, unanimes, & univoces, dabunt effectum ſibi ſimilem, hoc eſt, Nihilum, aut minus Nihilo; quoniam ipſi eò redacti ſunt logarithmico ingenio, ut Nihilo minores ſint. Quod ſi illi univoces non ſint, nec ipſi concurrent univocè; adeòque effectum diſſimilem ſibi parturient, præſtabuntque aliquid, quod fortè prodeſſe non poterit.

93. ☞Rem fateor; quamdiù de Religione non convenit, Animi convenire non poterunt. Nec exiſtimo Religionis concordiam impoſſibilem, aut omninò difficilem; experientia enim docet, Hæreticos irritari nonnunquam, & ex paſſione multa evomere, quę animo ſedato non dicunt; Catholicos ſæpè aliquarum nimiùm eſſe tenaces opinionem, quæ in noſtris Scholis in utramque partem diſputantur. Fortè, ſi in materiâ, quę Fidei Articulos non tangit, plus Hæreticis concederetur, propiùs ipſi noſtram Religionem accederent, aut tandem illam re meliùs examinatâ admitterent, magno Orbis Catholici bono.

Porrò, ſi hoc tandem aliquando Europæ naufraganti adnuat DEVS, Logarithmica hæc Ars intra Matheſeos limites ſe continebit, nec volet inſultare Politicæ, nec videbit tranſire Civitates in cineres, nec dicet Reipublicę Summates (maximos Politicę Arithmeticæ Numeros) eſſe nihil.

Sed hic totus diſcurſus nihil ſit, utpotè nihili ideâ fundatus. Vtinam me erraviſſe experiatur Europa, & obtineat ſtatim illam, illam, quam Mundus dare non poteſt pacem. Eam promovere perge; Illuſtriſſime Vir; & vive felicibus annis.

VALE.

94. ☞*Hæc ſcripſi illâ die; hodieque me fuiſſe Prophetam condoleo. Confluêre ad Comitia diverſi Homines, diverſo fine, diverſo animo. Multi boni, & qui diligunt pacem, multi etiam, qui privata reſpiciunt; multi, qui* DEVM *& bonum publicum; multi, qui neutrum. Hac rerum varietate perculſa curioſos verſus peperit Irritatio. Plurimos legi Francofurti, hos Auguſtæ.*

Cōcludo? illudo. Cōpono? impono. quid inde?
Concluſum luſum, Cōpoſitum impoſitum.
Principio par finis erit. Mars decipit, atq; Os;
Nā *Damus* eſt *Capimus*, *Nolumꝰ*, eſt *Volumus*.

O utinam conveniant Caduceatores aliquando, & tandem Mundo affulgeat Pacis exoptatæ ſerenitas.

Habuimus tandem Pacem anno 1648.

MVSICA.

95 TEner noſtri Regis animus aliquâ eſt honeſtâ recreatione levandus; non enim ſemper arcum tendit Apollo, ſed labori debet requies ſuccedere, ut ſicut fluxu & refluxu Oceanus, ſic etiam Animus vigilia & ſomno, ſtudio & otio, labore & requie conſervetur. Meditationes Oratorias & Muſicas putavit Cicero componi non poſſe, & Epiſt. 9. famil. *At Orationibus, ait, diſiungo me fere, referoque ad manſuetiores Muſas; quæ me maximè ſicut jam à primâ adoleſcentiâ delectant.* At ego ſcribens Orationem de Muſicâ, quas Cicero diſiunxit compono. Ad conſonantias enarmonicas Eliſeus Politica elimabat Oracula, quæ Iure publico Conſultus redderet; & Ego illius exemplo, ad fidium

Digitized by Google

fidium numeros de Fide ſupernaturali erga DEVM, de Fide naturali erga Principes, de Fiduciâ Gentium, de Eccleſiaſticorum & ſœcularium moribus diſputabo.

ORATIO VI.

De elegantia & conſonantia morum.

ARGVMENTVM. *CHRISTVS Regi ait*, Diſcito à me, quia mitis ſum & humilis corde. *Rex Subditis*, Imitatores mei eſtote, ſicut & ego CHRISTI. *Expenditur Regis & Populi armonia*.

*MVſica & Rhetorica componi poſſunt.*95.*Deſcriptio Muſicæ.*104.121.*Muſicæ ſpecies.*96.98.112.*Suauitas.*99.*Vires.*95.96.110.111.118.119.121.*&c.*CHRISTVS *præcinit.*96.128. *Iudæi non conſonant.*96. *imò nec Aulici.*128.129.130. *Lingua exempli, lingua ſcandali.* 96.97.101.102.109.*An quæ conſonant uni tertio, conſonent inter ſe?*98.128.*& exactiùs.*170. *An Muſica diſſonare poſſit?* 105. *Peccatum diſſonantia eſt, & conſonantia virtus.*107.111.121. *Muſica futurorum præſaga.* 116. *Muſicæ prophetica impetu Saul rapitur.* 117. *Eliſeus præventus Muſicâ Regibus futura prædicit.*118. *Muſica victrix. Sedat turbatos animos.*119. *Muſica caſta.*120. *prædeterminata.*122.*morbos tollens.*126.*ad* 129.

BASSVS. *An detur in morali Muſica?* 98.99. *Fides Baſſus.* 99. TENOR *vox media, via beata.* 103. ALTVS. *An detur in morali Muſicâ?* 98. *An-ne illum canat ſolus DEVS?* 98.105. DISCANTVS, *cantatur à pueris: ſed à quibus?* 104. INSTRVMENTA *Muſicæ.* 98. *Cythara, Pſalterium, Tympanum, &c.* 104. *Polychordon, Arpa.* 106. 117. 121. DIFFERENTIAE *Muſicæ; Dorica, Phrygia, Æolica, Iaſtia, Lydia.* 121. *Cybelles efficacia Muſica.* 123. *Corybantum armonia.* 122.

NOMINVM INTERPRETATIO. Tobias, *Bonus Dominus.* Raguel, *Paſtor DEI.* Sara, *Domina.* Argenis, *anagram. Regina.* Polyarchus, *multarum coronarum Rex.* 115. Raphaël, *Medicina DEI.* 174. Galenus, *anagrammaticè, Angelus.* 178.

VARIA. *Oratio Dominica.* 100.101.*ad* 104. *Prælatis competit DEI nomen.*101. *Omnis reformatio à capite, à clero.*102. *Panis quotidianus. Panis lachrymarum. Panis ſupereſſentialis.* 103. *Pacis utilitas.*104.132.*Curioſitas quando ſit virtus?* 105. *Aquæ fluxus.* 106. *Dulcia ægro videntur amara.*105. *Nicanor tubarum ſono territus.*106. *David.*107. *Oportet ut Princeps multos timeat, quem multi timuerunt. An-ne inter ſpirituales ſubſtantias & Muſicam detur proportio?*108. *Anima non conſiſtit in humorum proportione vel numero. Muſica infenſa Dæmoni.* 109. *grata Angelo.*110.*Aſmodeus homicida, à Tobia vincitur, à Raphaële vincîtur.*113.*An fumo ſpiritus torqueri poſſint?* 114. *Hæreſis monſtrum.* 115. *Vltimæ ſententiæ, in templis appenſæ apud Hiſpanos contra hæreticos & infideles. Angeli ſemper favent hominibus.*113.116. *habitant in Eccleſiis. Cor angelicum cæleſteque.*117.*Clitemneſtræ caſtitas. Ægiſtus, Tyrrhei & Pindari carmina.*123.*Timotheus muſicus voluntatis M. Alexandri dominus. Illi ſimilis Richelius in Galliâ, Lermæus in Hiſpaniâ.*123.*Phyſicæ prædeterminationes.*122.*ad* 126.*Philippus II. nihil. Philippus III. omnia. Philippus IV. aliqua committit, & aliqua ſibi reſervat.*124. *Quem debeamus præponere?* 125. *Naaman, ut curaretur à leprâ, ad Iſraëlis Regem miſſus.*126.*Tubæ in funere. cur?* 127. *Aulici mordentur à Tarantulâ.*128.*Muſica movet bruta.*128.129.*Amphionis hiſtoria.*129. *An Orpheus lapides naturaliter traxerit?* 130. *Fons Haleſinus.* 131.*Rex umbra DEI: populus Regis umbra.* 132. *An Ioannes Baptiſta, fuerit obſeſſus à Dæmone?* 97. *De jejunio & conviviis.* 97. 98.

DOMINE. &c.

96 MAgna eſt vis & efficacia Muſicæ, & quoniam duplex (Naturalis, Moraliſque) multum ipſa apud Homines, & multum poteſt apud DEVM. Vtrâq; colitur Omnipotens, ſed præcipuè hac ſecundâ: cantat enim Dominus, & ſibi præcinenti omnes accinamus indicit. Guido [Carmelitanus antiquus & gravis Author] in Evangel. concordiâ cap. 7. Lucæ. *Cantavit* [CHRISTVS] *nobis*, ait, *canticum lætitiæ in cytharâ & tibiis Evangelicæ doctrinæ, & in libertate novi teſtamenti; ad cujus canticum non ſaltarunt Iudæi, de cæcitate & velamine Legis ad claritatem Veritatis & Fidei; nec ad lamentum Ioannis malitiam defleverunt, ut Hilarius dicere videtur.* Sic ille, & optimè; quoniam moralitas armonia eſt; præcinit DEVS, Tabulas Decalogi & ſi quæ aliæ ſunt leges, pronuntiando; accinimus eas obſervando: & qui illas non obſervant, DEO diſſonant: qui obſervant, DEO conſonant: qui obſervant alios exemplo ſuo ad conſonandum DEO inducunt; & qui illas temerant, ſeducunt alios ad temerandam legem DEI.

97. ☞ Pulchrè Auguſtinus in lib. de quæſt. Evang. quæſt. 11. *De pueris*, ait, *ſedentibus in foro, & ad invicem clamantibus* (omnes clamant ad invicem: nam qui bene operantur, linguâ exempli; qui male, linguâ ſcandali clamant) *converſo ordine ad propoſita reſpondit, Nam quod ait,* [*Lamentavimus, & non ploraſtis*] *ad Ioannem pertinet, cujus abſtinentia à cibo & potu luctum pœnitentiæ ſignificabat. Quod autem ait* [*Cantavimus tibiis & non ſaltaſtis*] *ad ipſum Dominum, qui utendo cum cæteris cibo & potu lætitiam regni figurabat.* Ecce ſanctitas nec in rigido conſiſtit jejunio, nec in epulis, ſed in vitâ prudenti & ſobriâ, quæ per jejunia rigida perficitur, cùm prudentia illa indicit; & opiparas menſas non fugit, ſi in illis poſſit peccatores convertere. Sed quia ſunt multi qui abutuntur jejuniis, multi qui conviviis & epulis, Præſul Hipponenſis progreditur, *Illi*, ait, *nec humiliari cum Ioanne, nec cum CHRISTO gaudere voluerunt, dicentes illum Dæmonium habere, iſtum voracem, & ebrioſum, & amicum publicanorũ, & peccatorũ. Matth.* 11. 9.

98. ☞ Sed quia poſſent obiicere, DEI vocem ſummè eſſe altam, & cui conſonare nemo poſſet; eximios Homines produxit DEVS, qui ſuo exemplo univerſos inſtruerent: Prophetas olim, & Apoſtolos in novâ lege, qui conſonantes DEO, poſſent nos divinas conſonantias docere. *Imitatores mei eſtote*, inquit Paulus, *ſicut & ego CHRISTI.* ipſe enim cogitatione verbo & opere (voces morales ſunt) Verbo divino conſonabat; quoniam in morali iſta Muſicâ, quidquid ſit de reali, quod n. 170. expendam; quidquid ſit de aliis caſibus, ſaltem impræſentiarum, *quæ conſonant uni tertio, conſonant neceſſariò inter ſe.* Vndè Ambroſius (apud Guidonem Lucæ 7.) *Cantaverunt Prophetæ*, ait, *ſpiritualibus modulis publicæ ſalutis Oracula reſultantes. Fleverunt Prophetæ threnis flebilibus dura Iudæorum corda mulcentes, docuit nos Scriptura Sacra cantare graviter, pſallere ſpiritualiter; docuit etiam pſallere ſapienter, dicente Domino ad Ezechielem.* [*Plaude manu & percute pede.*] *neq; enim hiſtrionicos flexu corporis motus, DEVS morum Cantor, exigeret, aut indecoros ſtrepitus Viris, plauſuſq; fœmineos imperaret, ut tantum Prophetam deduceret ad ludibria ſcenicorum, & mollia fœminarum.* Ecce Mediolanenſis Præſul, duas diſſonas Muſicæ differentias enumerat; quas & nos ſufficienter diſtinximus; nimirùm, Naturalem, Moralemque. ſed quia hanc in Gravem, Spiritualem, & Sapientem diſtinguit, ut ſingulas doceâris, anhelas. An in Morali Muſicâ, datur Baſſus, qui gravis ſit; Altus, qui acutus ſapienſque. & quia inſtrumentis luditur, eſt neceſſarius gratiæ Spiritus, quo illa inflentur? Dantur maximè, & inſtrumenta multa & varia, quæ alii Patres enumerant, & inter ipſos uberiùs & exactiùs D. Benedictus in Regulæ Capite IV. quod *De Bonorum Operum Inſtrumentis*, inſcribitur. Sed de hoc inferiùs. [Vide num. 104. 109. 117. 111. 166.]

99. ☞ Et quidem tantus eſt dulcor Moralis Muſicæ, ut qui ſemel perceperit, omnes naturales rerum conſonantias & commoditates faſtidiat, dicatque, Sum chorda nobiliſſima, & corporis barbito alligata. Diſſono liberè, & nonnunquam pernitioſo concentu chordarum lupinarum trahor. Malum eſt nos hîc eſſe. Torquetur corpus morbo, timore animus, me-

Digitized by Google

memoriâ peccatorum mens, ſpes penè jam fracta, vel charitatem tollit, vel Fidem, fidium fundamentum & ſubſtantiam (alii Baſum aut Baſin nominant) mollis & ignava remittit. Volo diſſolvi; volo eſſe cum CHRISTO. Sancti enim, fides ſunt, & quamdiù Fide ducti ſæpè diſſonant, quia ſepties in die cadit juſtus; at in cœlo, cytharæ empyreę appoſiti carent Fide; & videntes DEUM ſicuti eſt, ampliùs diſſonare non valent.

100.☞Multi ſunt, qui copioſè Muſicam cœleſtem deſcribunt; quoniam olim Pythagoras motu Orbes æthereos ſuo concentum cauſare putavit; noſtro ævo Cœlorum armoniam Keplerus aſſeruit in linearum & diametrorum proportione conſiſtere, quam ad qualitatum intenſionem remiſſionemque reduxit Fludius; at Ego illam admitto, ſed eſſe materialem non credo. Puto Homines hanc eſſe veritatem à DEO doctos, & quotidie in Oratione Dominicâ accuratiùs inſtitui, tantâ enim illa Oratio, tametſi brevis, doctrinâ eſt plena, ut ſemper de novo intelligi, de novo addici poſſit. Illam Ego præjudiciorum horum ductu ſic intelligo.

101.☞Te DEUM alloquor, & Patrem voco; nec auderem nominare Te Patrem, ni pręcepto ſalutari eſſem monitus, & deberet mea lingua conſonare DEO ſummo, divinâ inſtitutione formata. In cœlis es; & ego in hac lachrymarum profundiſſimâ valle. Profundiſſimâ quidem, quoniam peccato ſubeſt, & peccati abyſſu nihil uſquam profundiùs eſt. Sanctificetur igitur Nomen tuum. Sed quid eſt Nomen tuum, Potentiſſimum Nomen? Aut fallor, aut DEI nomen eſt quicumque Superior & Prælatus. quoniam Antiſtitibus Pſalmiſta Rex: *Ego dixi Dii eſtis, & filii Excelſi omnes*. Sed cur debent Prælati Sancti fieri? Quoniam Præſulis exemplo totus componitur Ordo. nam Eccleſiaſticorum mores derivantur in populum, Regum in ſubditos, Prælatorum in Monachos. Mirabilis eſt Orbis Politici armonia. Conſonat Clero Civitas, nec contingit Summatum morbos in culmine dignitatis hærere, nec inficere ſubditos.

102.☞Et ne alicui temerè videar incuſare Eccleſiaſticos, & in ipſis velle vitia ſœcularium excidere, producā Prophetam Eliam, cujus prævenior obſervatis, & ſpiritu regor. Erat ægrota Palæſtina; laborabat profectò capite, hoc eſt, Rege. Et quia, cùm caput ægrotat, cætera membra regiâ lue laborabant, remedium poſiturus Elias, 3. Reg. 18. *curavit altare quod deſtructum erat*. [Sic habet Bibliorum Interpres, quo uſus eſt Avendañus Serm. de purif. diſcurſ. 1. hæc enim verba in editione vulgatâ non reperio.] Sed cur *curaſſe* dicitur? non-ne potuiſſet Hiſtoriographus ille architectonicis terminis uti, & dicere Eliam altare *erexiſſe, ædificaſſe, fabricaſſe*? Cur igitur *curaſſe* dicit; nam curare Medicorum & non Architectorum eſt. Cajetanus ibidem. *Curavit altare Domini*, ait, *ad inſtar ſapientiſſimi Medici*. Capite laborabat tota Regio, & quia opus eſt malè habentibus medico, ſupervenit Propheta Elias, & purgandam ſtatuit. Et quia ſciebat Sœculares moribus Eccleſiaſticorum inſtitui, reformationem ſuam incepit ab altari & à clero. Quoniam plebæi ſectantur Eccleſiaſticorum veſtigia; & quia eiſdem conſonant, diſſonare DEO debent, ſi diſſonent Eccleſiaſtici DEO.

103.☞Summe Celorum Conditor! Quid dicam? aut quid potiùs tacebo? Incuſabone tempora? Minimè; ipſa enim nos mala facimus. Alto ſilentio incuſabo horum temporum mores, oraboque, ut me ad æterna transferas, tædet enim animam meam vitæ meæ, cùm tantas audio inter Tuam Legem & noſtros actus diſſonantias. Nulla auditur in Cęlis; quoniam ibi Voluntati Tuæ obeditur exactè. Ne ergo hîc vel levis culpa vel diſſonantia committatur, *Fiat* tandem aliquando *Voluntas Tua ſicut in Cælo & in Terrâ*. Hîc humanitùs, ſi non liceat uniſonare altiſſimæ Cœlorum Muſicæ, proderit æquiſonare aut cōſonare ſaltem, quia dum viæ Tuorum mandatorum inſiſtimus, Tenorem canimus, & nos præparamus beatitudini. quoniam Tenor media vox eſt, & medium tenuêre beati. Meremus ſub labaro Tuo Domine DEUS, & mercedem laborum exſpectamus; Panem ergo quotidianum da nobis hodie, dum vivimus; & ſupereſſentialem die craſtinâ. Cùm quotidianum dicimus, lachrymarum panem intelligimus, quia ſi ſimus ſimiles illi, qui dicebat, *Rigabo per ſingulas noctes lectum meum lachrymis meis ſtratum meum rigabo*, poterimus confidentiùs dicere, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Amamus proximos (ſic jubes) & illatarum injuria-

rum immemores favemus inimicis noſtris. Fave igitur, & noſtris peccatis ignoſce. Sed quid à Te petimus Domine DEVS, cùm veniam inſtanter oramus. An miracula? an-ne prodigia ſuper naturæ leges? Minimè. Oramus, quę jubemur, nec limites prudentię tranſimus. Communis veniæ obtinendæ modus Confeſſio ſacramentalis eſt; hanc ergo oramus, hanc petimus à DEO, ab Hominibus, quoties clauſulam iſtam pronunciamus. Tolle igitur noſtra; & ne in nova iteratò labamur, ne des nobis gratiam, quâ nos non uſuros aut etiam abuſuros præviderís; & ſi hoc placeat dicere, ne nos ad peccati materiam prædetermines; *ſed libera nos à malo*; hoc eſt, ab inordinato conſenſu, ab otioſo verbo, à diſſonante opere; ut omni diſſonantiâ ſublatâ Tuæ Legi & Voluntati conſonemus.

104. Hæc eſt vera & germana Muſica; & ſiqua vocatur Muſica, quæ morum elegantiæ opponatur, ſpuria eſt, & tanto vocabulo indigna. Ambroſius, quem ſuperiùs citavi. *Non congruunt reſurrectionis revelata myſteria & opprobria ſaltationis exactè. Et ſanè eſt quidam proprius bonorum actuum factorumque plauſus, cujus ſonus in orbem exeat, & bene geſtorum reſultet gloria. Eſt honeſta ſaltatio quâ tripudiat animus, & bonis corpus operibus elevatur, quando in ſalicibus organa noſtra ſuſpendimus. Iubetur ergo propheta plaudere manu, & percutere pede. jubetur pſallere, quia ſponſi nuptias jam videbat in quibus deſponſatur Eccleſia, Chriſtus adamatur. Et bona nuptiæ quando Verbo Anima, Spiritui Caro nubit. In his Propheta David nuptiis ludere nos voluit, ad has invitavit, quia ſuos poſteros copulabat, & ideò lætior quàm cæteri quaſi in ipſo actu poſitus nuptiarum, nos ad celebritatem feſti muneris adhortatur dicens,* [*Exultate DEO adjutori noſtro, jubilate DEO Iacob. Sumite pſalmum & date tympanum pſalterium jucundum cum cytharâ*, Pſalm. 80. 1.] *Nonne actum quemdam Prophetæ ſaltantis advertis? Denique alibi ait.* [*Pſallam Tibi DEVS in cytharâ Sanctus Iſraël. Gaudebunt labia mea, cum cantavero tibi, & anima mea, quam redemiſti.* Pſal. 70. 22.] *Audis cytharizantium voces; audis ſaltantium ſtrepitus; nuptias crede: Sume & tu Cytharam, ut pulſata ſpiritûs plectro interiorum chorda venarum boni operis ſonum reddat. Sume & Pſalterium, ut armonia dictorum factorumque tuorum concinat. Sume Tympanum, ut organum tui corporis ſpiritus moduletur interior, factiſq; operantibus dulcis morum tuorum ſuavitas exprimatur. Sic pſallebat Propheta cùm diceret,* [Cant. 4. 8. *Veni huc à Libano Sponſa, veni huc à Libano.*] Et quia Muſica eſſet amara & inſulſa, ſi careret Diſcantu, pueros in chorum introducit Ambroſius, aitque, *Hoc canticum cecinerunt pueri, nec auditi ſunt. Qui pueri? De quibus dicit,* [*Ecce ego & pueri, quos dediſti mihi*] *ſed hoc canticum non in foro, non in plateis canebatur, ſed in Hieruſalem: ipſa eſt enim Dominicum forum, in quo præceptorum cœleſtium Iura conduntur.*

An non poſſunt & ſolent etiam alibi Iura Divina pronuntiari? Cur igitur Hieroſolymis condi & ferri dicuntur? A nominis ſignificatione reſponſionem deſumo. Civitas hæc à pace dicitur, etſi in terris eſt pax leges divinæ accuratè obſervantur. *Nulla fides pietaſque viris, qui caſtra ſequuntur*; *Nulla ſalus bello, pacem depoſcimus omnes*, ut ſimus homines bonæ voluntatis; juraque divinitùs condita, noſtris cœlitùs animabus inſcripta, humanitùs obſervare valeamus.

An poſſit bona Muſica diſſonare?

105 Videbor quærere, An candor niger ſit? lux obſcura? tenebræ lucidæ? cùm inquiro, An-ne diſſonet Muſica? Scio juniorem quemdam [Ioannem Keplerum in armoniâ Mundi] non naturâ ſed opinione conſonantias & diſſonantias diſtinxiſſe, auſumq; ſcribere aurem, ſi homo vellet, eiſdem numeris torquendam, quibus hodie ſuſpenditur. Sed eum reijcio, non enim impugnatione indiget, qui tam evidenter aberrat. Fortè Keplero aſſenſum penderent omnes illi, qui dicũt, *Quod volumus id æquum eſt.* quia ſi chordarum concentus & diſſimilitudo pendet à ſolo arbitrio, id ipſum de moribus dicere non eſſet diſſonum. At falſum eſt, humano arbitrio rerum naturas ſubiici; non enim chordæ conſonat chorda, quam volumus, & quando volumus, ſed quæ debitâ proportione libratur: adeoque Legi divinæ non conſonabit voluntas qualiſcumque, nec hoc à noſtro dependebit arbitrio, ſed quæ à Lege præcepta. His tamen non obſtantibus, certum eſt nõ rarò ſenſus externos lædi, multoſque abhorrere dulcia.

Digitized by Google

cia,& appetere amara. Et quia guſtum in ęgris læſum frequenter obſervamus, & odoratum ſæpiùs, an-ne etiam ita lædi poſſit auditus, ut torqueatur muſicâ, & relevetur horridis diſſonantiis, curiosè & prudenter inquiritur. Iunxi prudentiam curioſitatemque, quoniam curioſitas virtus eſt; quamdiù limites prudentiæ non excedit.

106. Aſſertivè reſpondeo, reſolutionemque nonnullis exemplis confirmo. Nam Nicanor, ut Hippocrates retulit, tubarũ clangore perturbatus, aut tubicines fugabat, aut fugiebat: tam ingratus erat canorus ille ſtrepitus Viro. Aliqui polychordi armoniâ [*Arpa* dicitur vulgò] fluxum [ſanguinis] aut aquæ patiuntur aſſerente Scaligero; Et Veinrichius cognovit canem, qui muſicam tolerare non poterat; qui ita ululabat, cùm audiebat attemperari fides, ut fuſtibus excipi crederes.

107. Si hæc monſtra natura produxit, cur mirabimur hodie, ſi mores monſtroſos videamus? Peccatum diſſonantia eſt; Deo enim, rationi, & legi diſſonat, qui peccat; at apud plurimos ita peccandi conſuetudo prævaluit, ut in alteram naturam tranſierit. Sunt multa hominum monſtra, quibus honorificum videri ſolet indignas actiones elicere: quibus honeſtum, nihil honeſti facere. Virtus contrà eſt conſonantia vitæ & legis; & tamen torquet invidos: & gratia, quæ æquiſonantia quædam eſt, torquet ingratos: nam favoribus ingratus rũpitur, & invidus virtute irritatur.

Cave omninò hos ſcopulos, Sereniſſime Rex, ſunt enim multi Principes ingrati & invidi; nec Palatium eſt regium, quod ingratis & invidis careat. Ingratus & invidus fuit David; Vriæ ovem parvulam, unicam, quam emerat & nutrierat, invîdit, eumque in excellentium meritorum præmium [2. Reg. 11.] capite condemnavit. Hodieq; multi ſunt in Chriſtiano Orbe Principes, qui in vitiis imitantur Davidem, quem nolunt in pœnitentia ſequi. Sub juſto Deo nec præmio merita, nec carent peccata ſupplicio; & quia David ingratus & invidus fuit, habuit filios, vaſſallos, invidos & ingratos. Vitam illi & coronam [2. Reg. 15. & 16. & 17. & 18.] invîdit Abſalon, cui populus ſeductus conſenſit. invîdit etiam [3. Reg. 1.] Adonai, quem Summates populi ſequuti ſunt: nec producetur Princeps, qui à filiis & à populo multa non fuerit paſſus, ſi aliqui ſub ipſo paſſi ſunt. Vis Tu, Rex Sereniſſime, omnes Tuos continere in officio? liga ſingulos beneficiis, & congruis favoribus obliga, quoniam ſub juſto Rege populus, ſicut nec diſſimilis Principi; ita nec malus eſſe ſolet.

An inter Angelos Muſicamque ſit proportio & concordia?

108 Angelis Animos rationales adnumero, & ſub uno nomine omnes ſubſtantias incorporeas comprehendo, & utrùm ipſæ Muſicâ delectentur interrogo: nam Pythagorici inviſibilia omnia reducentes ad numeros, inter conſonãtias & Animos (idem de Angelis eſſent dicturi) ſummam armoniam repererunt. An-ne etiam diſſonantiam? Omninò. nam numerus qui uni conſonat, alteri diſſonare debet; non enim eſt poſſibilis vox omni conſona voci, nec numerus æqualis omni numero, nec figura omni figuræ ſimilis. Et quidem, ſi inviſibiles omnes ſubſtantiæ corporeæ eſſent, poſſet hæc Pythagoræ ſententia tolerari; at quia altiùs de Angelis, altiùs de Animo rationali ſentimus, neutrius eſſentiam ad numeros reduci volumus, & ideò ad majores anguſtias & difficultates reducimur, ſunt enim hiſtoriæ in Sacris Litteris, quæ ſuadere videntur Muſicam Spiritibus æthereis dominari.

An Muſica ſit infenſa Dæmoni?

109 Primò occurrit Saul, qui ubi primum à Deo deſeritur, à Spiritu malo invaditur, obſidetur, poſſideturque. [1. Reg. 16. 14.] Exagitato igitur Regi dicunt perturbati Satellites, *Ecce Spiritus DEI malus exagitat te. Iubeat Dominus noſter, & ſervi tui, qui coram te ſunt, quærent hominem ſcientem pſallere cythara, ut quando arripuerit te Spiritus Domini malus, pſallat manu ſuâ, & leviùs feras.* Sed ego Satellitibus regiis. An-ne aula hæc regia ita deſtituta eſt delitiis, ut muſicus quæri alibi debeat; & domi inveniri non poſſit? An-non pſallitur linguâ? cur ergo quæritur, qui pſallat manu? Et tandem ne fruſtra laboretis, undè ſcitis Regem obſeſſum à Dœmone, poſſe recurari concentu? Sed cur illos interrogo? Rem video. Cum primùm Rex diſſonuit

Digitized by Google

nuit DEO, ſinguli diſſonuerunt Regi,& tota Aula horridâ turbata diſſonantiâ, omni cępit proportione & ſubordinatione carere: quoniam Spiritus ſingulos in Rege obſidebat: adeòque extra aulam quæri debuit, qui conſonaret DEO, & Spiritui peſſimo diſſonaret. Hic pſallebat manu potiùs, quàm linguâ: ut doceamur, nec olim Sauli, nec hodie noſtris Principibus cytharœdos (intelligo Conſiliarios, Eccleſiaſticos & Civiles) deficere, nec ideò eos habere meliùs, quoniam omnes plerumq; pſallunt linguâ non manu, verbo non opere:& auditores contemnunt Oratoris eloquium, ſi factis diſſonet. Suadetur igitur obſeſſo Regi, ut aliquis Muſicus quæratur, qui cytharâ Spiritum malum enervet;& ſiquidem hoc Aulici ſuadent, hæc erat virtus Muſicæ vulgi ſentẽtiâ;quoniam ſubtiles altioris Philoſophiæ Poſitiones raró montes Palatinos aſcendunt. Venit igitur quæſitus David, & ſpiritus, qui fatigabat Regem, ejus manum (vitæ exemplum,morum ſuavitatem)non tolerat,abeſſe cogitur,nec Regem torquere permittitur. Sic Litteram Sacram exponunt Ioſephus, Gregorius, Theodoretus, Iſidorus, Eucherius, Dionyſius, Hugo Carenſis, Lyra, Abulenſis,& alii.

110. ☙ Sed ex hac deciſione ſuboritur quæſtio ſublimior;videlicet,An hæc miracula patrârit Pſalmographus ille vi naturali Muſicæ, an verò aliquo ſupernaturali concurſu? Procopius & alii veteres hoc ſecundum; Nierenbergius & alii juniores illud primum affirmant;quia tametſi negari non debeat, Davidis orationes armonicas ſummæ fuiſſe potentiæ, non tamen vident, cur non potuerit Muſica, ſuo ingenio naturali relicta; Regem laborantem juvare.

111. ☙ Et quidem hæc ipſa ſententia non diſplicet; quia tametſi Muſicæ juriſdictio ad Spiritus non perveniat immediatè & directè, poteſt nihilominùs indirectè & mediatè, nimirùm alterando & immutãdo naturam, quâ Dœmon indiget, ut in corpore humano operetur. Sunt in homine diverſæ qualitatum proportiones,& genera; & ab illis dependent inclinationes variæ, quæ relucent in ſingulis. Inter reliqua temperamenta melancholicum, ſi intenſum ſit, peſſimum eſt; illo utitur Dœmon ut homines concreditos ſibi perturbet; illud corrigit naturaliter Muſica, ſenſus interiores recreando.

112. ☙ Stat igitur Muſicam, niſi peccet exceſſu,recreationem honeſtiſſimam eſſe. Divino illam cultui in Eccleſiâ ſervire; in aulâ *naturali* armoniâ Principum animos fractos labore civili relevare;*morali* analogiâ eoſdem ad virtutum dilectionem illicere,(omnes enim virtutes ſunt Muſicæ Moralis ſpecies,& conſonantes DEO diſſonant concupiſcentię maleſuadæ)*ſupernaturali* etiam influxu,quia facientibus quod in ſe eſt, DEVS non denegat gratiam,ſed potiùs indebitos favores adiiciẽs & phyſicas virtutes elevans conducit fœliciter,quò naturę viribus non poſſent omninò, aut ſaltem difficillimè poſſent:unde Theologi docent alia eſſe ſupernaturalia quoad ſubſtantiam,alia quoad modum.

113. ☙ Hanc Muſicæ naturalem virtutem aliæ firmant hiſtoriæ; nam Aſmodeus Saræ Spiritus (aut potentior, aut ſaltem Spiritu Saulis pernitioſior)fumo fugatus eſt.Pulchra eſt,& quæ legi deberet tota hiſtoria; ſed brevitati ſtudens duorum vel trium Capitum ſynopſin dabo. *Capite* enim *ſexto* Angeli Raphaëlis hortatu Tobias piſcem invadentem apprehendit & exenterat,cor ejus fel & jecur ad medicamenta reſervat. Apud Raguelem divertit. Ejus filiam Saram in uxorem poſtulat Angeli juſſu.*Cap.Septimo.*Filiam,cujus jam ſeptem viros Dœmon occiderat,nolenti ſimilis Raguel tradit, ſed tradit. *Cap.Octavo.* Tobias intrepidè init thalamum. Partem jecoris piſcis aſſat, & Dœmon ab Angelo ligatur, (mirabilis inter fumum & Dœmonis vincula connexio!) Tobias & Sara ſimul orantes noctem tranſigunt,manè ſalutantur incolumes, & dote ditiſſimâ donantur.*Cap.undecimo.*Tobias redux, Parentis ſui cœci oculos felle piſcis oblinit, nubeculas oculis adnatas aufert, & lucem amiſſam reſtituit.

114. ☙ Phyſicè hiſtoriam pondero. Quoniam,ſi fumus Aſmodeum homicidam Spiritum fugare potuit,etiam poterit Muſica,cùm auditus nobilior odoratu ſit, & minùs materialis videatur. Confirmat id praxis Eccleſiæ,quæ adjutura energumenos fumigationes ſemper tolerat,non raró uſurpat;& orationes legendas aut cantandas præſcribit, ut voce etiam & muſicâ à Dœmone obſeſſi leventur.

115. ☙ Ethicè ipſiſſimam hiſtoriam reſumo:& ad Te convertens oculos, SERENISSIME REX, totam iterum eventuram prævi-

video. *Tobias, Raguel, Sara,* nomina peregrina interpretari debent. *Bonus Dominus*, *Paſtor DEI*, *Domina*, aliàs *Argenis* anagrammaticè *Regina*. Tu igitur, Polyarche Potentiſſime, Bonus Dominus es, adeoque Tobias etiam es, Sponſus Saræ, Conjux Argenidis, Provintiarum Reginæ, quæ Te aureâ coronâ donat, & ad denas diſponit; & vocatur B O H E M I A. Hanc, illaſque fœliciter inito, ſed duce Angelo, comite Spiritu, & conſiliario Raphaële; E proceloſo Mundi pelago monſtrum informe immane ingens, cui lumen ademptum (hærerodoxam, & multiformem ſubintelligo hæreſim) egreſſum, Te invadit. Ne timeas: ne cedas: obviam ito; & manibus teneris, Auſtriace Hercules, hanc multicipitem hydram confodito. Pertinacis amaritudinis eſt fel, jecurq; primum morbi principium; quia hæreſiarchæ & pertinaces ſunt, & miſeriarum publicarum origo; fel ſunt Reipublicę, Imperii jecur; amari, contagioſi, quos qui igni mandes, excitabis fumum gratum Angelis, ingratum Dœmoni; fumum, quem Aſmodeus, multâ hominum ſtrage infamis, tolerare nō poſſit Amara damnationis memoria ob oculos univerſorum ponitur in aliis Provintiis. Hiſpania pertinacium Cacodoxorum nomina æri publico inſcribit, in majoribus templis appendit, ut ſupplicia in memoriâ perennent, & ultima mortis ſententia immortalis evadat. Hanc ego hiſtoriam ob oculos ſimiliter pono, ipſa enim viſum acuit, & omnem cœcitatem eliminat. Imiteris quà proſit, aliorum Principum Auſtriacorum generoſam audaciam. Raphaëlem habes comitem, commilitonemque. Converte in fumum & cineres, quotquot in Raguelis (Paſtoris D E I, ſeu Romani Pontificis) domo (Eccleſiâ) doctrinæ puritatem impediunt; & hoc fumo fugabis ſtygios Spiritus, qui has regiones invadunt.

Muſica futurorum præſcia.

116 MVſicam diſſonam Angelis malis eſſe vidimus: eſſe conſonam bonis videbimus, maximè ſi Litteras ſacras recognoſcamus. Quoniam ſicut decernit DEVS immiſſiones per Angelos malos, ſic etiam favores per Angelos bonos, unde D. Benedictus in Regulæ Prologo, *Rogemus Dominum, ut gratia ſua jubeat nobis adjutorium miniſtrare.* Quod Sermi de triplici bonorum genere Melleus meus Bernardus exponit. *A ſanctis Angelis*, ait, *auxilium quærendum eſt*. illud proculdubio, quod nobis Dominus præcipit miniſtrari; nimirùm, *ut illi ſupereminenti Majeſtati preces noſtras offerant, & referant gratiam*. Amant Pſalmos & Muſicam Eccleſiaſticam Angeli, & ideò in Oratorio reſident, armoniâ humanæ devotionis illecti: quam ob rem quotidiè claudimus horas canonicas dicentes: *Viſita quæſumus Domine habitationem iſtam, & omnes inſidias inimici* (ſuggeſtiones & tentationes dœmonis) *ab eâ longè repelle, & Angeli tui ſancti, habitantes in eâ, nos in pace cuſtodiant, & benedictio tua ſit ſuper nos ſemper*. Sed quid Angeli operantur in templis? uno aut altero exemplo explicabimus.

117. Dimiſſus à Samuele Saul [1. Reg. 10.] *obvium habuit gregem Prophetarum deſcendentium de excelſo; & ante eos pſalterium & tympanum, & tibiam, & cytharam, ipſoſque prophetantes. Et inſiliit in eum Spiritus Domini, & prophetavit in medio eorum*. Vbi dubitare quis poſſet, An-ne Domini ſpiritus, qui illapſus, fuerit aliquis Angelus: an aliqua ſupernaturalis qualitas? at nemo ambigere. An Prophetarum Muſica attigerit novi Principis Animum? Saulem prophetantem audimus; & admirabundi inclamamus. *Quænam res accidit filio Cis? Nunquid & Saul inter Prophetas?* Quid acciderit, dicam. Influxu & concentu Muſicæ naturaliter, & ſupernaturaliter divino Numinis æterni concurſu, cordis mutationem fuit paſſus. Lego in ſacro textu, *Cùm avertiſſet humerum ſuum, ut iret à Sàmuele, immutavit ei DEVS cor aliud.* Ergo doceamur, quid Muſica operetur in nobis. Excidit corda veteris hominis moralis Muſicâ, & dum conſonat legi divinæ, cor novum & purum implantat. Pande igitur D E O animum, N O V Æ R E X, cor humanum offer, cœleſte & angelicum poſce. Cœlum peregrinarum impreſſionum eſt incapax, & Angelus ſpiritualis eſt: ora igitur, ut cor incapax peregrinarum impreſſionum obtineas, ut ſimilis Angelo evadas.

118. Conſulitur Eliſeus [4. Reg. 3.] & daturus oraculum, Pſaltem adduci præcipit, & eo cantante notitiam futurorum adquirit, & ait; *Hæc dicit Dominus, Facite alveum torrentis hujus foſſas & foſſas: hæc enim dicit Dominus. Non videbitis ventum, neque pluviam &*

& alveus iſte replebitur aquis: & bibetis vos, & familia veſtra, & jumenta veſtra. Parumq; eſt hoc in conſpectu Domini: interim tradet etiã Moab in manus veſtras. Et percutietis omnem civitatem munitam, & omnem urbem electam, &c. Sed quænam inter Prophetiam & Pſalterium proportio? Directa nulla omninò, & tamen erat magna proportio. Iras juſtiſſimas contra Ioram Propheta ſanctiſſimus conceperat, & ad ſedandos animos indiguit Muſicâ. quæ tranquillitatis quæſitæ naturalis fuit cauſa. Sanè Muſicam ad Prophetiam conducere teſtatur Ciceronianus Quintus [libr. 1. de Divin.] aſſerens *eſſe plurimos, quorum animi contemnunt corpora & reddunt certiſſima Oracula ad numeros concentûs Phrygii.*

Ego autem tametſi ab Eliſeo remotiſſimè diſſitus, peccatorum multitudine irritor & perturbor. Et quia, cùm alios carpo, imperfectionibus non careo, factus ſum mihimetipſi gravis. Iubeor fata prædicere, & armoniam moralem poſtulo. Detur mihi, ut in Germaniâ videam cogitationes DEO conſonas; verba uniſona menti, opera legi æquiſona, & ſtatim incipiam ſecuriſſimè dicere, Audite Cœli quæ loquor, audiat terra, quæ confidenter & audacter pronuntio. Hæc barbarorum inundatio ad majorem gloriam Catholicæ Religionis conducet. Iſti tribulationum æſtus, quibus agitamini vos, familiæ veſtræ & bona veſtra, cõducent ad majorem coronam.

Muſica victrix.

119 REluxit divinus concurſus in exemplis propoſitis, at Gentilis hiſtoria merè naturalia ſubminiſtrat, quæ vires Muſices luculentiùs oſtendunt. Sed ne dicar merè ethnica adducere, aliquid pręmittam è ſacris. CHRISTUM dicam pugnaturum cum Dœmone præcinuiſſe hymnum, cantuque animum puſillanimum Apoſtolorum reformaſſe. Habui à S. Auguſtino in Pſalm. LXXII. Veniamus ad hiſtorias humanas. Legimus Pythagoram, Cliniam, & Achillem, ubi perturbabantur, ad numeros ſonoros recurriſſe. Ariſtoxenus docuit, Muſicam medicinalem eſſe, & ideò ad convivia invitatam, ut animos luxu obrutos relevaret. Subſcribit illi Plutarchus: citat utrumque Nierenbergius. Tumultuantes Lacedœmonas numeris enarmonicis ſedavit & compoſuit Terprandus, aliique cantando præſtiterunt, quæ pugnando non poſſent.

Hinc jam intelligo Regis Prophetę obſcuriſſima verba. *Exaltationes DEI*, ait, *in gutture eorum, & gladii ancipites in manibus eorum*: quæ de militibus æquè ac religioſis expono. Cantant iſti, & orando DEUM Eccleſiam & Imperium propugnant. Pugnant illi, & militando, DEUM orant, DEUM laudant. Multum enim dicit, qui ſuum ſanguinem generosè profundit: multum facit, qui noctu diuque Numen adorat.

Muſica caſta.

120 SCio eſſe in Muſicâ laſcivos modulos, ſed hi ſunt ſpurii, & qui ad Artem hanc partheniam non pertinent. Vera Muſica pura eſt, caſta eſt, & corporum animorumque puritatem conſervat. Caſta fuit Clitemneſtra? Gratias Muſico. Is proponebat illi veterum Heroïdum conſtantiam, & ita accendebat in amore virtutis, ut omnem deteſtaretur voluptatem. Ardebat Viraginem ſpecioſam Ægiſtus; nec aliter illam vincere, quàm Muſico ſublato potuit. Eidem conſonuiſſe Pythagoram docuit Tullius, & ex eo S. Thomas: nam non paucos libidine immerſos armonico concentu eripuit, & inter alios adoleſcentem Taurominitanum, ſupra omne conſilium & ſpem.

121. Nec mirum: Caſtitas armonia eſt, concentus eſt; libido diſſonantia & diſcordia. De utrâque plura dicerem, ſed evocor & interpellor à Caſſiodoro, quem meis verbis illæſo proprio conceptu repræſento. Eſt Muſica ſenſuum Moderatrix & Rectrix, ait, ornatur conſonantiįs, politur concentibus, decoratur armoniâ. Fugat omnes mentis cogitationes, totum enim hominem abripit; vult ſola audiri, ſola concipi, nec compatitur aliam meditationem. Triſtitiam tollit, lætitiam infert; diminuit ſuperbiæ furorem, condit crudelitatem, dormitabundam mentem excitat: & caſtitatem aut vanâ pulchritudinis ſpecie illuſam, aut in proceelloſo voluptatum oceano periclitantem, revocat & confirmat. Tædium animi, ſicut generoſis decretis, ſic & Muſicæ contrarium eſt. Illud melodia proſcribit; & cum illo maleſuada odia, & fallaces pertur-

ba-

Digitized by Google

bationes voluntatis. Immaterialem Animum materialiter recreat;illumque potentiſſimè in quamlibet ſententiam impellit.Loquitur ore; digitis, pedibus, membris omnibus: chordis, fidibus, tubis, tympanis & aliâ plurimâ inſtrumentorum varietate: omnia hæc quinque tonis, denominatis à Regionibus, in quibus ſunt culti aut inventi;nam ſicut non fert una omnia tellus, ſic nec omnia ſapit aut excolit. Muſica igitur quà Dorica, componit mores & modeſtiam verecũdam, & caſtitatem ejuſdem comitem individuam inducit:quà Phrygia,militaris eſt,& potẽs ære ciere viros,martemque accendere cantu: quà Æolica pacat procelleſcentem Animum,& placidum ſoporem conciliat: quà Iaſtia,acuit ingenium,cœlum aperit, mentem à terrenis voluptatibus eruit, & in arduam virtutis viam imperiosè conducit: quà Lydia Hominem diſtrahit, & à negotiis tantiſper evocat,ut ad eadem iterum fortiorem & expeditiorem remittat.

Muſica phyſicè prædeterminans.

122 SVmmè difficilis eſt illa Theologica Quæſtio,quæ examinat,quo DEVS modo liberos affectus prædefiniat? an detur darive poſſit præmotio aliqua, quæ voluntatem regat,& ad actum conducat? Ferè omnes Acatholici concedunt gratiam promoventem & prædeterminantem; quæ omnem arbitrii indifferentiam deſtruat, omnem libertatem proſcribat. Amaram hanc ſententiam multi Catholici ſaccharo condítam protrudunt,putantque,diſtinctione ſensûs compoſiti & diviſi libertatem ſalvari: quos ego intelligere nequeo, nec olim intellecturus ſum. Sequi Angelicum Doctorem impręſentiarùm volo. Sequi ſinceriores Thomiſtas, qui affirmant poſitâ præmotione phyſicâ poſſe Animum diſſentire, ſi velit, non tamen diſſenſurum eſſe,quoniam ſuaviſſimè æquè ac potentiſſimè gratiâ divinâ gubernatur. [conſultò illud *impræſentiarùm* poſui; potero enim cras mutare ſentẽtiam,nemo enim dubio aut probabilitate ligatur.] Et quidem nunc non eſt cur regeram hanc opinionem,nec cur Gratiæ virtutem prædeterminandi & præmovendi negem, cùm videam hanc in Muſicâ (gratia materialis quædam eſt) dulciſſimè & efficaciſſimè inveniri. Multa & varia recenſentur exempla,quæ perſtringere proderit.

123. ☞Cybelles vox parentes, aliàs amicas puſillanimeſque, ad prolicidia acerrimè prædeterminabat; & auditu concentu leænas crederes, quas mitiſſimas oves putaras. Ad furorem prædeterminat Animum Corybantum ſtrepitus. Lacedœmoneſque Tyrrei & Pindari carminibus in acie, ad fortiter pugnandum prædeterminabantur. Vnuſquiſque ſuarum eſt operationum dominus; at Muſicus, non ſuarum modò, ſed etiam actionum alienarum. Vt id probem, Timotheum Magni Alexandri Muſicum, audiri jubeo. Ludebat tam potenti armoniâ ut animos raperet, raptos ſub jugum duceret, & prædeterminaret quò vellet. Cùm uti volebat irato & perturbato Rege, illum præcipiti numerorum impetu & concentu alterabat; demumque tranquillitati reſtituebat, tardâ quadam ſuavitate reſtaurans. Et ne decrepita narrare dicar,ad noſtra veniam ſœcula & quę Albertus Krantzius ſuæ Daniæ libr. 3. cap. 3. tabulis mandavit,reſumam.Erico IV.Daniæ habenas tenente floruerunt Artes plurimæ, & inter alias Enarmonica. Supra univerſos Philomuſos erat, qui excelleret, & animos hominum, ut manu ceram,plectro alliceret,fugaret;deiiceret, extolleret; & arbitratu componeret & perturbaret.Narratur Regi inſolens Artis ingenioſæ miraculum: videre hominem, audire omnipotentem cupit Muſicam, & jubet adduci cytharœdum. Renuit ille;& ſeriò inculcat aulicos, aliàs ſatis audaces, non indigere impulſu, ut incipiant res arduas. Sed juſſus obaudit,& auditur.Cœpit infimas fides tardâ manu propellere,& omnes dulci triſtitiâ proſequutus ſuſtinuit,eoſque tam ſuavi torſit ſono,ut ſe rumpi melancholiâ ſentirent,& velle non pati non poſſent. Cantat altiùs, celeriùs,& benigniùs. Et pedes concitat cùm ſolvit animos.Neminem continuit loci dignitas, neminem Monarchæ præſentis authoritas, neminem gravitas;quin tripudiare inciperet, & numeris jocoſis applaudere. Incendit armoniam citharœdus,vehementiùs pulſat,luduſque in ſeria tranſit. Mentitur Cytharœdus tympana,exprimit tubas,*ſigna pares aquilas & pila minantia pilis* cõcentu militari imaginat,& ſingulos audiẽtes irritat. accẽduntur iris effuſis univerſi,ſtringũt ferrum ſinguli, & quia irę Principũ ſunt audẽtiores,transfverberantur nonnulli regiâ illâ mânu,quâ debuerãt defendi.

Digitized by Google

124. ☞Hinc ego ad ſupernaturalem gratiam redux, ſic diſcurro. Muſica eſt naturalis quædam gratia; Gratia eſt ſupernaturalis quędam muſica: cur ergo ſupernaturali concedi non poterit, quod nequit naturali negari? Stet igitur mirâ DEVM Homines ſuavitate ad prædeſtinatos fines & actiones inducere, nullâ ſenſus compoſiti aut diviſi neceſſitate invectâ, & ſi hoc prædeterminare ſit, etiam homines prædeterminare: nam ubi res cognoſcitur, de voce non eſt diſputandum.

An & hominibus competit phyſica præmovendi poteſtas? Quid dicam, SERENISSIME REX? Hanc eſſe Quæſtionem, quam audire debeas, quam neſcire non poſſis. Magnus fuit Alexander, & tamen Timotheo illo minor, cujus armonico concentui obediit. Ericus ſuum habuit Timotheum in Daniâ. Et noſtro ævo Richelius, quidam Timotheus Gallus fuit, affectibus actibuſq; Regis Chriſtianiſſimi imperitans. Ipſe omnipotens Lyrœdus fuit, omnes & ſingulas reſolutiones, imò cogitationes Regi præcinens, illumq; ad bella & ad pacem; ad ardua & ad profunda prædeterminans, imitari viſus eſt alterum Timotheum Hiſpanum [Ducem Lermæum intelligo] qui voluntatis Regiæ, duorum Mundorum dominæ, dominus fuit. Servivit iſte à prædeterminationibus Philippo Tertio, Filio Secundi, qui omni Homine prædeterminante caruit. Pono ob oculos tuos domeſtica Auſtriacorum exempla, quoniam eò fortiùs movent quò propiùs ſumpta.

125. ☞Tibi Philippos duos; Avum, Proavum; Pium, Prudentem; contemplandos exhibui; ſed utrum expediet imitari? Neutrum, utrumq; Solus regnavit Secundus Philippus in Hiſpaniâ, ſummæ prudentiæ Vir, omnibus omnia, ſingula ſingulis: Actor, Patronus, Iudex, Præſes, Conſilium, Populus: & tametſi unus fuerit omnia, non ideò omnia fuerunt unum. Bella habuit difficillima; æquali ſemper animo, inæquali fortunâ. Solus gubernat Dux Lermæus in Hiſpaniâ ſub Tertio ſummæ pietatis Rege; pacis non tam amator, quàm amaſius, nam enervavit Regionem pace nimiâ. At quia medium tenuere beati, Avo; Parentiq; ſucceſſit Quartus, à dignitate Magnus, à religione Summus, medium tenens; & quia nimium eſt omnia confidere Miniſtris, nimium eſt nihil confidere, ita illis caret. ut prædeterminatione non indigeat. Eſto ſua laus Philippi Secundi prudentiæ; eſto ſua pietati Tertii; Tu Quartum imitandum ſuſcipe, piè prudentem, prudenter pium; & ita præcinium Aulicorum admitte, ut & memineris omnes & ſingulos audiendos eſſe; ſingulis, aut ſemper uni obaudiendum non eſſe. Proponuntur in Senatu ſuffragia; nec illud illicere aurem debet. quod nobilioris, ſed quod nobilius, Publicæ rei conformiùs, & expeditioni faciliùs. Liberalitate DEI propriæ voluntatis es Dominus; ne eſto prodigus, ne fias ſervus alienæ; nec in Senatu toleres, qui te ſub jugum ducere & phyſicè præmovere prætendat. Cantum Lydium & Phrygium juvenibus interdixit Plato; Dœmon fœminæ coram adoleſcentibus cantanti Phrygium, Dorium indixit, & ut credidit præcipiente Pythagorâ; Ergo & Tu, ſi Conſiliarii præcentores dicantur, potiùs eos prædetermina, quàm Te ab illis prædeterminari patiaris. Duc eos, ne ſeducaris; omnia conſilio, ne tamen conſilia omnia ſequaris; ſed tanquam rerum Dominus, lege hac poſitâ, *Ne quis honeſto utile, morali phyſicum, ſpiritnali corporeum, cœleſti terrenum præponat*, ſingulos prædetermina, ne per politicos Machiavelli Oceanos ſe fundant, ſed potiùs Te ad Religionis ſenſa colligant, totumq; Cruci & Fidei defendendis ſubligent.

Muſica medica.

126 VIdeo promiſcuum vulgus lue variâ infectum, Te regnante; multi laſcivi ſunt, multi ſuperbi, multi ebrioſi; omneſq; hac pernitioſâ vitiorum triade reliqua concatenant. Ecce populus laborat leprâ, & ad Te curandus & reſtituendus mittitur; nec abſq; exemplo; quoniam 4. Reg. 5. 6. Naaman mittitur ad Iſraëlis Regem, cum iſtis litteris: *Cùm acceperis Epiſtolam hanc, ſcito quod miſerim ad te Naaman ſervum meum, ut cures eum à leprâ ſuâ.* Ego eadem reſumo verba, indicoq; ut cures populum Tuum à leprâ ſuâ. Quid reponis? An-ne inquis, Numquid DEVS ego ſum, ut occidere poſſim & vivificare? An-ne tua veſtimenta excidis? Hære obſecro. DEVS non es, at es divinæ majeſtatis particeps; ſcindito corda Tua, & non veſtimenta Tua, ait Dominus Omnipotens. Cura Populum, nam ejus morbus, quantus eſt, in merâ conſiſtit diſ-

Digitized by Google

diſſonantiâ, cui poteſt conſonantia mederi. Conſonantia? maximè: quod conceptibus illuſtrari poterit & exemplis.

127. Multos olim populi morbos tubarum concentu Democritus eliminavit. Aſclepiades, nobiliſſimus Medicus, multos, Celſo aſſerente, armonico fidium concentu. Furibundos cantando ſedavit Xenocrates; & tot experimentis fuit confirmata virtus medicinalis Muſicæ, ut alias ſpecies Athenienſes deſpexerint, & Marciano Capellâ referente lege publicâ ſanxerint ægros lyræ ſono curandos. Tranſit hæc nova Medicina ad Bœotiam, in quâ legimus, non pharmacis, ſed merâ Muſicâ ægrotos adjutos ab Hiſmeniâ Thebano. Hinc apud veteres tubarum clangor in pompâ funereâ frequens fuit, ut vel ſic, ſi vitæ remaneret ſtilla, poſſent ſuſcitari cadavera. Hinc domus Principis Synagogæ, cujus filiæ vitam reſtituit CHRISTVS, tubicinibus plena: legatur textus, & inter alios expoſitores Cajetanus. Morſus Viperæ lethifer eſt; at virus colligit congrua Muſica, aſſerente Theophraſto. Subſcribit alter Theophraſtus Paracelſus, ſed in ſuperſtitiones & vanitates lapſus. Thales Mileſius Muſicâ peſtem abſtulit, & Xenophilus ſuam toleravit ſenectam ſolâ Muſicâ ad centeſimum & quintum annum. Et noſtro ævo Tarantula (Araneus Apuliæ ipſa eſt) digna, quæ dilucidaretur uberiùs, ni res eſſet notiſſima, & à nullo ignorata. Leviter ipſa pungens, mortiferum virus communicat, à quo ſola Muſica Hominem curare poteſt.

128. Aperi igitur oculos, OPTIME REX; Si in urbe, in Apuliâ etiam ſumus; & pleroſq; pupugit Scorpio vel Vipera; cęteros momordit Tarantula: Tua intereſt curare ſingulos; nec alio modo poteris quàm enarmonicè. Præcine igitur, ut ipſi concinant; ut concinendo conſonent; conſonando curentur. Ora tene, & quia Principis exemplo tota componitur aula, tota urbs, totus orbis, conſona totus DEO; conſonent cogitationes Tuæ voluntati Divinæ, verba prudentiæ, actus rationi. Hæc eſt muſica, quæ populos à morbis liberat, & valetudinem potenter conſervat. Neſciunt ſubditi non conſonare Principi, & quia quæ conſonant uni tertio ſolent conſonare inter ſe, [*ſolent* conſultò dixi, ut meritum in libertate collocem, & neceſſitatem univerſam proſcribam. *Vide num.* 170.] porrò ſi Tu DEO conſones, conſonabit DEO populus; qui ſi conſonet DEO, ſanus eſt.

Alii Principes dominentur inſano & diſſono; Tu conſono, Tu ſano. Tu forti; optimi igitur Populi habenas regendas adſume, cinge tempora cydari; & ſiquidem tibi loquitur CHRISTVS, totâ mente illum audi. *Diſcito à me*, inquit ipſe, *quia mitis ſum & humilis corde*, ut ſcias, parcere ſubjectis & debellare ſuperbos. Ecce Verbum DEI, aut ut ſignificantiùs loquar, Verbum DEVS Te alloquitur: audi & obaudi, ſonorum enim & numeroſum eſt, & legibus divinis conſonum. Filius Divinus eſt & tamen factus obediens Patri uſque ad flagella, uſque ad ſpinas, uſque ad clavos, uſque ad mortem, mortem autem crucis. Ecce Patris & Filii divinam conſonantiam; & qui non movetur hoc exemplo, creatura rationalis non eſt.

Efficacia Muſicæ in bruta.

AD Te converto oculos, Aulice, qui ſub Rege pio, juſto & modeſto, impius injuſtus & exorbitans es. An Te vocabo brutum? minimè: non enim te tanto honore dignor, quoniam bruta moventur Muſicâ & tu indocilis & immobilis es. Ad confuſionem ego tuam aliquot producam irrationalium animantium exempla.

129. Canes, Equos, & Vrſos Muſica delectari certum eſt: illis addo Paguros, Peſtinacas marinas, & alia id genus animalia. Tyrſi Ægyptiaci Muſicâ adliciuntur ad retia; & Apes juvenes æris ſtridore revocantur. Hienę melodiâ decipiuntur & occiduntur; & Apri, & Cervi ſuſtineri & capi poſſunt Muſicâ, ſi Æliano fides. Sententiâ Arabum, conſonantiâ hominum, arborum ſtrepitu, fontiumq; murmure pecudes ſaginantur; & agaſones campanularum tinnitu levant brutorum onera, recreant fatigata jumenta. Elephantes cicurantur Muſicâ; & eâdem arte Equæ in Libya captantur, Greges fiſtulam ſui Paſtoris ſequi, ſi oculis credimus, non eſt cur diſcamus ab Æliano. Amphion, ut Delrius æſtimat, non debet fabuloſus putari. Iam jam proiiciendus in pelagus, luſit fiſtulâ, Delphinum vocis dulcore adlicuit, illuſitque hoſtium crudelitatem; projectum enim, beſtia dorſo ſuſtinuit, & in littus tranſvexit. Gratias armonicas re-

Digitized by Google

demptori ſuo pependit Amphion, quas Ælianus tranſtulit, & cap. 45. libr. 12. propoſuit. Porrò Aves recreari & falli Muſicâ, quotidiana experientia confirmat, quoniam *fiſtula dulcè canit, volucrem dum decipit auceps*; utimur etiam avium cantu, ut alias ſeducamus in retia; quæ omnia, quoniam obvia ſunt, non debent teſtimoniis probari.

Igitur, ſiquidem hæc omnia certa ſunt, Vale Philoſopho Stagiritæ dico, qui Ethicorum tertio aſſeruit bruta non recreari cantu. Ea concentu moveri certum eſt, & ſiquidem tu Aulice, CHRISTVM præcinentem non curas, non jam alogus, ſed ſaxeus es.

Efficacia Muſicæ in res inanimes.

IMò ne quidem ſaxeus; quoniam lapideus habent ſuum Orpheum, & tu conſonantiis non traheris.

130. Fabius Paulinus in libro illo de Septenario numero, omnia quæ de Orpheo à Poëtis cantata, vera exiſtimat, & conatur ſingula reducere ad Philoſophiam naturalem. Tantam eſſe Muſicæ vim ut montes naturaliter transferat, fluvios ſuſpendat, Arbores eradicet, Paulinus perſuadere conatur: at multò modeſtiùs & prudentiùs Suidas, & ex eo Nierenbergius, qui omnia hiſtoricè admittunt, at Orpheum fuiſſe Magum perditiſſimum aſſerunt.

Sed quidquid ſit de Orpheo, multa corpora inanima armoniâ & ſono moveri manifeſtum eſt. Scio tympanum è corio agnino rumpi, cùm corium lupinum pulſatur. Scio fides agninas non poſſe tolerare lupinarum concentum. Scio duarum fidium uniſonarum non poſſe vapulare alteram, quin ſonet utraque. Nimium hæc ſunt communia, magis peregrina expendamus.

131. Halefini fontis meminit aliquando Solinus, aſſeritq; ejus undas ad modulos enarmonicos ſūmâ melodiâ murmurare, & ſi curentur arte & inſtrumentorū cōcentu, ſingulas tripudiare, & è laticè numeroſè exſilire.

132. Et Ego, cùm Solinum audio urbem hanc ab illo pingi exiſtimo. Regia eſt, & in eam, ut in Oceanum fluvii, omnes urbes exonerant. Cives omnes ſunt undæ; & quia ſuum Regem amant, etiam murmurant; amicè tamen, non detractoriè & calumnioſè. Obloquuntur temporibus, bellis, tempeſtatibus publicis, & quia beatitudinem ambiunt, pacem, ſine quâ nemo eſſe beatus poteſt, impatienter exſpectant. In Haleſino fonte undæ exſiliunt, ſi numeri enarmonici poſtulent; in Vrbe inſultabunt Principi ſubditi, ſi non conſonat DEO. Tu igitur, SERENISSIME REX, Iuſtitiam tene, & audacter inclama, *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego CHRISTI.* Sanctè vive: & ſanctis dominari Te judica. Nequit umbra eſſe recta, ſi obliquus ſit & intortus ſtylus; & nemo ignorat populum eſſe Regis umbram. Sis Tu umbra DEI, & ad majorem Fidei Romanæ gloriam *intende proſperè, procede & regna.* DIXI.

Placet ſubjungere alteram Orationem, quæ Benedictinam Regulam cum Muſicâ Gregorianâ componit, & pronuntiat Documenta Politica, quæ Regularibus ſervire poſſint. Inſcripta fuit Reverendiſſimo & Ampliſſimo D. D. Michaëli apud S. Crucem Abbati meritiſſimo, Ciſterſienſis Ordinis Generali Vicario, Calendis Ianuariis Anni M. DC. XLVII. loco Xenii.

ORATIO VII.

De Converſationis Politico-monaſticæ armonia & conſonantia.

E*Cclesiaſtica Muſica Author; An D. Benedictus? An potiùs Gregorius Magnus, Petrus Cardinalis, vel Guido? An uti debeamus ſex notis, Vt, Re, Mi, Fa, Sol, La? An potiùs ſeptem Litteris.* G, A, B, C, D, E, F*? an tandem toto Abecedario?* 136.

Re-

Regula D.Benedicti eſt cæleſtis & moralis quædam Muſica. 138. *Cur ſolum continet tres lineas? Quia tria ſunt vota ſubſtantialia, quibus omnes notæ Muſicæ Benedictinæ attemperantur.* 151. *Eſt ne gravis aut levis? utrumque, ſed diverſo reſpectu.* 155.

Scala noſtræ Muſicæ, eſt eadem, quæ Humilitatis; & à D.Benedicto deſcribitur. 138. *Hanc ſcalam percurrunt voces Religioſorum, nec non Religioſi vocales,* alogus *enim (illinguis & irrationalis) eſt, qui Sanctus non eſt.* 138.

Voces ſunt Tenor, Baſſus, Altus, Cantus. 138. *Tenor eſt præcipua & ſecuriſſima vox, in octavo Humilitatis gradu fundata. Hanc videtur conſuluiſſe S.Benedictus, hanc cantaſſe.* 141. *Ex Tenore ad Altum per rigoris intenſionem adſcenditur.* 142. 146. *ad Baſſum per legitimam diſpenſationem deſcenditur.* 138. *Dicitur hæc Muſica diſcretione præcipua, quod juxta fervorem & neceſſitates intendi remittique poſſit.* 140. *Eſt ſimplex ac multiplex ſimul.* 141. *In Imagine armonicâ, omnium quattuor vocum proprietas; & in Benedictinâ Regula omnium quattuor Regularum perfectio reperitur. Habet Regula ſeptem capita in Prologo, & ſeptuaginta tria in corpore quæ octoginta notis repræſentantur, tolle unam notam adde-ve, & turbabitur Muſica; tolle aut adde unum caput, & turbabitur profeſſio regularis.* 142.

Cantus in eâdem Muſicâ Morali varius Sarabaitarum, & eorumdem more Sæcularium mollis, Religioſorum durus, fortis, firmus. 147.

Omnes conſonantiæ armonicæ reperiuntur in Regulâ. Vide à 166. *ad* 171. & 177. *Conſonantia operis & labii, labii & mentis, mentis & DEI.* 138. *Senſuum Rationiſque.* 156. *Animorum. Amor eſt conſonantia.* 138. *Conſonantia in proportione conſiſtit; Muſica & Geometria reperitur in Regulâ vix, autem Arithmetica. Diapaſon, Octava, conſonantia per omnia.* 140. *Conſonantiæ imperfectæ etiam debent admitti.* 154.

Si plura inſtrumenta exactè temperentur, non poterit unum pulſari, quin reſonet aliud intactum. 152. *Sic ad motum* CHRISTI, *qui primum inſtrumentum eſt, moventur Benedictus, Bernarduſque: ad motum horum Abbas: ad hujus motum* Religioſi. 151.

Monaſterium eſt Polychordum Eccleſiaſticum, Fides ſunt Religioſi. 140. *Debent attemperari. Chordæ ſeu Fides, ſi torqueantur, intenduntur; & Cordis Fides in tribulationibus & animi torturis augetur. Chorda, quò brevior altior; Religioſus quo humilior eminentior.* 143. *Chordæ fortes, ut poſſimus è labyrintho mundi ſecurè egredi; molles, ut frangantur, & ſua nos fragilitate concatenent.* 147. *Chorda, quæ attemperari renuit, ſi non frangitur ſponte, vel invita præciditur; Religioſus, qui ſe accõmodare non vult moribus Monaſterii, ſi ſponte non exſiliat, vel involũtarius expellitur.* 153.

Tactus: Menſura: Hiſp. *el Conpás.* 140. *Omnes menſuræ reperiuntur in Muſicâ; omnia tempora in Regulâ.* 140. 141. *In eodem tactu, ſeu momento præceptum obedientiaque.* 154. *An Regularis Muſica procedat per breves, aut per longas? In actibus merè internis per breves; in mixtis per longas; nam actibus merè externis Monaſtica converſatio caret.* 155.

Pauſæ. An in Benedictinâ Muſicâ dentur? Dantur quidem in illâ ſilentia, pauſæ non dantur. Monaſticè bene canit, qui bene tacet. 155.

Abbas Chorarcha eſt, Cantor non aliter quàm cantando Errones corrigit; & irreligioſos Superior non aliter quàm Regulam religioſè obſervando. 149. 150. *Inſtrumento Monaſtico an canict, an ludat Superior.* 154. *Nullus rigor efficiet, ut ſub relaxato Superiore Religioſi ſint Sancti: at nullo rigore premi debent, ubi Superioris vita & reformatio contionatur.* 154.

Inverſi ſunt mundi moralis cardines. 193. *Principes olim erigendo Eccleſias diteſcebant. illas exſpoliando hodie depauperantur;* Xenios, *DEI epitheton. etiam Regum Prælatorumque.* Xenii trapezæ. 135. *DEVS apud Latinos dicitur à dando. Iuppiter ſive Iuvans-pater, à juvando & parcendo; apud Græcos ab occidendo.* 133. *Hominum alii ſunt prodigi, alii avari, & tamen omnes deſiderant liberales videri.* 134. *Homo ad imaginem DEI, quia uterq;* Xenios. 135. *Prælati ad S.Crucem ſumma erga mendicos liberalitas. Qui favet pauperibus, centuplum accipiet & vitam æternam poſſidebit. imò accipiet millecuplum. Probatur exemplis Eliſei, Iodoci, Nonnoſi, & Benedicti.* Xeneteia, *peregrinatio, abſentia à patriâ. DEVS Charitas; Charitas eſt Amor; Similitudo ad quam factus eſt homo, fuit Charitas. Amor DEVM fecit Hominem, Hominem DEVM. Infirmi debent miſeriis propriis humiliari; ſani eſſe paucis contenti. Ita concedi licentia debet ſubditis, ut Superior condeſcendat,*

Digitized by Google

daт, non autem cadat cum eis. 138. Nihil Religioſus facit licitè ſine licentiâ Superioris. 140. Quæ ſupra Regulam, non ſemper ſunt meliora. 140. Quæ ſupra Regulam, non ſemper ſunt meliora. 141. Divus Auguſtinus plures ſcripſit Regulas: an plures S. Benedictus? Regula noſtra ſimul ſimplex & multiplex. Cur vocetur Regula S. Bernardi? Quis faciat Deos; qui ſculpit, an qui colit? Quis faciat Regulam; qui ſcribit, an qui obſervat? Cur Regula vocetur Minima? An quòd Minimos faciat? an quòd ſit altiſſima? Corpora diſtantiſſima ſemper minima apparent. Honoratus, Abbas Parviſſimus, & tamen Maximus, & digniſſimus S. Benedicti in Sublacu Succeſſor. 146. Lineâ nautica, Hiſp. Rumbo. Regula eſt linea nautica. Qui eam perſequuntur, non patientur naufragium, ſed appellent ad æternæ beatitudinis portum. 145. In mundi procelloſo oceano, ſæculares natant, religioſi navigant. 146. 148. An ſyrenæ ſint piſces, an aves? 148. Regula eſt illa coruſca via, per quam viſus eſt S. Benedictus adſcendere cælos; per quam tendimus, qui ejus veſtigia premimus, & olim frui ejuſdem præſentiâ ſperamus: Regula eſt lima, quâ animi ad legem pietatis elimantur: CHRISTVS fuit primus Abbas; Abbates ſunt ſecundi Chriſti. 150. Converſatio regularis, militia; monaſteria, caſtra; communitates, acies; Abbates, Duces: Nomen Majoris militare, & Abbati tributum. Exempli eximia vis. 151. Sine exemplo omnis doctrina languet. 151. 153. Bernardus martyr; exemplo nos conducit ad crucem; & per crucem ad gloriam. Gubernare animas valdè ſeria res eſt. 154. In prōptæ obediētiæ & reſignationis exēplar propoſitus eſt D. Paulus. De fugis diſſeritur uberiùs. 153.

Nemo bonus eſſe poteſt Politicus, qui mortificatus non ſit. 137. Politicæ, definitio, diviſio, expoſitio: illâ univerſi indigent, tam Eccleſiaſtici quàm ſæculares. Liberalitas character DEI, adeòq; & Principum. DEVS Xenius, Reges Xenii. 133. Reverendiſſimi Abbatis S. Crucis erga pauperes munificentia. 132. Eleemoſynariis centuplum rependit Omnipotens. 135.

Quantum Aſtronomus metitur, tantum Aſtrologus mentitur. 166. Sphæra ignis chimærica. 166. 177. Quid venti ſint? Cæli Cælorum. Pædia Aſtronomica. Inſtrumenta moralia. 166. Oratio armonica. 167. Conſonantia cordis & oris. 168. confratrum inter ſe. 169. pœnæ & culpæ. 170. interioris & exterioris hominis. 171. Moralis Muſicæ omnes vices expoſitæ. Muſica Ars princeps. Reges incorrigibiles. 172. Pallas naſcitur è Iovis capite. Magni Conſilii Angelus CHRISTVS. 173. Angeli Medici. David Muſicâ curat ægrotum. 174. Cæleſtis Muſica. 175. Chorda, quò minor, altior. Muſica D. Pauli. 176. Conſonantiæ & diſſonantiæ. 177. Malus Iuriſta; malus Medicus, malus Theologus; habent diſſonantes ideas. 179.

133 ORbium Celeſtium axes. PRAESVL REVERENDISSIME, fore tandē mutandos Veteres olim crediderūt; quibus ſuſpecta fuit Zodiaci luxatio & varietas, quæ totum Mundum eſſe inverſura videbatur. Rident Veterum timorem Phyſici, commendant Ethici, hanc enim Mundialis Machinæ metamorphoſin (ô tempora! ô mores!) jam Politicus ſtatus patitur. Mundi Moralis Cardines inverſi ſunt. Sol ab occaſu oritur, in ortum occidit; omnia exuerunt eſſentias; & induunt naturas contrarias. Si libeat oculos ſinceros circumducere, obſervabimus, eſſe plurimos puſillanimes Principes, ſuperbos ruſticos, avaros divites, prodigos pauperes; Et ne humanæ Deitates incorruptæ credantur, (verbo dicam) XENIA à Diis dari olim ſolita, à Diis hodie oppetuntur, quæruntur, acceptanturque. Olim Imperatores, Reges, Principes, divites erant, quia liberales erant; at impræſentiarum ſunt pauperes, quoniam illiberales ſunt. Olim effunderunt theſauros, ut Monaſteria erigerent; legarūt erectis domos, fratres, ſorores, patres, matres, uxores, filios, agros, propter nomen Domini; & ideò centuplum acceperunt dum viverent, & vitam æternam mortui poſſident. At nunc nova implantari Monaſteria vix cernimus, antiqua tamen ab inimicis dirui, & ab amicis obrui illachrymamur; & dum querelæ hæ noſtræ malè audiunt apud Principes, benè ipſa audiuntur à Rege Regum DEO, ſub quo Heroës, Eccleſiaſticorum bonorum ſitibundi, centuplum amittunt, & vitam ęternam non poſſident. Principes enim *Prodii* ſunt, & in Empyream ſibi collatam dignitatem delinquunt, quotiens indigna faciunt: nec agent digna, niſi divitias ſuæ cuſtodiæ concreditas

pau-

pauperibus CHRISTI conſignent. Teſtis eſt mihi Homerus, Luciano & aliis pluribus, Theoſophus illuſtriſſimus, qui Od. x. DEVM coloribus divinitate dignis delineaturus, illum *Xenion* ſeu *Datorem* vocavit, & ſimul Nomenclatorem Græcum arguit,& viam præivit Latino, ut DEVM dignè denominaret. Porrò indigno apud Græcos DEVS ſignificatur nomine, quoniam ab invidiâ ſumpto; verum digno apud Latios, quoniam ſumpto à liberalitate. Sanè à Græcis ô *Zevs, tu Dios* dicitur. Ariſtoteles libr. de Mundo. *DEVM quidem, tum* Zena,*tum* Dia, *inter ſe compoſitis atque è regione collocatis utentes nominibus, tanquam duabus illis vocibus ſignificare velint, per quem vivimus.* eſt enim *Zeu vivere,* & *Dio exſpello.* Vnde DEVS illis ab occidendo dictus eſſe videtur: At nobis olim gentilitio vocabulo *Iuppiter,* ſeu *Iuvãs-pater,*& hodie *DEVS* à dando dicitur; ut doceamur, Divinitatem atque Munificentiam eſſe prærogativas individuas,nec poſſe Deos humanos dici,qui caruerint liberalitate. Sed cur Homero utor, cùm poſſem Paulo? Hic profectò tam arctè Liberalitatem Divinitatemque conjungit ut videatur utramque confundere, & utrâque Catholicam Fidem firmare; *Accedentem ad DEVM,* ait,*oportet credere.*Sed quid? *Quod DEVS ſit, & quod ipſe* (Xenios *Munificus*) *remunerator ſit.* Ergo,ſi DEVS eſt *Xenios,* ſic dictus, quod ſubditis ſuis *Xenia* condonat; ſint *Xenii* etiam Principes, qui DEI vices agunt in terris, quibus à pedibus erunt Pauperum turmæ, quamdiu ipſi ſint à manu & Xeniis DEO.

134. Sed cur hæc Tibi Ego, Præſul Reverendiſſime, Abba digniſſime, Antiſtes *Xenie*; ſiquidem inter alios Chriſtiani Orbis Primores *Xenius* es. & *Xenio* ſimillimus DEO? Vt tuo exemplo diſcant Antiſtites incurii, quî debeant rem extrinſecam adminiſtrare. Sanè uno & eodem fine & intentione DEVS opes ſuas Principibus concredidit, ſed apud Homines earumdem uſus & abuſus eſt varius;alii autem exſpoliant pauperes ut ditent opulentos,& volunt audire *Munifici*; & alii ſe perdidiſſe putant, quidquid lucratur alius, & *parci* dici volunt; cùm tamen illi prodigi ſint, & iſti avari. Et quidem, quia ſimilis eſt prodigalitati liberalitas, & avaritiæ parſimonia, multi alterutram virtutis umbram, pauci veritatem ſectantur.

135. At inter paucos Tu, Homo novis titulis ad DEI imaginem; Abba ad penicillum Benedicti;dignus nobili Monaſterio præeſſe; ne DEI gratia in te vacua dicatur, nomen MAIORIS factis implens, CHRISTI *Xenii* vices agens,omnibus omnia factus,anniverſaria hodie *Xenia* liberali devotione impertiris. Multis hominum millibus menſam clementem apparas,illi ſimilem, quæ Homero igitur dicta,Perge *Trápeza Xenie,*Prælate, pauperibus opitulari; fove tenues,paſce indigos, lucrare egenos. CHRISTVS olim ſtupendo miraculo multiplicavit panes erogandos pauperibus; & quia eſt mirabilis DEVS in ſanctis ſuis, panes ejuſmodi multiplicare & augere non ceſſat;adeòque macte animo,*Xenie* Optime, quoniam,

Dum quinque millibus Viris
Panes benignè dividis,
Donantis in horreis
Divinitùs creſcet cibus.
Multiplicabitur magis
Diſpendio panis ſuo;
Et unde ſciveris minùs,
Fragmenta ſubripient viri.

Perge: perge,obſecro,Antiſtes provide: paſce DEI pauperes, & fœliciter utrobique diteſces. D. Benedicto in dignitate Abbatiali ſuccedis; & ſiquidem laborum es particeps, non eris beneficiorum expers. Ille, aſſerente Gregorio cap. XXVIII. *Vir Domini, qui cuncta decreverat in terrâ tribuere pauperibus, ut in cælo omnia reſervaret,* millecuplum panis, olei & aliarum rerum [cap.XXI. XXIX. &c.] fuit multiplicationem expertus. Et Iodocus[referente Abbate Florentio apud Surium VI. cap. IV.] & Nonnoſus [teſte eodem Gregorio libr. 1. Dialog. cap. VII.] & ante ipſos diverſo quidem tempore, ſed non diverſo ſpiritu, Eliſeus majora in eodem genere beneficia recepit; & eorumdem exemplo perge animoſè, Antiſtes *Xenechrŏphile,* Tuam rem,publicam privatamque promovent Orationes eorumdem pauperum, quos foves. Fideli ſervis DEO, qui verbo non conſtare non poteſt;cujus Ego hodie nomine Tibi,Tibi inter pauperum turmas *Xenia* munificè impertienti congratulor, annos polliceor plurimos, pronuntioque; Quod hæc ipſa *Xenia*, quia mundo mortua ſunt,& ob DEVM unum data,multum fructum afferent, quòd Tu in hac

Xe-

Digitized by Google

Xeniteia (peregrinatione, abſentiâ à patriâ) ſalutis,valetudinis, ſolaminis, commoditatis, centuplum accipies, & poſt annos multos, quos Ordini & Monaſterio vives,vitam æternam poſſidebis.Sic voveo,ſic ſpero;& ne Tibi *Xenio* cenſear omninò abſimilis, exemplo inſtructus,in imitationem accenſus, *Xenius* eſſe deſiderans, *Xenion* hoc addo, nimirùm Muſicam Regulæ Benedictinæ Ideam, nō ſine magnâ Arte diſpunctam, quam ſi tuis digneris oculis, Authori honorem (nobiliſſimum *Xenion* is eſt) generosè impertieris, Tibique illum novo favore vinculo concatenabis.Vale.

SALVTATIO
Ad Cœlorum Reginam.

136 ERROR peſtifer Regias Principū Aulas invaſit, quem eradicare opus eſt; nimirùm, Rem Chriſtianam & Politicam cōponi non poſſe, eumque qui Politicus ſit, debere Chriſtianum non eſſe. Hodie contrarium demonſtraturus ſum;puto enim Pſeudopoliticos ſinceros non eſſe Chriſtianos. De hac neceſſariiſſimâ Scientiâ ſeveriùs alibi nunc ornatiùs & meliùs.

Dixi olim Politicam, *Paſſiones & Perturbationes Humanas mortificandi Scientiam eſſe*:inutili, *Non fore priùs hominem bonum Politicum,quàm optimè mortificatum*: qui enim diſſimulare neſcit, regnare non poteſt. Oportet hominem ad magna natum habere aliquando oculos qui nihil videant, aures quæ nihil audiant, manus quæ careant tactu, linguam quæ voce. Oportet eumdem nonnunquam audire oculis,videre auribus,loqui factis,agere verbis; quæ omnia audere non poterit, niſi bene mortificatis dominetur affectibus. Loquaces, Detractores, Iracundi, Impatientes, Litigioſi, Superbi, & id genus reliqui homines ſibi & Sociis moleſti, Politici dici non poſſunt;& hæc in ipſis vitia,non Politica modò, ſed & Religio Chriſtiana reprehendit. Stat ergo non opponi Pietatem Politiæ, ſed poſſe ſimul has duas eximias Facultates componi. Scio dari ſuos in Politicâ abuſus, ſed multos etiam in Pietate reperio, nec tamen hanc inculo, nec patiar illam propter abuſus ab homine ingenioſo incuſari. Tolerare alienas imperfectiones, bonum eſt; *Alter alterius onera portate*, Paulus ait, *& ſic adimplebitis legem* CHRISTI. Et obedire Paulo eſt politicè vivere. Sunt qui tolerant propter DEUM, propter proximum, propter pretium virtutis; ſunt qui propter ambitionem, & fines ambiguos, aut malos. Dicendum igitur Politicam genericè ſumptam, *eſſe ſenſibilium, & intellectualium paſſionum mortificationem*; & in hoc convenire univerſos. Addendum ſub iſto genere Orthodoxos & Cacodoxos reperiri, illoſq; Politicam puriorem profeſſos ſequi D.Pauli veſtigia, & omnibus omnia fieri,ut DEI gloriam promoveant:& hos eſſe martyres Dæmonis,& mortificationem totam ſuam in fines ſceleratos dirigere. Ergo, ſi libeat aliis uti nominibus, Pſeudopoliticam vocabo *Hypocryſin*; puram & ſinceram Politicam *Pietatem*; Politicam ſumptam ut ſic, *Mortificationem*. Ecce miram moralium rerum armoniam, ſummumq; vitæ Politicæ & Chriſtianę concentum; patere igitur, Ornatiſſime & Religioſe Popule, Conventus formatiſſime, ut hac Muſicâ te tantiſper ſuſtineam; Muſices Eccleſiaſticæ ideas intra terminos Politicæ Chriſtianæ & Præcipuæ Regularis exponam. De Politicâ Monaſtica diſputaturus ſum; & ſi monſtravero Religioſos debere eſſe Politicos, monſtratum erit quoſcumq; Sæculares poſſe. Animis intentis indigeo; quoniam de morum & legum armoniâ diſſero,& dum formo Monachos, in Regulari Muſicâ, exorbitantias ſæcularium reformo. Sanè proficere deſidero & prodeſſe: & ne aliqua in diſcurſu enarmonico diſſonantia ſubrepat, gratiâ indigeo;illam ſubminiſtrabit ſapientiſſima Virgo, in quâ Patientiæ Pietas, Majeſtati Humilitas, ac conſonuit Authoritati Sanctitas; quam propitiam habebimus, ſi verbis eam ſalutantes Angelicis dixerimus:

AVE MARIA.

✠

THE-

THEMA.

In ſono tubæ----in pſalterio & cytharâ---- in tympano & choro---in chordis & organo----in cymbalis bene ſonantibus----in cymbalis jubilationis; omnis Spiritus laudet Dominum. Pſalm. 150.

§. I.
De Muſicæ Gregorianæ Inventore.

137 SVMMA eſt apud Authores de Muſicæ Eccleſiaſticæ origine & principio varietas; & ſumma etiam in tantâ varietate concordia; nam dum huic aut alii primas deferunt, omnes mirabili conſenſu ſtatuunt, extra Benedictinorum Ordinem eam quærendam non eſſe. Sunt qui ipſimet D.Benedicto,docto in ſpecu ab Angelis,cœleſtem inventionem adtribuat, cantare enim diverſis tonis jubet, nec id poſſet præcipere, nî Muſicam docuiſſet præceptam. Et quidem hujus ipſe Legiſlator Sanctiſſimus inſtitutionis meminit Capite XVII. cantum directum ab antiphonali diſtinguens: agit enim de diurnis horis,inquitque: *Si major congregatio fueris, cum antiphonis; ſi verò minor indirectum pſallantur. Veſpertina autem ſynaxis quatuor pſalmis cum antiphonis terminetur. Completorium autem trium pſalmorum dictione terminetur, qui pſalmi directaneè ſine antiphonâ dicendi ſunt.* Vbi conſenſu maximo univerſi intelligimus, directum cantum eſſe vocis in eâdem lineâ conſiſtentis; indirectum verò vocis antiphonam per varias lineas currentem & reſilientem imitantis. Nec mirum Hominem ſcienter neſcium & ſapienter indoctum, has ſubtiliſſimas Inſtitutiones adinveniſſe, cùm certum ſit illum triennio ſolido ingenium ad SANCTAM CRVCEM elimaſſe,& uni ſoli,doctiſſimo tamen libro,nimirùm CHRISTO Crucifixo ſtuduiſſe: quod bene obſervavit Haeftenus *in Monaſticarum Diſquiſitionum Opere, ad caput I.vitæ. pag.72.* Qui B.Gregorio Magno adtribuunt Inventionem Eccleſiaſticæ Muſicæ vulgi labio ducuntur;nam ſi nomen Eccleſiæ Catholicæ ſufficit Auguſtino ut veram à falsâ diſtingueret, nomen ipſum Cantûs Gregoriani videretur ſufficere,ne Authorem ignorare poſſimus. Petro hujus Magni Pontificis diſcipulo, qui eſt Interloquutor in Dialogis, hanc eamdem Inſtitutionem adſcribunt aliqui, voluntque illam Gregorianam dici, eo ſenſu quo Tabulæ Alfonſinæ, Rudolphinæ, Iſabellinæ, à Philario, Keplero & VVendelino conditæ, & Alphonſo Hiſpaniæ Regi, Rudolpho Germaniæ Imperatori, Iſabellæ Belgarum Principi dicatæ. Ac legimus Petrum uſum fuiſſe iſtis Notis, *A, Be, Ce, De, E, Ef, Ge.* quibus Hiſpani altero ab hinc ſœculo utebantur; quæ fortè ineptæ ſunt ut fundent Eccleſiaſticum cantum. Alii tandem exiſtimant Gvidoni deberi hoc inventum;Haeftenus *lib.2.Diſquiſitionum Monaſticarum,Diſquiſ.I.Fractu XII.pag.152.* ſic ait:*Gvido Abbas notas Muſices,*Vt, Re, Mi, Fa,Sol,La,*adinvenit:Manum prætereà ut vulgò vocant*(clavem *Germani dicunt*)*per litteras flexuris digitorum ſiniſtra manûs adjungere docuit, ex quibus, ut omnes fatentur, facillima reddita eſt Muſica Inſtitutio.* Et quidem, ſi Gvido ſeptem à Petro admiſſas notulas mutavit, totamque manum, ut vocant, in Scholas protruſit, ſub magnæ Artis ſpecie, artem aliàs facilem, difficillimam reddidit, & corrupiſſe potiùs, quàm Muſicam perfeciſſe videtur.Præſtat omninò Gvidonis Inſtitutioni, Petri inventio, quam rudiore traditione adhuc hodie integra Monaſteria conſervant, in quibus Polychordii fides ab Abecedarii litteris denominantur hoc modo: *A, Be:* ♭ *Ce, De,* E, ♭ *Ef, Ge, Ha, I;* ♭ *Ka, El, Em,* ♭ *En. O, Pe; Qun;* ♭ *Er, Es, Te,* ♭ *V, Ix, Ze.* Quæ ſumma doctrinæ ſimplicitas,Cantui firmo,quem nominant, ſufficiens eſt. NOS IGITVR inter tot, tàmque diſconvenientes Opinationes Scriptorum,ne temerè aliquid mutemus,vulgi labio ſubſcribimus, & *Gregorianum Cantum* illi adtribuimus, à quo denominamus.

§. II.
De Regularium Legum armoniâ, fine, neceſſitate, qualitate.

138 HAc Arte dulci, à Benedictinis inventâ & cultâ inſtruimur,ut ſpiritua-

Digitized by Google

tualem illam Muſicam, quam Regula Sancta complectitur, intelligamus, *Auſculta Fili*, ait Divus Pater, non *Lege*; Muſica enim non percipitur viſu, ſed aure. Et Ego hac doctrinâ præventus Regulam ſic deſcribo: *Ipſa eſt*, inquam, *quædam moralis Inſtitutio, divinis conſonantiis exuberans, hominem intrinſecùs dirigens, ut vox concordet menti, actio legi, Mens DEO.* Mentis & labii conſonantiam ignorat Aula, Clauſtrum conſervat. Helvetios Barclajus in Argenide ob ſinceritatem irridet, vocatque *Gentem rudem, & ficum ficum, & ſcapham ſcapham appellare ſolitam*; laudaturus profectò illos, qui nec cantant quæ notant, neque dicunt quæ ſcribunt, neque faciunt quæ dicunt. Sequitur multos Pſeudopoliticos Barclajus, quos omnes S. Benedictus proſternit, ſtatuens Cap. XIX. *ut mens noſtra voci noſtræ concordet*. Legis divinæ & Operis humani conſonantiam invenio in illis verbis, *Omnes Magiſtram ſequantur Regulam nec ab eâ temerè devietur à quoquam*. Et tandem DEI & Mentis uniſonantiam toto libro; nam ut optimè à Petro Venerabili *Libr. IV. Epiſt. XVII.* doceor, *Habeo Inſtitutionum mearum Benedictum Authorem, qui ad finem Charitatis univerſa ſcripta ſua redigi præcepit, & animarum ſaluti inſervire.* - - - - - *Regula enim illa illius S. Patris ex illâ ſublimi Charitatis regulâ pendet, ex quâ & in quâ juxta Veritatis verba univerſa Lex pendet & Prophetæ. Quod ſi univerſa lex, tunc & illius Regula lex. Monachus ergo Regulam Patris Benedicti profitens, tunc eam bene ſervat, quando Charitatis legem ubique conſervat.* Et quidem DEVS Charitas eſt, Charitas amor, Amor conſonantia ſublimior, quæ DEVM Homineſq; aut invenit ſimiles aut facit. Charitas fuit, Charitas ſupernaturalis illa ſimilitudo quâ in conditione ſuâ donatus Adam, quam delinquendo perdidit, quam lugendo iterum recuperavit: Legitur enim DEVS feciſſe hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam; nimirum ornatum gratiâ, quæ eſt divinæ participium naturæ. Et quidem ut Adamum primum ſecundùmq; mirâ connexione jungamus, pronuntio Amorem fuiſſe, qui inveſtivit DEVM, ut eſſet ad ſimilitudinem Hominis, imò ut eſſet Homo.

Et quidem ut Conſonantias iſtas perfectè & exactè percalleas, debes omninò Scalam Muſicæ Benedictinæ percallere. Duodecim conſtat gradibus, quos generosè ſcādit Amor humilis, & Humilitas amans. In primo & ſupremo Cantum ponimus, Altum in quinto, Tenorem in octavo, Baſſum in ultimo. In octavo Tenorem; ipſe enim eſt modus ille procedendi medius, quem intendit devotio, & remittit neceſſitas, qui à Legiſlatore ipſo totâ vitâ obſervatus, & his verbis Cap. VII. deſcriptus, *Octavus humilitatis gradus eſt, ſi nihil agat Monachus, niſi quod communis Monaſterii Regula & Majorum cohortantur exempla.* Et ab Smaragdo commendatus hoc diſticho,

Temperet intereà Monachi diſcretio mentis,
Et via per medium Regia ducat eum.

Hanc porrò Religioſi ſecuriſſimam vocem, quam Tenorem vocamus, ut judicem & magiſtram reſpiciunt; ſive devotionis fervore altum teneant; ſive contemplationis penicillo Angelicum cantum exprimant; ſive contrà perſonarum, locorum & temporum neceſſitatibus gravati, remittendo rigorem, ad Baſſum, ſeu vocem inferiorem & obſervantiam benigniorem juxta Muſices Divinæ Regulas condeſcendant. Baſſum Chorarches noſter ſic depingit, *Duodecimus Humilitatis gradus eſt, ſi non ſolùm corde Monachus, ſed etiam ipſo corpore* [admirare ſingularum vocum artem & armoniam] *Humilitatem videntibus ſe ſemper indicet.* Sed cur? Quia in Regulari Muſicâ qui Baſſum tenent, & duodecimum Humilitatis gradum cantant, indigi ſunt & debiles, quibus non potentibus univerſa ſervare condeſcenditur, & Regulæ diſcretione ſuccurritur. Conſono, cùm hæc perſono, Tenori Regulę; nam Cap. XXXIV. *Scriptū eſt.* [Actor. 4.] *Dividebatur ſingulis prout cuiq; opus erat. Ubi non dicimus, ut perſonarum (quod abſit) acceptio ſit, ſed infirmitatum conſideratio.* Ecce in rerum diſtributione arithmeticâ æqualitate excluſâ conſideratio geometrica & muſica introducitur, illa ut proportio, hæc ut conſonantia & concordia ſervetur. Sed ſubjungitur, *Qui minùs indiget agat DEO gratias & non contriſtetur. Qui verò plus indiget, humilietur pro infirmitate ſuâ, non extollatur pro miſericordiâ; & ita omnia membra erunt in pace*, hoc eſt, *habebunt concordiam & conſonantiam inter ſe*. Et Capite XXXVI. *Infirmi conſiderent, in honorem DEI ſibi ſerviri, & non ſuperfluitate, ſuâ*

con-

contriſtent fratres ſuos ſervientes ſibi. Baſſus enim diſſonabit Tenori, ſi contra Artis Regulas nimis dimiſsè & amarè labatur; & mitigata obſervantia Tenori Sanctæ Regulæ, ſi ſuperflua ſubditis connivendo ſuperior, cadat potiùs cum eis, quàm condeſcendat; quod eloquentiſſimè *libr. de præcepto* Melleus meus Bernardus dilucidat. Remitti permittitur Tenoris litteratorii rigor, ita tamen ut nulla vox amara aut diſſona rationi audiatur; quæ quidem audiretur, ſi vel neceſſaria juberet negari ſuperior, vel inferior ſuperflua poſtulare præſumeret, confratreſque ſibi ſervientes propter DEUM, nimietate ſuperbâ contriſtaret.

140. ☞ Hæc eſt vox, quam Benignitas intonat; hæc eſt, quæ infra Regulæ Tenorem graditur, & tamen Superioribus conſonat. Omnia ſuum tempus habent: ſunt circumſtātiæ, quæ remitti ſeveritatem vitæ poſtulant, ſunt quæ intendi requirant. Capite quinquageſimo meus S. Pater: *Licet omni tempore*, ait, *vita Monachi Quadrageſimæ debet obſervationem habere* [nota iſtud *debet*] *tamen, quia paucorum eſt iſta virtus*, [plures ſibi condeſcendi in Monaſterio poſtulant, pauciores ad altiora cōduci.] *ideò ſuademus iſtis diebus Quadrageſimæ omni puritate vitam ſuam cuſtodire, & omnes pariter negligentias aliorum temporum his diebus ſanctis diluere.* Et quia Inſtrumenta bonorum operum, quæ S. Pater fuerat Capite IV. fabricatus, aliter ad Tenorem Regulæ, & aliter debent ad Baſſum, Cantum, & reliquas voces temperari, ſubjunxit. *Ab omnibus vitiis temperemus; orationi cum fletibus, lectioni & compunctioni cordis, atque abſtinentiæ operā demus.* Et ne quidquam fides remitteret, cùm deberet intendere, *His diebus*, ait, *augeamus nobis aliquid ad ſolitum penſum ſervitutis noſtræ* [hoc eſt, torqueamus per mortificationem ſenſuum fides, concupiſcentiæ nervos; & intendamus] *orationes peculiares, ciborum & potûs abſtinentiam.* O Benedicte Muſice, quid reſtat, ut doceamur Altum concinere, & ſuper Regulæ Tenorem curſum agere? Menſura; ſine quâ fruſtra in Muſicâ de armoniâ & conſonantiâ vocum confidi aut ſperari poſſit. Hanc ergo docet in Tenore pauciores, plures notas & characteres in ſuperioribus vocibus, comprehēſuram, cùm ait, *Unuſquiſq; ſuper menſuram ſibi indictam aliquid propriâ voluntate cum gaudio Sancti Spiritûs offerat DEO*, id eſt, Tametſi ad Regulæ Tenorem tardiùs procedi ſoleat, in Alto tactus debet eſſe velocior, & capaces plurium notarum Divinarum menſuræ. Et ut Monachi Abbatiſque armoniam & concordiam inſtituat & illuſtret, ſubſcribit, *Hoc ipſum tamen, quod unuſquiſque offert, Abbati ſuo ſuggerat, & cum ejus fiat oratione & voluntate; quia quod ſine permiſſione Patris Spiritualis fit, præſumptioni deputatur & vanæ gloriæ, non mercedi.* Et ut ſciatur ſupra Altum dari Diſcantum (hoc eſt, ſupremam eminentemque obſervantiam, non conſonantem modò ſed & æquiſonātem Tenori Regulæ) inter hunc Angelicum Diſcantum & Humani textûs Tenorem Diapaſon (*per omnia* transferam ad litteram) conſtituit, vultque hanc doctrinam ab omni & per omnia ſervari; & ideò legem generalem pronuntians, infert, *Ergo cum voluntate Abbatis omnia agenda ſunt.* Cantûs & Alti ad intenſiorem Regulæ rigorem, aut etiam ſupra illam percurrentium videtur meminiſſe Fauſtus iter S. Mauri deſcribens: ait enim, *Remittit Fratres adoleſcenti jam dicto Feliciſſimo, quinquies ſive ſepties perfectioris normæ Religionis operam dare inculcant.* Ecce Altum in diapente; Cantū in diapaſon; illud enim ſignificat, *quinquies, ſepties*; nam, ut alibi vidimus, æquiſonantia diapaſon ſeptem graduum varietate eſt contenta. Et Ego ut Regulæ noſtræ armonicam perfectionem dilucidem, ex Muſicâ ad Muſas tranſeo, conceptumq; meum urgeo, & diſtichis paucis perſtringo. Sic ſcribo, ſic cano.

Regula Divini Benedicti eſt Muſica quædam,
Quæ ſolet innumeris conſonuiſſe modis.
Multi ad enarmonicū Veteres vixêre Tenorē;
Dulciùs egerunt, certiùs aſtra tenent.
Altus ad Eximiis Animis intenditur, altos
Qui motu ad cælos nobiliore volant.
Nos tamen ignavi (dum condeſcendimus ægris
Temporibus, geniis, moribus, atque locis)
Cantamus Baſſum; nec diſſonat iſte Tenori
Legis, ſigna premens inferiora, tepor.
Poſcit enim varios concentus Muſica, & una
Depromit varium Regula noſtra melos.
Nec locus errori. Ut noſcatur Regula prima,
Regula inexpertis iſta ſecunda datur.
Contemplativis tantummodò ſcribitur Altus,
Debilibus Baſſus, Fortibus atq; Tenor.

141. ☞ Hunc tanto ſtudio affectarunt veteres Ciſtertienſes, ut quidquid ſupra Regu-

Digitized by Google

lam eſſet, prævaricationem reputarint. Sibi Benedictum Ducem, ſibi Regulam Magiſtram præſcripſerunt; nec voluerunt, viam aliam, quàm octavum Humilitatis gradum tenere. Sciebant enim in hoc octavo Humilitatis gradu omnes reliquos, in hoc Tenore omnes reliquas voces, in hac Regula omnes S. Patrum Regulas, quoad virtutem & perfectionem contineri. Quod ante annos mille verum, optimè nuper expreſſit Vrbanus VIII. in Bullâ ad ſanctimoniales Xanctonenſes, ſic inquiens. *Quidquid in vitâ Sanctorum mirabile eſt, quidquid altum ſub lumine fidei, ad veſtram vocationem pertinet. Spirituales gratiæ, quæ alios Ordines ſanctificant varietate incomprehenſibilium earum diviſionis, unam partem conſtituunt plenitudinis earum, quæ Ordini veſtro communicantur; quandequidem illius Inſtitutor* (Benedictus) *plenus erat ſpiritu omnium Iuſtorum.* Ecce Vrbano aſſerente omnes voces hic Tenor, omnes virtutes iſta Vita, omnium Regularum perfectiones, gratias & prærogativas Regula Benedictina eminenter complectitur; & ita, ut Magiſtræ Regulæ poſſimus dicere,

Spiritus intùs alit; generoſa chariſmata cujus
Sunt; inſunt aliis ſingula, cuncta Tibi.

Hinc lux ſub oſcuris CHRISTI Domini verbis ad Brigittam, quę Capite XXVI. Regulę huic Virgini cœlitùs revelatæ traduntur. *Inquirantur*, ait, *aliqui devoti Fratres de Regulis Benedicti vel Bernardi*; & Ego hæreo, & à doctioribus etiam inquiro. An-non Baſilius, Auguſtinus, plures ſcripſiſſe leguntur Regulas; unicam Benedictus? An-ne ipſam dicendus eſt compoſuiſſe Bernardus? An-non omnia ſcit CHRISTVS? Quam ergo ob cauſam Regulam Benedictinam vocat Regulas; & Benedictum cum Bernardo confundit? Pronuntio, ideò Regulam vocari Regulas, quòd ſit diſcretione præcipua, id eſt, ſimplex & multiplex; nimirùm ſimplex litterâ, multiplex ſpiritu; & omni genio & ingenio hominum conſentanea: Et ne verbo omnia dicam, Imagini, quam dilucidamus, quâ Regulam illuſtramus, ſimillima. Regulam unicam Muſicam dedimus, quam tamen multifariam percurrere poteris. Ipſa enim tametſi ſimpliciſſima, ſi es æger & debilis, Baſſus eſt, & per duodecimum Scalæ gradum viam devotionis aperiens. Si eminentia contendas, Altus eſt, à quinto humilitatis gradu volitans. Si adhuc æmuleris chariſmata meliora, Cantus eſt, ſummum Scalæ gradum, ſupremam humilitatem ſcandens. Denique ſi ſis militantis Eccleſiæ robuſtiſſimus miles, expertiſſimus pugil, Tenor eſt: quem ſi corde teneas, divinitùs manuteneberis. Mea Hildegardis in expoſitione Regulæ D. Benedicti. *Acutum clavum doctrinæ, nec nimis in altum, nec nimis in profundum, ſed in medium rota fixit; itaut unuſquiſque ſive fortis, ſive imbecillis ſit, ex eâ ſecundum poſſibilitatem ſuam* (bibere) *vivere competenter poſſit.* Hunc Tenorem, quem fortiores intendunt, & debiliores mitigant & remittunt, grandi encomio celebrat Goffridus Vindocinenſis, Cardinalis, *ſerm. de S. Bened.* dicens, *In Regulâ ejus invenitur omnis perfectio Monachorum*, reperitur enim omnis varietas cęleſtis & ſupernaturalis armonię, ut oſtendi.

Sanè Regulę Tenor mediam viam init, mediocrem rigorem adfectat, & tamen hæc diſcreta *obſervatio*, notante S. Patre Reg. Cap. LXXIII. *perducet hominem ad celſitudinem*, quam idem Patriarcha Sanctiſſimus ſtylo & vitâ expreſſit, *quia Sanctus Vir* [utor Magni Gregorii verbis, cap. XXXVI.] *nullo modo potuit aliter docere, quàm vixit.* Cumque Mellifluus Doctor fuerit alter Benedictus, & Benedictus fuerit alter Bernardus, meritò CHRISTVS unam & eamdem Regulam vocat Benedicti ac Bernardi; nam ſi aſſentimur Martiali Theologiam ſublimiſſimam comprehendenti iſtis verbis,

Qui fingit ſacros vario de marmore Vultus,
Non facit ille Deos; qui colit, ille facit.

debebimus conſectaneè dicere, neglecto metro, retento ſenſu,

Qui ſcribit ſacros vitæ Monaſticæ mores;
Non facit is Regulã, qui ſervat, ille facit.

Vndè noſtra meritò Benedicti & Bernardi dicitur, quoniam tametſi à ſolo fuerit Benedicto conſcripta, fuit ab utroq; ſtudioſè obſervata.

142. Habet ipſa Prologum in ſeptem Capita diſtinctum [ſequor vulgarem diviſionem] & in corpore Capita ſeptuaginta & tria: & nos in enarmonicâ Regulæ imagine etiam octoginta notas depinximus. Tolle unam notam, adde-ve, tota noſtra Muſica corruet; tolle, adde-ve unum Caput, unum periodum, unum verbum, & in Regulæ perfectionem peccabis. Author libri *de conflictu virtutum*, [qui cùm S. Benedicti meminerit, nec S. Leo, nec

nec S.Ambroſius, nec S.Auguſtinus eſſe potuit, ſed potiùs videretur fuiſſe S. Iſidorus Hiſpalenſis, ut S. Gregorius & Sigebertus opinantur.] *Tu igitur juxta Regulas Patrum vivere ſemper ſtude; maximè autem S.Confeſſoris Benedicti. Non declines ab eâ quoquàm; nec illi addas quidpiam, nec minuas: totum enim quod ſufficit habet, & nunquam minus habet; cujus verba & imperia Sectatores ſuos perducunt ad cæli palatia.* Et mea Hildegardis, *Quoniam ipſe in timore & pietate, in charitate & caſtitate doctrinam ſuam ſcripſit, ideò nihil eidem doctrinæ addendum vel auferendum eſt; quia nihil ei deeſt; quoniam in Spiritu Sancto facta & completa eſt.*

Plena eſt, perfecta eſt; & multis Capitibus expreſſa; & ſiquidem tam longa eſt, cur à ſuo ſancto Authore vocatur MINIMA? Sic habet Capite LXXIII. *Quiſquis ad Patriam cæleſtem feſtinas, hanc MINIMAM inchoationis Regulam deſcriptam adjuvante DEO perfice.*

143. Multum laborant Regulæ Expoſitores ut hoc verbum dilucident; & inter alios Haeftenus *libr. 2. tract. 2. diſq. 5.* multa congerit, quę poſſent alteri prodeſſe, non mihi, qui ſum conceptu ſpeciali præventus. Dico igitur Benedictinam Regulam eſſe minimam longitudine, latitudineque. Longitudine quidem; quoniam hæc Regula chorda eſt, cui corda conſonant; data divinitùs, ut in hujus Mundi labyrintho, qui ſine fide ſuperatis concupiſcentiæ tenebris limen gloriæ indipiſci non poſſumus, fide hac ceu filo cœca veſtigia dirigamus. Et quidem in chordâ duo conſideranda veniunt: corpus, ſpiritus; materia, vox, & juxta bonæ Muſices Regulas chorda quò brevior, altior; adeòq; eadem erit breviſſima quæ altiſſima. Igitur D.Benedictus, cùm Sãctam Regulam appellat MINIMAM, ejuſdem celſitudinem eminentem commendat, nam ſicut inter chordas minima eſt altiſſima, ſic etiam inter Sanctorum Patrum Regulas Benedictina, quia MINIMA, ſublimiſſima eſt. Quam attentis oculis altitudinem Petrus Damiani Cardinalis Epiſcopus Oſtiẽſis ſuſpiciens, *Author*, ait, *Sanctæ Regulæ librato diſcretionis examine alta præcipit, &c.*

144. Si agamus de Regulæ latitudine, agemus de ideâ fictâ aut merâ ratione conceptâ, quoniam hæc ipſa Regula, linea eſt; & linea arcta eſt, & omni latitudine carens. Ipſemet S.Pater. cap. V. ex Matth. 7. *Anguſta eſt via, quæ ducit ad vitã;* Et Author vitæ S.Martini Vertanenſis Abbatis, *Ipſe quoque cum eis REGVLARI LINEA morum ſe ſubdidit;* ubi Doctores intelligunt *Regularis lineæ* nomine Regulam S.Benedicti [Haeftenus *libr. 2. tract. 2. diſquiſ. 6.* Menardus, aliique.] Et S.Gregorius Papa ex *Capite LVIII. Benedictinæ Regulæ*, libr. 1. Reg. *libr. 4. cap. 4.* illuſtrat, inquitque, *Qui arctiſſimam converſationis viam imperant, noviter accedentibus facilè aditum non impendant; quare & ejuſdem arctiſſimæ vitæ Magiſter optimus* (D.Benedictum intelligit) *Summæ veritatis* (hoc eſt DEI) *diſcipulus eruditus, præcipit dicens; Probate Spiritus, ſi ex DEO ſint; & item, Nuntientur ei dura, per quæ itur ad DEVM.*

145. Hæc eſt linea (Hiſpanè *Runbo*) quã in hoc proceloſo Mundi oceano tenuit Pater Sanctiſſimus: hæc, quam navigatione peregit, quâ deductus in patriam, quâ tranſvectus in cœlum. In declamatione, *Ecce nos reliquimus omnia* Bernardus. *Viderunt namque, quia ſtrata palliis & innumeris coruſca lampadibus Via, recto Orientis tramite ab ejus cellâ in cælum uſque tendebatur. Cui venerando habitu Vir, deſuper clarus aſſiſtens: Cujus eſſet Via, quam cernerent, inquiſivit. Illi ſe neſcire profeſſi ſunt. Quibus ille ait, Hæc eſt Via, quâ dilectus Domini cælum Benedictus adſcendit.* Et ad meum conceptum progreditur. *Quæ eſt enim via ab ejus cellâ prodiens?* (quæ hæc linea cœlitùs ſplendeſcens? quæ hæc arctitudo glorioſa?) *Ordo quem idem Vir Beatus inſtituit, & forma vitæ* (ſeu Regula) *quæ ab ipſo ſumpſit exordium. Quâ nimirùm Viâ Domini dilectus adſcendit; quia non potuit Vir Sanctus aliter docere, quàm vixit. Et hæc quidem eorum vel maxima fiducia eſt, qui ipſius utcumque ſtudent inhærere veſtigiis, ipſum Præceptorem præviumq; ſequuntur.* Vrgere videtur id quod Petrus Damiani Opuſc. XXXVI. Cap. XVI. dixerat, nimirùm: *Illa, quæ de Caſſino monte olim in cælum videbatur erecta, adhuc palliis ſtrata, lãpadibuſque coruſcat. Sicut tunc excepit Ducem, ita nunc exercitum tranſmittit ad Cæleſtia ſubſequentem: nec ab ejus glorioſo tramite exorbitant declinantes jam defuncti, cujus dum in hoc exilio viverent, veſtigia ſunt ſequuti.*

146. Hæc de Minimâ Regulâ, de ſtrictiſſimâ Viâ, de Regulari Lineâ Petrus, Bernar-

Digitized by Google

narduſque; quibus addo Smaragdum Abbatem, qui inter alia plùs devotioni quàm ſyllabarum magnitudini ſtudens, ait.

Adnihilat parvum, juſtum conflaſcit ut aurum,
Limat & examinat & poliendo librat.
Eſt ovibus virga gracilis, moderatio juſta,
Lima piacla pians, regna beata parans.
Quamvis hæc ſocios cæli deducat ad alta,
Eſt tamen anguſtus callis, & arcta Via.
Nemo viâ timeat Monachorū intrare per arctā,
Ducit ad aſtrigerum caſtra beata polum. &c.

Ecce Smaragdo ipſa, non ſolùm arcta & anguſta, ſed quæ etiam elimando & poliendo. Monachos ſibi ſimiles faciat. Ambis auguſtos titulos, ut amplitudinis majeſtatem ſequaris? Sanè non es elimatus ad Regulam Benedictinam; ipſa enim minima parviſſimaque eſt, & ſibi ſimiles homines facit; imò ſimiles DEO, qui cùm eſſet maximus, voluit & eſſe minimus, adeoque ſemetipſum exinanivit, & ſervilem conditionem & naturam ſuſcepit. Vnde jam jam intelligo titulos Honorati, quem ob eximias dotes dignitate Abbatiali honoravit D. Benedictus. Sic habetur in Sublacenſi MS. *Gregorius Epiſcopus, Servus Servorū DEI. Reverendiſſimo ac Prudentiſſimo Honorato, Presbytero & Monacho, atque Parviſſimo Abbati, Venerabilis Monaſterii S. Confeſſoris & Patris Benedicti & Sanctæ Virginis Sororis ejus Scholaſticæ, quod ponitur in Sublacu*, &c. Sed cur hîc Sanctus Abbas nominatur *Parviſſimus*? Regula lima eſt, & ipſe ſub illud tempus nonagenario major, tot ab ineunte ætate fuerat laboribus attritus, tot exercitiis elimatus, ut magis poliri vix poſſet. Chorda ipſe erat Benedictini Barbiti; & quia minima, altiſſimè inſonuit. Imò altiſſimus erat, quia tametſi ſub initium Tenore Regulæ ſtuduerit, tamen ſucceſſu temporis intendendo rigorem tam altè tranſvolavit, ut vicinus cęlo, ageret apud Angelos, diſtantiâ eximia à noſtrâ regione remotus. Cùm igitur demonſtret Optica, & quotidiana experientia confirmet. corpora quò remotiora, eò minora videri; quæ videbuntur minima remotiſſima erunt. Honoratus ergo, Beati Benedicti Succeſſor, ſi Gregorio, tametſi Aquilę, videbatur parviſſimus, altiſſimus omninò fuit. Hinc diſco iterum, Cur Regula dicatur MINIMA? Nam ſicut *Pallida* dicitur mors, quod reddat pallidos, ſic Regula dicitur *Minima*, quod ſuos ad Aſtra evehens, ut à nobis, à terrâ eos reſpicientibus, parviſſimi videantur, faciat.

147. ☞ At inquies, ſæculares etiam vadūt ad cœlum, & habemus in terris hodie plurimos qui tenent ſummum faſtigium ſanctitatis. Nimis dura & aſpera eſt Monachorum Regula, & minor rigor ſufficit, ut aliquis cœlos ſcandat. Auſculto; & poſt multos huic antiquæ cantilenæ reſpondeo. Dari Muſicam Regularem & Sœcularem fateor; illam mollem, hanc duram; duram quidem non nimiùm & irregulariter, ſed ad regulas Artis. S. Pater in Prologo, *Conſtituenda eſt ergo à nobis Dominici Schola ſervitii; in quâ inſtitutione nihil aſperum, nihilque grave conſtituituros ſperamus. Sed & ſiquid paululùm reſtrictiùs dictante æquitatis ratione, propter emendationem vitiorum, & conſervationem charitatis proceſſerit, non illicò pavore perterritus refugias viam ſalutis, quæ non eſt niſi anguſto initio accipienda.* Et Cap. LVIII. *Si veniens perſeveraverit pulſans, & illatas ſibi injurias & difficultatem ingreſsûs ---- viſus fuerit patienter portare. ----- Probetur in omni patientiâ. ---- Prædicentur ei omnia dura & aſpera, per quæ itur ad DEVM.* Quod ſi tibi diſpliceat hic Religioſorum Cantus durus, prudentioribus diſplicet Sœcularium hominum Cantus mollis, & inter alios etiam Benedicto diſcretione pręcipuo, qui ideò incuſat Sarabaitarum mores, quod molles & falſi videantur. *Sunt enim in plumbi naturâ molles, adhuc operibus ſervantes ſæculo fidem, & mentiri DEO per tonſuram noſcuntur.* Homuutiones enim miſerrimi. Cantu molli Syrenarum illecti, non curant occurrentia pericula; ſed ſervant ſœculo fidem ut mentiri DEO poſſint, & ſœculo fidem ſervare. Sed quæ ſunt iſtæ ſœculi fides, quas illi ſervant? Illæ ipſæ, quibus ſunt irretiti, quibus capti: tanti enim captivitatem & ſervitutem faciunt, ut catenarum ſtridorem, dulcem eſſe cantum exiſtiment, & perditionis ſuæ compedes judicent molles. Ita aguntur humana. In Mundi labyrintho obſcuriſſimo, annuli ferrei, quibus opprimeris vocantur *molles*; & chorda, qua regeres veſtigia, & ſi velles, evaderes, dicitur *dura*.

148. ☞ Et quia Syrenarum meminero, & ipſas vulgus in mare ponit, cùm in terram deberet, ſunt enim aves & non piſces, converto ad mare oculos, & Mundi moralis exactiſ-

Digitized by Google

tiſſimam picturam video. Mundus eſt tempeſtuoſus oceanus; Cœlum portus. Inter undarum vortices agitantur utrique, Sæculares, Religioſique: verum [notetur accuratè iſta veritas] dum illi periculosè natant, iſti navigant,& vacant ab omni periculo.

149. Sed quoniam in navibus Præfecti imperitant reliquę turbæ, ſi Monaſterium navis eſt,non poterit carere Navarcho. Qui igitur debet ille Monachis imperare? Regulæ Magiſtræ obediendo. Non enim poteſt aliter corrigere Succentores Chorarcha, quàm canendo; nec aliter inobſervantes Superior, quàm Regulam exactè obſervando. Vel attendite.

150. Primus Abbas,cujus omnes Abbates reliqui Vicarii ſunt, CHRISTVS fuit. Ita à S.Benedicto *Cap. II. Regulæ* doceor: ibi enim lego, *Abbas, qui praeeſſe dignus eſt Monaſterio* [ergo Præſes, qui iſta non obſervaverit, ſicut Præſidentiâ ita & præſidio indignus] *ſemper meminiſſe debet, quod dicitur, & nomen MAIORIS factis implere* [Religiones acies ſũt militantis Eccleſiæ, & nunc etiam apud multas nationes belli Duces *Majores* nominantur] *CHRISTI enim vices agere creditur in Monaſterio, quando ipſius prænomine vocatur, dicente Apoſtolo* [Roman.8.] *Accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus ABBA, PATER.* At hic incepit *facere & docere*: priùs facere, & docere poſteriùs: parùm enim prodeſt doctrina, ſi legiſlatoris converſatio non probet eſſe factibile,quod imperatur.

151. Sibi ob oculos poſuerat CHRISTVM Benedictus, laturus monaſticas leges. Tres ipſe lineas immutabiles poſuit; Obedientiam, Paupertatem, & Caſtitatem; omnibus Vocibus,omnibus Religioſis communes; tres ego expreſſi,ut hanc generoſiſſimam triadem ſignificarem. Et quoniam reliqua obſervantiæ puncta circa iſtas verſantur, illas temporibus & notis interpinxi, & quid ſubſtantialibus votorum lineis addi debuit, id totum Ego ad vitam & Regulam Legiſlatoris addidi. Ad vitam & Regulam,dixi; Regula enim,ſi vitâ careret, eſſet mortua; & vita, non ſolùm anomala, ſed & mala eſſet, ſi Regulâ morali careret. Quam ob rem S.Benedictus, incepit facere & docere,ut ſuaderet ſe vitalem tradidiſſe doctrinam, & egiſſe vitam omninò doctrinalem. Sigebertus de Script.Eccleſiaſt.c.3. *Benedictus Caſſianenſis, provectus ſummum culmen Monaſticæ perfectionis, ſecundum quam vixit, ſcripſit Regulam Monachorum.* Et addit Gallonius hanc gloſſam: *Secundum quam vixit, ſcripſit Regulam. Poſſumus intelligere præceſſiſſe experimentum, indè verò ſubſequutam ſcriptionem.* Et quia ipſe priùs factis legem impleverat,quàm ſtylo exararet, ideò Cap.II. inter alias qualitates in Abbate requiſitas, poſtulat, *Vt omnia bona & ſancta factis ampliùs quàm verbis oſtendat; & quæ diſcipulos docuerit eſſe contraria, in ſuis factis indicet non agenda.* Cui conſonat Pontificale Romanum in Abbatis Ordinatione,dicens, *Accipe Monaſticæ Converſationis Regulam, ad quam propriam & ſubditorum corrigere debes vitam; & vide,ut non ſolùm auditor, ſed etiam ſatagas illius eſſe operator.* Et meritò,nam ſi vitam propriam correxerit priùs,negotio facili reliquas corriget; quod ſi ſuam non correxerit, fruſtra aliorum ipſe correctioni adlaborat; nam ut bene notavit Iſidorus Peluſiota Lib. 2. Epiſt. 209. *Ita naturâ comparatum eſt, ut ad ejus, qui præeſt, ſimilitudinem, ij qui parent, ſeſe effingant.*

152. Hanc Ego veritatem à Muſicâ cõceptu ſublimiore edoceor, & experientiam à plurimis obſervatam admiror. Nam ſi duo, plurave inſtrumenta enarmonica ita temperentur,ut chorda chordæ uniſonet, tunc non poterit chorda unius reſonare, quin etiam in reliquis illi uniſona moveatur, & tametſi intacta, ſonum edat. Ergo, attende Prælate, attende Subdite. Ecce CHRISTVM, Benedictum, Bernardum; ecce & vos, Divini Polychordi eſtis fides: CHRISTVS puriſſima Chorda eſt, quæ divino tacta digito ſonat. Ecce Benedictus attemperatus CHRISTO reſonat;nam jejunante CHRISTO, jejunat, orante,orat,patiente compatitur, & paſſionibus ejus per patientiam participatur, ut regni ejus mereatur eſſe conſors. Ecce Bernardus CHRISTI & Benedicti exemplo motus, nullâ aliâ phyſicâ prædeterminatione præventus eoſdem, quos CHRISTVS, quos Benedictus, numeros exprimit, utriuſq; ectypus,utriuſq; imago, Ergo diſce Præpoſite, Audi S.Ephrem. *tom. 1. tract. de vita ſpir. cap. 37.* vel me ſaltem ejus verba adſumentem. *Nihil enim æquè Hominis animum ducit ad ſalutem, junioreſq; ad laborandum incendit, atq; ſi Doctorem reipsâ, & exemplo ad virtutem cohortatorem*

torem

torem invenerint. Ecce non Doctorem, ſed & Doctores habes: CHRISTVM, Benedictum, Bernardum; imò & alios innumeros, quos in Albo Sanctorum legimus. Hi ſunt, qui exemplo docent. Ipſi omnes ad motum CHRISTI commoventur; ad illius operationes cooperantur, & Tibi vel taciti dicunt, ſis imitator noſtri, ſicut & nos imitatores ſumus CHRISTI. Quid facis? hæres? taces? non reſpondes divinæ inſpirationi? Ergo aut chorda non es, aut fides abeſt. Si chorda es, nec reſpondes, non es agnina, ſed lupina, & indigna quæ in Polychordo myſterioſo ponaris. Benedictus, Bernardus, & alii Prædeceſſores tui, qui terram honorant exubiis, cœlum animis, agninæ chordæ ſunt, è miſericordiæ viſceribus tractæ millenis tribulationibus tortæ, manu potenti tenſæ, exemplo & imitatione tactæ. Provide tibi obſecro, quoniam ſi non inflectaris frangêris, teſtantur enim Muſici, agninas lupinaſq; fides eidem barbito cooptari non poſſe, quoniam ſonante alterâ, diſſymbola non movetur, ſed frangitur. Ergo noſce teipſum, & ethicam armoniam conſidera. CHRISTVS chorda agnina eſt, ſed quæ frangi non poteſt, nam reſurgens à mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur; & tamen debet chorda alterutra frangi; frangêris ergo tu; & quia non te movet CHRISTI paſſio, rumpêris; excîdêris à gratiâ, excludêris à gloriâ.

153. Turbaris? terreris? convertere mores decernis? Facilis & ſalva res eſt. Exue lupum, indue agnum, ſis chorda concors, temperata ad legem quam profeſſus es. Sequere Benedictum, & eris dignus, quem ſubditi univerſi ſequantur. Et monente Claudiano *Paneg. in 4. conſul. Honorii*, & me monitionem noſtris moribus attemperante,

In commune jubes ſiquid, cenſeſque tenendum,
Primus juſſa ſubi: tunc obſervantior æqui
Fit Monachus, nec ferre vetat, cũ viderit ipſe
Abbatem parere ſibi. Componitur Ordo
Præſulis exemplo; nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, quàm vita Regentis.

Quod ſi CHRISTO, Benedicto, & cæteris Patriarchis conſones, præſonabis neceſſariò tuis Subditis; & Tibi, qui boni fuerint, cõſonabunt. Quod ſi vel unus conſonare non velit, poterit ipſe attemperari. Torque chordam, quæ remiſſa videtur, illamque ad numeros regulares inflecte; intende, nec timeas majori jacturæ; nam cytharœdus, qui ne rumpantur, intendere fides non audet, ſuo inſtrumento diffidit. Sic jubet Ars, ſic Regula. Chorda diſſona; Monachus diſcolus, ſi non ſe attemperet aliorum moribus, ſi ad numeros regulares flecti non velit, torqueri & intendi poteſt; laborat enim remiſſione & relaxatione; nempe morbo, qui diſciplinæ intenſione curatur. Sed verendum inquies, ne chorda, ſi nimis tendatur, rumpatur. Sed non verendum dico, cùm ad Regulam tenditur; non enim torquetur nimis, ſi adhuc remiſſa eſt, nec legi conſonans. Quod ſi de conſonantiâ deſperetur, aut rumpatur, ſi velit; aut ſi vis excidatur, nam juxta Artis Regulam inventam à Paulo, [1. Corinth. 5. & 7.] & traditam à Benedicto [Cap. 28.] ſi in monaſticâ lyra nervus ſit, qui temperari nequeat, & omnem intenſionem intentione depravatâ recuſet, *tunc Abbas*, tanquam optimus Muſicus, *utatur ferro abſciſſionis*, ut ait Apoſtolus, *Auferte* (nervum) *malum ex vobis. Et iterum*, (chorda) *infidelis, ſi diſcedit, diſcedat* (ſi rumpitur, rumpatur) *ne una ovis morbida totum gregem* (ne una chorda lupina fidelium fidium ordines univerſos) *contaminet.*

154. Exciſis ergo reluctantibus nervis qui temperari non ſunt paſſi, cantet lyrâ ſuperior, DEVMQ; concentu numeroſo collaudet. Sed cur debet cantare potiùs lyrâ, quàm ludere. Cùm quia gubernare animas ſeria res eſt, nec per luſum tractanda; tum quia unâ ſonante chorda fides omnes uniſonæ intactæ reſonant, nec debent manibus pulſari: Quàm ſeria ſit dignitas Abbatialis, expoſuit S. Pater in Prologo, cùm dixit: *Meminiſſe ſemper debet Abbas, quod eſt: meminiſſe, quod dicitur; & ſcire quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur. Sciatq; quàm difficilem & arduam rem ſuſcepit, regere animas, & multorum ſervire moribus.* Et fidium fidelium motus non pendêre à manu, ſed à merâ voce præcinentis oſtendit David, cùm cecinit, *Paratum cor meum* DEVS, *paratum cor meum.* Oſtendit Paulus cum ſolâ CHRISTI voce motus intonuit illud à ſingulis quotidie repetendum canticum, nimirùm, *Domine, quid me vis facere?* Exſequuntur & boni Religioſi, merâ Superioris voce efficaciſſimè prædeterminati, quorum Regulæ conſonam obedientiam

Cap. V.

Digitized by Google

Cap. V. Sanctus Benedictus deſcribit, cùm ait, *Hi tales, relinquentes ſtatim quæ ſua ſunt, & voluntatem propriam deſerentes, mox exoccupatis manibus, & quod agebant imperfectum relinquentes* (Ecce! Etiam in bonâ Muſicâ laudantur conſonantiæ imperfectæ) *vicino pede obedientiæ, Vocem factis ſequuntur: & velut uno momento* (uno tactu, unâ menſurâ, *Hiſp.* un conpás) *& prædicta Magiſtri juſſio, & perfecta Diſcipuli operatio*. Quid ſi *Vocem facta ſequuntur* ageremus? Fortè non careremus MS. non enim rationis præſidio caremus. Nam ſi rem ritè examines, reperias relaxati Antiſtitis vocem eſſe mutam, & facta obſervantis vocalia, Hoc ipſum Auguſtodunenſe Concilium Can. XV. [celebratum creditur ſub Leodegario Epiſcopo & Martyre, anno 670. & ut multi numerant, 127. annis poſt obitum S. Benedicti,] tradidit; *Si hac omnia fuerint legitimè apud Abbates vel Monaſterium obſervata, & numerus Monachorū DEO propitio augebitur, & Mundus omnis per eorum orationes aſſiduas malis carebit contagiis*. Eſt veriſſima inductio. Nam ſi Abbas legitimè vixerit, totum etiam Monaſterium, tota Communitas religioſè converſabitur. Si detur obſervantia, dabitur perſonarum & rerum abūdantia, nam quærentibus primò regnum DEI & juſtitiam ejus, cætera omnia, & inter alia etiam orationis efficacia cōceditur. Sed DEUS bone! Fœlix hodie eſſem ſi ignorarem Dialecticam: torqueor enim diſcurſu, in quo nollem errare, & tamen errorem non percipio. Sic ratiocinor. Hodie Mundus inficitur multis contagiis; hæreſibus, ſchiſmatibus, bellis; & millenis aliis aſſeclis harum peſtium: Ergo parvus eſt aſſiduè orantium numerus; & ſiquidem multi Monachi ſunt, pauci ſunt qui aſſiduè & legitimè orant. Ergo, ſi hoc conſtat & permittitur, illegitimè Regula apud Monaſteria obſervatur; & ſi malè apud ipſa, malè apud Superiores, Abbas enim in Sphœrâ Monaſticâ Primum Mobile eſt, & ſicut ex quiete Aſtrorum, ſi illa contingeret, quietem Primi Mobilis cognoſceremus; ita etiam ex ignaviâ & relaxatione, Subditorum, deſidium neglectumque Superioris rimamur. Vt igitur nec Mundus nec Monaſterium peſtiferis inficiatur contagiis, agat Antiſtes vitam puram, quam imitentur Inferiores.

Hæc ego bene intelligo. Omnia adſequor; ſed manet adhuc ſcrupulus, & ope indigeo. Nam ſiquidem Abbas præcentor us ſupponitur, doceto quid debeat pręcinere. Quid ergo modulabitur? Puncta intenſa an remiſſa? Gravia, an levia? notas an pauſas? per longa ſpatia & tempora, an labio præcipiti & anhelitu rapto?

155. ☞ Et Ego omnia & ſingula, quæ continentur in Regulâ, quæ exactè à Prælato obſervantur, ut etiam obſerventur à Monachis; eſſe ſimul & gravia & levia, reſpondeo: ſunt enim univerſa levia bonis, gravia malis. Pauſas in Regulari Muſicâ admitteret omninò ille, qui ſilentium eſſe taciturnum putaret, cujus obſervantia apud Benedictinos magna eſt, & tanti ab ipſo inſtitutore facta, ut illam duobus Capitibus [VI. & XLII.] ex profeſſo, & multis obiter in locis mandaverit. At Ego melioribus ideis inſtructus, toti Benedictinæ Muſicæ nego pauſas. Non negabo ſilentia; hæc enim prolixa & inviolabilia profiteor, at puto eſſe vocalia. Dixit Propheta Rex, etiam Cantor, *Te decet Hymnus DEVS in Sion*, & vertunt alii, *Te decet ſilentium DEVS in Sion*: & meritò: quia bene laudat DEUM, qui bene tacet; & optimè conſonat Regulæ, qui ſilentium ab Ordine præſcriptum obſervat. Eloquentiſſimè & efficaciſſimè prędicat, qui injurias æquo animo ſuſtinet, & CHRISTO ſimilis, quaſi agnus ad occiſionem ductus coram tondente ſe obmutuit & non aperuit os ſuum. Nec ego pauſas ſolus nego converſationi Regulari; illas negat & D. Benedictus, qui vitam Monaſticam eſſe obedientiſſimam docet, ſubjungitq; quod boni Religioſi, *mox ut aliquid à Majore imperatum fuerit, ac ſi divinitùs imperetur, MORAM pati neſciunt in faciendo*. Sed quia & tempora rogor, & Muſica inæqualia habet; an Superioris vox debeat longa an brevia percurrere, explicabo. Sed cur Ego? Occurrit B. Odilo; & ipſe in S. Marioli vitâ audiatur. *Poſt ejus autem piiſſimi Patris* (Benedicti) *ex hac vitâ migrationem, per B. Maurum ejus diſcipulum, omnis penè Gallia ejus Inſtitutionis & Religionis Inſtituta ſuſcepit; atque per eumdem Maurum PER LONGA TEMPORVM, SPATIA eadem Religio ad perfectionis cumulum excrevit.* Sanè in Muſicâ Benedictinâ dantur Notæ breves, & longæ; illæ actus hominis interioris, hę mixti. [hominis enim purè exterioris actus excludit S. Pa-

ter cap. XIX. jubens, *ut ſic ſtemus ad pſallendum, ut mens noſtra voci noſtræ concordet*; ubi *Vocis* nomine omnes externas actiones intelligo; quoniam univerſæ ſunt linguæ, quæ loquuntur ex abundantiâ cordis.] Profectò de actibus merè interioris Hominis S.Pater cap. XX. *In Conventu tamen omninò brevietur Oratio*,videlicet,*purè mentalis*.Et ut ſciremus etiam hanc debere eſſe enarmonicam, & Statui Religioſo conſonam, committit Priori (Superiori) menſuram tactumque, & ait: *Et facto ſigno à Priore omnes pariter ſurgant.* Cæterùm actus mixti hominis per longa tempora & magnas notas finis neſcias Benedictus diducit, inſtituitque[in Prolog.]Choriſtas *ab ipſius magiſterio nunquam diſcedentes, & in ejus doctrinâ uſque ad mortem in Monaſterio perſeverantes*,è quorum numero magno loco eſt habendus Bernardus qui ab Alexandro Papâ, in Regularis vitæ obſervatione *longum* dicitur *duxiſſe martyrium.*

156. Sed cur *duxiſſe*,& non potiùs dicitur *pertuliſſe?* Quoniam Bernardus Regulam exactè obſervando & longo paſſu viam mandatorum currendo,longum martyrium tacitè & generoſè pertulit:tacendo & patiendo prędicavit;prędicando convertit,& tandem convertendo duxit innumeros per martyrium ad crucem, per crucem ad triũphum, per triumphum ad gloriã:quæ eſt menſura beatitudinis ſine menſura,duratio ſine tẽpore,requies ſine fine,gaudiũ ſine termino, Muſica ſine clauſulâ.Ibi tandem,lex membrorũ hodie legi mentis repugnãs,cõſonabit;mens cõſonabit DEO. DEVS creaturis; nec vel minima diſſonantia audietur. Ibi erit illa ſpiritualium concordia, animorum concentus, & voluntatum conſonantia, quam nec oculus vidit, nec auris audivit; quam tamen propriis oculis viſuri ſumus,& auribus propriis audituri;gloria enim cœleſtis eſt lumen, quod aure percipitur; eſt melos, quod oculis cernitur; eſt fœlicitas, quam præparavit DEVS diligentibus ſe.

§. III.

De Sæcularium Legum armoniâ, fine, neceſſitate, & qualitate.

157 Continui me, toto diſcurſu præcedenti nec clauſtro egredi volui,sũt enim qui cum maximè neſciant domeſtica,de alienis peregriniſque audacter & ſtupidè judicant. Præmiſi Politiam Regularem in ſpecimen,ut ſi puras veritates dixiſſe videar,puras etiam dicturus afferar. Oculos igitur è Monaſterio ad Vrbem, è Regulari vivendi genere ad Civilem & Sœcularem transfero: & quo in Vrbe modo debeant leges ferri & ſervari pronuntio.

158. Profectò, quàm neceſſariæ omni Populo ſint leges grandi cenſurâ expoſuit Cicero pro Cluent. dicens: *Fundamentum libertatis,fons æquitatis,mens & animus & conſilium, ſententiâ Civitatis poſita eſt in legibus.* Fregit Sampſon columnas, quibus innitebatur Aula publica, & totam evertit & multa in ipsâ millia Philiſtæorum occîdit, & Iulius Cæſar rumpens legum avitarum repagula, Romani Populi libertatem ademit. Fonte obturato, rivi ceſſant;& æquitatis fluenta exſiccantur in Populo, ſi leges, quæ Iuſtitiæ ſunt fontes,areſcunt: *Nihil enim tam aptum ad jus conditionemq; Naturæ, quàm lex; ſine qua nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum univerſum genus ſtare, nec rerum Natura omnis, nec ipſe Mundus poteſt.* Cicero 3. de legib.

159. Hinc patet debere omninò poſt leges publicas, quæ à ſingulis debeant obſervari,eſſe primam & incommutabilem Legem; *Leges habento*,Secundam, *A lege DEI & Charitate univerſa pendento. Salutem Animarum curanto. Debentiam & commoditatem corporum ne intermittunto.Contra DEVM & Decalogum ne imperantor.* Quæ omnes ſunt in venerabilibus Patris verbis imbibitæ.

Sed ſtatim rei publicæ ſtudioſus inquiet: An-ne Cæſar, Rex, Princeps teneatur proprias leges ſervare?Illum aliqui abſolvunt;alii ex decentiâ merâ obligant;nonnulli levi peccato obnoxium faciunt,niſi communi converſationi conſonuerit; ſunt qui illum graviùs adſtringant,& uſi citatâ Benedicti periodo ingeminent, *Lex vitæ eſt Regula; omnes igitur magiſtram ſequantur Regulam,nec ab eâ temerè devietur à quoquam.* His Ego,ſi lex feratur à Communitate arbitrii dominâ,ſubſcribo;& qualiſcumq;ſit legem,à ſubditis religioſè obſervandam non eſſe,ſi à Superiore negligatur.

160. Fecit DEVS, Geneſeos 1. Hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, & poſteà eduxit Fœminam ad imaginem & ſimilitudinem Hominis, *Non eſt bonum*, ait,*eſſe Ho-*

Digitized by Google

Hominem ſolum; faciamus ei adjutorium ſimile ſibi. Sciat igitur Princeps Rempublicam ſibi eſſe Sponſam, non ancillam, non famulam; ſciat illam ſibi fore ſimilem; nec poſſe ſub homine fractæ fidei, converſationis ſceleratæ & intortæ, eſſe integram, rectam & piam. Quoniam in Politicâ cytharâ omnes fides Principi æquiſonant & ſervant fidem; & Fidei diſſonabunt Divinæ, ſi Princeps diſſonet.

Hinc conſtat mediocritatem in Republicâ tenendam eſſe: tenendæ enim ſunt leges, & hæc ſolùm legibus à Ducis Prudentiâ præſcribitur. Sublimia ſuadent leges, & mediocria præcipiunt, nam ut bene notavit Cicero 2. de Legibus, *Legis eſt perſuadere* (eminentia) *non omnia vi ac minis cogere*. Medium tenuêre beati; quoniam abuti ſolent opibus opulenti, animo deſpondent ſæpè pauperes: Reges tyrannicè aliquando procedunt; & infames honore amiſſo nihil curant, & inter ipſos medius Salomon, *Divitias & paupertatem*, ait, *ne dederis mihi, ſed tantum victui tribuas neceſſaria*. & Poëta,

Omnia ſi perdas, famam ſervare memento;
Quâ ſemel amiſsâ poſteà nullus eris.

Non placet, intonat, *Cæſar vel Nihil*. quoniam inter Cæſarem Nihilumq; datur medium, alterutro extremo ſecuriùs. Oportet ita vivere ut laureâ Cæſareâ ſis dignus, & hoc glorioſiùs erit, quàm illâ cingere caput immeritum. Reſpice mare, & time fluctuanti naviculæ, ſi ventus ſit nimius, time, ſi nullus. Si nimius, obducitur tenebris æther, turbatur aër, proceleſcit oceanus, & pinus jam aſtra appellitur, jam abyſſum allabitur. Si nullus, hærent omnia, & Marpeſiæ cauti ſimilis pinus hæret. O quot illuſtres homines pelagus procelloſum abſorpſit! O quot perierunt etiam naves aëris & venti defectu! Repertæ fuerunt plurimæ alto æquore, onuſtæ opibus & cadaveribus, quas Æolus promovere noluit, remus non potuit. Periiſſet omninò Icarus, ſi reptaſſet, aut terræ proximum aërem alarum remigio pexuiſſet; & tamen etiam periit, eminentem imperviamq; Solis regionem penetrando. Vos igitur Politici tenete ora: & ut ſitis beati, mediam viam. Nocent ſummæ miſeriæ, ſummæ divitiæ nocent; humanus enim animus nimiâ fœlicitate effertur, nimiâ adverſitate deprimitur. Via inter ſummum & infimum honorem media, multò ſecurior eſt; omnia enim improba audet, qui quòd omnia perdiderit, nihil perdere poteſt: omnia improba, qui tantus eſt ut in ſe nemo audeat, ut ſibi reſiſti non poſſit. Vento indiget Publica Res, ut conſervetur: perit quæ nullos habet hoſtes, perit quæ nimios; quam ob rem Romano Populo deliberanti, An-ne evertenda eſſet Carthago? eam enervare & ſubmittere placuit; delere & incinerare non placuit. Vento indiget privata Authoritas, ut promoveatur; vento videlicet ſecundo, nec tamen vehementi vel debili; contemnitur enim ab omnibus qui à Monarcha contemnitur; & omnium invidiæ eſt obnoxius, qui univerſis prefertur. Nolo eſſe Icarus; quoniam, ſi caream alis, ſubjacebo potentiori vindictæ, & periculum vitare non potero: & ſi non caream, ſupervolabo nimiùm, & plumâ evectus, inter fervidos Aſtri maſculi radios liqueſiam. Dicam Monarchas eſſe ſimiles Igni, à quo ſi nimis diſtem, calefieri non potero; ſi nimis accedam, comburar. Servabo igitur mediocritatem, quam dictârit Prudentia; non ſubtraham me totum ab aulâ, ne videar ſylveſter & ruſticus, nec meorum Principum ſervitio natus; non me ingeram invocatus negotiis, quoniam reſpondere non interroganti, ſervire invido, obedire nolenti, & obligationes fruſtra incurrere, rationi diſſentaneum eſt - vocatus adero, juſſus prodibo, conſultus pronuntiabo ſententiam: ſummæ enim arrogantiæ & ſuperbiæ eſt jura dicere non poſtulata.

161. Sanè ſuperbiam à Republicâ Regulari proſcripſi, illam æquo etiam jure à Civili proſcribo; ubi enim dominatur, æquitas quæ in præmiorum meritorumq; proportione conſiſtit, ſervari non poteſt. Alias alii Æquitates delirent, hanc Ego unicam cognoſco & admitto; hanc unicam Philoſophi Chriſtiani mecum. Ejuſmodi fuit illa æquitas, quæ in Eccleſiâ primitivâ ſervata: ejuſmodi, quam D. Benedictus reſtituit, quam Religioſi univerſi ſectantur. Sed, ſubaudio: Quærit à me Politicus, An-ne hæc doctrina Regularium ſit propria: an verè poſſit debeatve in Aulâ, in Curiâ, & in Senatu ſecretiore ſervari? Et reſpondeo in Republicâ Atlanticâ debere, in noſtris poſſe. Nolo multa ediſſerere de Atlanticæ Regionis ſtatu; quoniam Platonis pace multa ſunt in cogitatâ illâ Republicâ; quæ purè cogitata videntur, nec poſſint utiliter re-

Digitized by Google

duci ad praxim. Ad noſtras Reſpublicas venio. & in ipſis Humilitatem à Puſillanimitate diſtinguo, nec puto ſuperbum illum dici poſſe, qui honores poſtulat, ſuæ perſonæ aut dignitati debitos. Diſtinguo etiam ab Æquitate æqualitatem; ſumma enim æqualitas ſumma iniquitas eſt. Anima eadem numero, membra ſingula diverſè attemperat; nec eſſet ſanum illud corpus, in quo cor æquè ac cerebrum humidum, aut cerebrum ardens æquè ac cor. Et Princeps, quia Publicæ Rei Animus eſt, debet favores diſtribuere; nempe, ſingulis prout cuique opus: dignioribus meliores & majores, minores & remiſſiores minùs dignis. Omnia debet modeſtè & moderatè perficere; quoniam DEI vices gerit, & omnia in pondere & menſurâ DEVS condidit; nec debet naturalis alterari ſyntaxis. Nolo in corpore humano inverti membrorum officia; non enim manus ad deambulandum, aut pedes ad ſcribendum dati. Nolo in corpore myſtico pati membrorum anagrammata, non enim decet accingi gladio Sacerdotem, aut Militem eſſe Eccleſiaſten. Bene orat, qui Officii legitimè injuncti obligationibus ſatisfacit: & Miles, ſi ſtipendio contentus nemini injuriam faciens, famem, ſitim & nuditatem paſſus, occumbit pro fide Catholicâ, non caret omninò martyrio. Sed quia communis vita ſuos etiam actus patitur, quo poſſit modò ſine rigoris inviolandi jacturâ nonnunquam intendi & remitti, affluere & effluere devotio, debebo breviter dilucidare.

162. ☞ Vt à Sanctioribus incipiam, indubitatum eſſe affirmo, nullam eſſe Communitatem, etiam Aſceticam & DEO contemplando devotam, quæ honeſtas ſuas Animas remiſſiones non habeat; nullam tam eminentis vitæ, quæ non debeat ſtatis aliquibus diebus orare inſtantiùs, contemplari ſublimiùs, refici parciùs. Sûmę perfectionis fuit illa, cui D. Benedictus præfuit, & tamen Vndequinquageſimum Caput ſcribens S. Pater affirmat, dari ſanctiores dies in quibus ſanctiùs converſari debeamus. Ergo fortiori Militem, Civem, Aulicum, & Sœculares qualeſcumque hæc doctrina concernit; à quibus extorquere debemus, ut ſanctiùs & accuratiùs diebus feſtivis converſentur. Optima Organa remittuntur uſu quotidiano, aut abuſu, & debent ſtatis temporibus attemperari; & in Humano Polychordo, Memoria, Intellectus, Voluntas, omneſque interiores, & exteriores Senſus, fides ſunt fragiles, & quæ ingenio ſuo remitti debeant, ni quotidie intendantur.

163. ☞ Sed qui intenduntur fides? exiſtimo Fidem & fides eodem intendi modo. Fides Cytharæ, quando torquet intendis; & Fides tua intenditur etiam cùm torqueris, quoniam virtus in infirmitate perficitur. Intenditur Catholicorum Fides bellis; miſeriis Chriſtianorum devotio. Implorant DEVM afflicti, qui ejus fuerant immemores, dum lætâ fortunâ fruebantur.

Ergo, ut finem imponam diſcurſui, Te FERDINANDE IV. aut abſentem, aut præſentem alloquor, & in Sanctæ Crucis Tuo Cœnobio ad Crucem ſubeundam invito. Noli contemnere miſerias publicas cœlitùs datas. Illę eædem fœlicem beatumque reddiderunt FERDINANDVM II. Avum Tuum, cui ab ipsâ Coronationis die crux, & occaſio patientiæ exercendæ non defuit. Multa ob Eccleſiæ defenſionem præſtitit, multa pro Crucis Fide pertulit, & inter militares diſſonantias, & hæreticas improportiones adhærens Cruci, totus Cœli fuit; tandemque tædio rerum terrenarum affectus nos deſeruit, & triumphatis Hæreticorum exercitibus Empyreum (*ſic ſpero*) ovans aggreſſus eſt. Illæ eædem difficultates & miſeriæ fœlicem reddunt FERDINANDVM III. Pium Parentem Tuum, quem in triumphali Crucis barbito elimât torquentque, ut ſonet ſublimiùs & altiùs. Et poſt fœliciſſimos Cæſares etiam Beatitudo Te manet, quem ab incunabulis onerant Cruces, & torquent militares miſeriæ; à tenerâ ætate Te curæ expoliunt, ut magnis expeditionibus exercitus, omni terreſtri promotione ſis major. Vive DEO: tempore cœlitùs dato utere. Si bellum ineas, cura publicam pacem; ſi pacem habeas, bellum cogita; Auguſtiſſimorum Cæſarum Majorum veſtigia ſequere; eorumdemque generoſa facinora Tibi proponas imitanda; quoniã in ipſis reperies omnis Pietatis documenta, quibus ſi Reſolutiones Tuæ conſonent, Tibi etiam Subditorum Tuorum operationes conſonabunt. Fac DEO, fac Majorum Tuorum Pietati & Religioni ſemper conſones; fac Tibi Cœlis conſonanti Terræ obaudiant; DEI cultum, & Catholicæ Fidei obſervantiam

or-

Digitized by Google

orthodoxam *intende*, vive *proſperè*, generosè *procede & regna* fœlicibus annis.

164. Et Tu Michaël, PRAESVL REVERENDISSIME, nomini correſponde. Angelis præſides; nam Religioſi indepti Angelorum officium, ſi etiam eorumdem virtutes illuſtriſſimas, multifariam ſunt Angeli. Dominus regnavit à ligno; nempe ab illo, quod Monaſterium tuum denominat, & tuæ fidei concreditur. Perge conſonare noſtro Legiſlatori; & morum regularium armoniam, quâ tota Ciſtertienſis Religio Te habenas moderante finitur, perge exemplo, perge ſtudio & vigilantiâ conſervare.

165. Et Vos Monachi obſervantiſſimi, qui apud Sanctam Crucem DEO vivitis; gloriaminor in Cruce Domini noſtri IESV-CHRISTI, in quâ Mundus eſt crucifixus vobis, & vos Mundo. Orate DEVM, ut Germania, quæ impræſentiarum plena crucibus eſt, ſit aliquando plena DEO. Calvariæ mons tres Cruces habuit; & una ſola CHRISTI fuit, latronum duæ: unde colligo, varias circumferri in Republicâ Cruces; nec illis Sanctos, nec illis peccatores carere. Colligo non omnes miſerias & pericula eſſe hominibus merito; ſed quæ ſunt ipſi in Cruce IESV-CHRISTI perpeſſi; quæ pro juſtitiæ defenſione incurrerunt, & animo equali tolerarunt. Inter clangores militares affinitatem contraxiſtis cum cœlo, ad quod nos tendimus. Iam Gygantum exemplo non Pelion Offæ, ſed eminentiores montes cumulavimus, ut cœlum attingere poſſemus. Monti Diſenbergenſi, quem incoluimus, Emauntinum & Serratum montem ſuperpoſuimus, & multum à cęlo diſtamus. Vos è Calvariæ monte, è Crucis faſtigio, utpotè propinquiores Olympo, Orationes viciſſim jaculaminor, quia Regnũ Cœlorum vim patitur, & violenti (volentes) rapiunt illud. Tenete empyrea limina; dateq; gloriam in altiſſimis DEO, & impetrate pacem in terrâ hominibus bonæ voluntatis. Vivite DEO, qui crucifixus eſt pro mundo: vivite vobis, qui jam crucifixi eſtis Mundo: & mortui ſęculo, lucraminor vivas in hoc mũdo virtutes, ut in altero ſine fine vivatis. DIXI.

166. *Finem impoſituro ſpeculationibus armonicis, Rationalemque Philoſophiam Conceptibus moralibus illuſtraturo, occurrit hæc Epiſtola, quam cuidam Amico olim ſcripſi, & nunc gratiâ Argumenti huic volui Orationi ſubſcribere, & novis acuminibus dilucidare.*

OBſervent Cœlos, Rei Sydereæ Studioſi, non te illiciunt curæ; non enim cupis aut metiri, aut mentiri; maximè cùm intelligas menſuras Aſtronomicas non carere mendacio, nec mendacia Aſtrologica indigere menſurâ: me enim judice, quantùm metitur Aſtronomus, tantùm Aſtrologus mentitur. Alii, ſi lubeat, corpora ſublunaria diſcutiant; modò tibi ſit liberum, condolere Orbi Peripaterico, ex rationis Entibus, quæ vocant, Ignis Sphœram fabricanti; hoc eſt, captivanti intellectum in obſequium cœcutientis Philoſophi: adſtruere enim Sphœram, quam nec Fides docet, nec ſenſus percipit, nec ratio probat, ſi non cœcitas, dementia eſt. Aëris fluxus & refluxus, quos Ventos dicimus, eiſdemque cognatas Marium alterationis obſervent Navarchi & Hydrographi; tua non interſunt hęc omnia; India enim, ad quam navigas, CHRISTVS eſt, ad quem inter periculorum vortices Te ſecurum conducet votorum eſſentialium religio, & ſtabilitas loci promiſſa. Menſurent Terras Geographi, qui terrenis dant operam, Te nec iſta delectant, nec ætherea; licet enim converſatio tua in Cœlis ſit, non eſt in Planetariis aut Syderiis, ſed in Cœlis Cœlorum, in illis nempè, qui Cœlos Stelliferos, ſicut & iſti terram, ambiunt, circumeunt & illuſtrant.

O DEVS Bone! quàm generoſe ſublimiq; Aſtronomiæ deſudas? O quàm feliciter elevas oculos, cùm CHRISTVM Solem, Lunam Virginem, & alia Sydera, aut angelitùs in Empyreo condita, aut humanitùs à tellure tranſlata, ambitioſus obſervas! Et quia me doces, vellem addiſcere inſtrumenta, quibus ſublimes iſtæ obſervationes fiunt. Sed jam memini; qui te docuit, me erudit. Empyreoſcopæum & harum ſupercœleſtium obſervationum Officina, Clauſtra ſunt Monaſterii, & Stabilitas in Congregatione; Sextantes, Quadrantes, Armillæ, Lineæ, Perpendicula, Globi, Sphœræ, & Inſtrumenta, quibus debemus uti, ſunt illa illa, quæ à D. Benedicto Cap. IV. accuratè exponuntur.

167. Sed quia non omnia Inſtrumenta ſemper ſunt neceſſaria: quæ è manibus dimitti non poſſint, idem S. Legiſlator inſinuat, dum præcipit, *Lectiones ſanctas libenter audire, & Ora-*

Orationi frequenter incumbere. Et ne quis crederet, hanc Orationem, non debere eſſe muſicam, ſed poſſe carere conſonantiâ, duas periodos adjunxit, plenas doctrinâ & magiſterio, ſi quantæ ſunt ſcriptæ, tantâ illæ attentione legantur. *Conſideremus*, ait Cap. IX. *qualiter oporteat in conſpectu Divinitatis & Angelorum eſſe; & ſic ſtemus ad pſallendum, ut mens noſtra concordet voci noſtræ*; & in quarto indixerat, *Cum diſcordantibus ante Solis occaſum in pacem redire.* Ecce, docente Benedicto, Empyrei Cœli Scientia in vocum armoniâ & concordiâ conſiſtit; hanc docet Muſica; quam moraliter & regulariter ſpeculabimur.

168. Multæ in voce debent conſonantię inveniri. Debet enim illa conſonare cordi, conſonare Confratribus, & conſonare ſibi. Cordi? Omninò: Si enim pſallimus, *nec mens noſtra concordat voci noſtræ*, tinnientia ſumus cymbala; & potiùs quàm laudare DEUM, videbimur aërem diverberare. Confratribus? Maximè. Non enim poſſunt Fratrum voces Verbo Divino æquiſonare, quamdiù diſcordent inter ſe. Equidem, *Dimitte nobis debita noſtra*, jubemur conditionatè dicere, & ſubjungere, *ſicut & nos* (nota conſonantiam mirabilem) *dimittimus debitoribus noſtris*; ut impoſſibile ſit cum DEO concordare Animum, qui diſcordat à Proximo.

169. Hinc Capite LXXI. *Si quis autem Frater*, ait S. Benedictus, *pro quavis minimâ cauſâ ab Abbate, aut quocunq; Priore ſuo, corripitur quolibet modo, vel ſi leviter ſenſerit animum Prioris cujuſcunq; contra ſe iratum, vel commotum quamvis modicè, mox ſine morâ tamdiù proſtratus in terrâ ante pedes ejus jaceat ſatisfaciens, uſq; dum benedictione ſanetur illa commotio. Quod ſi quis contempſerit facere, aut corporali vindictæ ſubjaceat, aut ſi contumax fuerit, de Monaſterio expellatur.* Quę verba in idioma Muſicum tranſlata, viderentur hæc eſſe. [Tanti eſt facienda Charitas, quæ eſt dulciſſima quædam voluntatum diſſymbolarum conſonantia, ut nunquam tolerari in Monaſterio debeat Tritonus, aut alia diſſonantia vel minima. Quam ob rem quicunq; Religioſus ſciat ſe eſſe Pſalterii Monaſtici ſelectiſſimam chordam, & quantum in ſe fuerit ſic vocem motuſq; ſuos attemperet, ut non diſſonet aliis. Quod ſi ex quâcumq; occaſione vel cauſâ altior aliqua chorda ſibi diſſonet, ne unius quidem tactûs ſpatio in priori intenſione, aut etiam intentione perſiſtat. Remittat ſonum ſuum, & humiliet reſonantiam, quouſq; priori & altiori concordet. Quod ſi noluerit ipſe facere, ſubjaceat regulari torturæ; experientia enim docet chordas etiam debiles & ſubtiles, utiliter ſolere torqueri, & hac viâ reliquis omnibus attemperari; quod ſi ne hoc quidem modo conveniat & concordet reliquis, rumpatur, excidatur, proiiciatur, ne Pſalterii Monaſtici concordes & conſonæ fides malè audiant ob unius diſſonantiam.]

170. Et quia ex conſonantiis conſonantiæ aboriuntur, juvat culpæ & pœnæ concentum ſuccedentem audire: ut videamus quale illud ſit Metaphyſicorum Principium, *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe.* Annon eſt iſti muſico aſſimile, *Quæ conſonant inter ſe?* Et tamen hoc tolerari non poteſt: UT enim & RE conſonant uni, nempè SOL (quoniam UT SOL eſt quinta, RE SOL quarta) & tamen diſſonant inter ſe. Sic etiam Divinæ legi pœna conſonat, quæ temerario imponitur; eadem pœna culpæ etiam conſonat, [vide Cap. XXVIII. S. Benedictus *ſecundum modum culpæ, excommunicationis vel diſciplinæ debet extendi menſura*.] cùm tamen Lex & Culpa non poſſint concordare inter ſe.

171. An & ſibi etiam concordare Homo debet? Paulò antè aſſertivè reſpondi. Sunt enim Antiſtites, ſunt Religioſi, qui non conſonant ſibi. De illis Cap. IV. S. Pater. *Præceptis Abbatis in omnibus* (debetis) *obedire, etiam ſi ipſe aliter, quod abſit, agat, memores Dominici præcepti.* Matth. 23. *Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite*; aut clariùs. [Cœnobium eſt quædam Monaſtica Lyra, cujus maxima chorda erit univerſis prælata. Ejus voci in numeris & moribus omnibus veſtris reliquæ conſonare debetis. Quod ſi hujus chordę Principis actio voci non conſonet, vos voci conſonare, & actioni diſſonæ conſonuiſſe nolite.] Et de Religioſis, qui nec ſine ſe, nec ſecum vivere poſſunt, qui ſibi ſunt diſcordes & diſſoni, Cap. I. ipſemet Benedictus. *Qui nullâ Regulâ approbati, experientiâ magiſtrâ ſicut aurum in fornace, ſed in plumbi naturâ molliti, adhuc operibus ſervantes ſæculo fidem, mentiri DEO per tonſuram noſcuntur.* Et quidem, nullâ Regulâ approbati dicuntur illi; quorum vita nullius Patris inſtitutioni conſonat, qui

ca-

Digitized by Google

carent omninò experientiâ, quibus durus & naturalis vitæ proceſſus diſplicet,placet mollis; quorum opera conſonant ſœculo, & diſſonant profeſſioni & tonſuræ.

172.☙Hæc eſt, mi Malachia, illa moralis Muſica,cujus irregulares diſſonantiæ opplent loca, quæ ſempiternus horror inhabitat; cujus cõſonantię placent ętheris incolis,DEVM ſolicitant, recludunt miſericordiæ Oceanos, & favores opulentos implorant.Placuit illam uberiùs ediſſerere,jam enim reperitur.

Muſica Moralis vix in Tellure; Voluntas
Menti, Mens Lingua, diſſonat hac Calamo.
Vix Tenor auditur medius:namq;elevat Altum
Ille nimis, Baſſum deprimit iſte nimis:
Et tamen in medio Virtus conſiſtit? Vtrinque
Mens agit extremas, quæ eſt vitioſa fugas.

Hujus Empyreæ Muſicæ Eccleſiaſticus cantus umbra eſt;& quia pulcherrimę Artis umbra, pulchra umbra. Hunc Angelus aſſerente Caſſiano *libr.2.inſtit.cap.5.*primus docuit;cui Tu hodie in officio ſuccedis;& ne videaris indignus ſublimi miniſterio,voce Angelicâ pręditus, inſtruis humanos Angelos(puellos innocentes intelligo)ne Te duce, labio, & moribus voci divinæ conſonent, ſciant humanitùs mori,angelitùs vivere,& divinitùs laudare DEVM. Sanè Artes liberales multæ; diebus ſingulis numero & cultu creſcunt; ſed ſi muſicè loqui uelimus, hoc eſt, ſincerè, ita ut vox noſtra concordet menti noſtræ,

Ars tua Princeps eſt,reliquis nam ſola negatur
Artibus, à Muſis Muſica nomen habet.

Et quia Princeps ipſa, in peccato concepta,à nemine correcta fuit. O Magnatum infelicem fortunam! ſe fœliciores credunt, cùm evecti ſublimiùs, ut nec maculis carere poſſint, nec habeant oculos quibus eas videant, nec hominem à quo inſtruantur. Pateret magnus campus,ut de Principibus obloquerer,ſed hoc fiat miſſum;committamus homines Principes aliis inſtituendos, & nos Principes Artis Inſtitutiones diſcutiamus.

173.☙Concepta fuit, ſic dixi,in Originali peccato, ſed à Magno Gregorio (id Viri doctiſſimi affirmant) ut quam contracta labes humiliat,proſapia ſublimior exaltet. Minerva Magna olim fuit, quòd orta à Magni Iovis capite; & Muſica Eccleſiaſtica non poterit non dici *Ars Magna*,ſiquidem à Magno Gregorio, Pontifice Maximo fuit orta. Sed quia Homines concepti in peccato, etiam in peccato concipiunt,in conceptione ſuâ hæc Muſica contraxit originalem maculam; & quia Redemptore caruit,agit annum ultra milleſimum, nec adhuc à peccato libera. Malachia *Angelus* DEI, interpretatur; ergo ſis Ioanni Angele, quod olim fuit magni Conſilii Angelo Ioannes.Sis Præcurſor.Incipe baptizare & eluere Muſicos, olim ſi faveant Superi, fluentis doctrinæ uberioris iuvandos. Et quoniam medicina morbuſque ſunt relata, ut illam ſecuriùs adhibeas, iſtam muſicè conſideremus.

174.☙At me auditurus hæres, & acerrimè incuſas inconſtantiam;vides enim te priùs Muſicum,Angelum poſteà dici; & jam tandē morbis recurandis impendi; maximè cùm tę judice toto Cęlo differant Medici & Angeli.

Sed quæſo,ne auditus carpat.Angelos,eſſe & Muſicos, clariùs eſt, quàm ut debeat probari. Eſſe & Medicos inſinuat Raphaël, cujus nomen à Divinâ Medicina deſumitur. Muſicos etiam eſſe Angelos, analogia miniſterii demonſtrat; firmantque Apocalypſes Ciſtertienſium, in quibus legimus viſos quandoq; Angelorum & Monachorum correſpondentes Choros; Angelicos rectos à Monacho, & Humanos ab Angelo: viſos quandoque Angelos Monachis mixtos concentu uniſonante modulari. Sed & Muſicos eſſe, Regius ille Cytharędus oſtendit, qui Saulem correptum miraculoſo morbo, miraculoſiùs recurabat. Tandem Medicos eſſe Angelos, communicatio idiomatum ſuadere poteſt; ſummaque eorum connexio,quæ ſunt indiſtincta alii tertio;undè apud Metaphyſicos Axiomata multa ſunt nata. Sed quoniam ipſa mihi & aliis videntur infirma,& medicâ recognitione egere, Medicorum Angelorumque ſupremam convenientiam, à fundamentis muſicis efficaciùs probabo.

175.☙Medici meritò vocantur Angeli: ſicut enim in cœlo ab Angelis dependent errantes Stellæ; ſic etiam in tellure à Medicis errantes humores.In erroribus Syderum conſiſtit Pythagorica Cœlorum Muſica;Igni elementari in hoc ſimilis,quòd cùm nec illa audiri poſſit, nec hoc aſpici; illa videri in libris debeat, hoc audiri in Scholis; neutrum ſenſibus percipi, ſed utrumque bonâ (vel fortè malâ) fide ſupponi. In humorum erroribus con-

Digitized by Google

conſiſtit Medicorum Muſica, quàm optimè callebat Paulus, qui chordæ diminutiones videns, & vocis incrementa conſiderans, putavit illam eſſe ſimilem corpori, hanc Animę, unde ait, *Cùm infirmor fortior ſum & potens*, hoc eſt, quò magis chordæ minuitur longitudo, quò magis corporis vires deficiunt humorum temperamento perturbato, eò magis vox Animæ orantis intenditur, & eò cor ſonat altiùs.

176. Ecce humorum & Syderum, Medicorum Angelorumq; ſummam analogiam? Nulla quidem eſt in toto firmamento lampas verè fixa; etiam, licet tardiſſimè, moventur illæ, quæ fixæ audiunt. Nullus in corpore humano eſt humor verè conſtans: etiam laborent illi, qui robuſti creduntur. At alteratio tarda, qualem Aplanes patitur, qualem & sẽtit Homo, qui prudenter procedit, non ſubjacet noſtræ cenſuræ. Tolle Angelos, erroneè errabit Sydus; tolle Medicos, erroneè errabit humor: illa enim tarda & lenta humanæ temperiei alteratio, quæ naturæ debetur, non eſt error: vel ſaltem nõ eſt error erroneus, Sydera enim errant artificiosè, & ſuis ſubjacent naturæ legibus humores cùm dicuntur errare. Profectò ſine Angelis nulla eſſet corporum cœleſtium muſica; ſi de Medicis nulla eſſet antidotorum armonia, nulla humorum vinceretur varietas; tametſi negandum non ſit, aliquando evenire, ut dum ægri nimiùm Medico confidentes excedunt, & dum Medicus nimiùm ęgris cõdeſcendens exorbitat; vim patiatur humana conſtitutio, & temperamenti conſonantiæ mutentur. Sanè neceſſarii Telluri ſunt errores Syderum [nam à cœleſti motu creduntur pendere Sublunaria] & etiam neceſſarii ſunt Cœlo humorum humanorum errores, [nam virtus in infirmitate perficitur; & mors à morbo nata illud ditat, regionem hanc Animabus expolians] ideòq; dati ſunt & Angeli & Medici: illi qui nos in moralibus inſtruant; iſti, qui, ſi eruditi, nos juvent, ut diutiùs ſerviamus DEO & Eccleſiæ; qui ſi indocti, non juvant, ut citiùs tranſeamus ad Angelos. Scio dari primæ tonſuræ multos; Scio & alios ob doctrinæ eminentiam ad majores Ordines & Hierarchias promotos; ſed de illis, cùm laudo Medicinam, non ago; nec de iſtis, cùm errores incriminor; omnia enim intelligenda ſunt appoſitè, maximè cùm dari Medicinam ſanam, Inſanamque experiamur. Prioris enim virtute recurantur ægroti, & poſterioris violentiâ eò ſani tolluntur, ut nequeant à ſana recurari.

177. Hanc penitiùs conſidero, & ſtatuo erraviſſe Ariſtotelem, cùm cenſuit Medicum eſſe Muſicum accidentarium; quoniam Medicina me Iudice ſpecies eſt Muſicæ naturalis: Diſſonantia enim reperitur in morbo, ſæpè & in pharmacis, quibus quandoque armatus ille torquet graviùs. Conſonantiam præſeferunt antidota, aromata, & ſpecies; ſi indicta medicè non niſi modicè ſumantur. Æquiſonantiamque (voces excludens) inter metalla lapides, & herbas obſervo. Tactum, menſuramque metitur Pulſus; varia intervalla varius, qui & ſuas patitur intercadẽtias ne Pauſas neſcire dicatur. Eſt Naturalis, Durus, Mollis; inæqualis, æqualis; tardus, velox; & per fuſas progrediens; feſtinus, aut præceps veriùs, non tam agitat, quàm agit Animam.

178. Hæc à multis Veteribus Angelus credita, à nobis ſimillima Angelo; unde laudandus erit Nomenclator antiquus, qui Medicorum Principis nomen, duxit ab Angelo; quoniam GALENVS & ANGELVS ſunt eadem vox; tota enim differentia eſt anagrãmatica, & dependens ab ordine. An-ne ideò Galenus nomen obtinuit Angeli, nec tamen litterarum ordinem & connexionem, ut doceamur, nihil omninò præter ordinem & connexionem deficere vulgaribus noſtris Galenis, ut ſint Angeli? Laboro, doleo, affligor; & quidem natura dives eſt, & abundans remediis. Sed cur non recuror & reſtituor? ſanè qui me ſaluti redderet, eſſet mihi Angelus ſalutaris. Adeſt Medicus; & mihi ipſe Galenus eſt, at Angelus non ſemper eſt; non enim caret litteris, ſed habet notitias aliquando tranſpoſitas, & dum quid pro quo, ut dicitur, jubeor recipere, mea ſalus corrumpitur pharmacorum & ſpecierum anagrammate; quod reſolvetur, cùm ſingulæ litteræ obtineant propriam ſedem, cùm ſingulæ ſpecies proprio morbo applicentur.

179. Nec hoc ſpeciale Medicinæ eſt & Muſicæ; nam aliæ etiam Artes & Scientiæ à doctis & indoctis tractantur; & ſicut promoventur ab illis, ita corrumpuntur ab aliis. Quid Theologiâ diviniùs? Quid Iure ſanctiùs? At Iulianus Apoſtata, ut alios omittam infideles, Theologiam & Iuſtitiam profeſſus, illam

Digitized by Google

illam fabulis, iſtam iniquitate perturbavit. Quò major, eò pejor & pernicioſior fuit. Aliter errat Iuriſta, aliter Medicus, aliter conſcientiæ Conſultus. Primi errores hominem bonis exſpoliant; errores ſecundi valetudine aut vitâ; errores ultimi etiam cœlo. Ergo, ſiquidem laborant ſuis morbis Scientiæ Principes, Medicina eſt quærenda; quam miniſtrabit ſola Muſica. Pronuntiet Iudex ſententiam legi conſonam, & erunt fortunæ ſecuræ. Applicet Medicus pharmacum humori malignanti diſſonum, & ſalvabitur æger, nam contraria recurantur contrariis. Dictet Theologus doctrinam Voci Divinæ uniſonam, & hęreſes univerſæ ceſſabunt. Stet igitur omnia in pondere & menſurâ à DEO condita; ſtet ſingula, ut ſibi mutuò conſonent, proportionem convenientem requirere; Facultatemque illam, quæ Conſonantias rerum diſcutit, eſſe tranſcendentalem, & in medullis omnium Scientiarum reperiri.

Finio tandem, laudando Muſicam, ſine quâ ſubticet armonia: armoniam, ſine quâ omnes Scientiæ ignorantur. Finio invitando Cantores, ut & Muſicæ ſtudeant; multa enim naturę arcana in Arte difficillimâ latent. Et tandem finio tuas commendando vigilias, celebrando labores, quibus promoves facultatem dulciſſimam, quam doleo contemptam ab aliis. Vivas, Valeas; Proficias, Proſis; & poſtquam longo tempore in Mundo legi Divinæ conſonueris, melodiâ empyreâ ſine fine fruaris.

LOGICA.

180 SApientioris eſſe regere, inſipientioris obedire cum Ariſtotele affirmant univerſi Philoſophi; ergo inter Rationales ille eſt Princeps; qui magis Rationalis eſt. Tenebitur igitur noſter Rex mentem colere, rationemq; ſcientiis diverſis exornare, quarum prima erit Logica, directrix operationum rationalium. Anne à Dialectica? an-ne à Rhetoricâ Logica differt? Doctiorum ſententiâ parum, nihil-ve; tota enim differentia non videtur ſubſtantiam rei concernere, ſed efficaciam & ornatum. Nominatur Dialectica illa methodus argumentandi, quæ probabiles poſitiones aſſumit; Rhetorica illa, quæ eaſdem multo eloquio colorat: Logica, quæ breviter rem explicat, & definiendo, dividendo, componendo, inferendo, verum demonſtrare conatur. Multa ſunt definienda in Republicâ, eſt enim pernitioſa obſervandorum præceptorum obſcuritas: ſunt dividendi, qui in publicum malum conſpirant: & componendi animi, qui diſſentiunt; & prævidendæ vitandæq; conſequentiæ nocivæ, quæ vel ex obſcuritate Legum, vel ex conjuratione ſecretâ, vel ex diſſenſu publico ſubnaſci poſſunt: quæ omnia non præſtabit Monarcha, ſi careat politicâ Logicâ: noſter igitur illam compendioſè doceatur.

ORATIO VIII.

De vera Rei Politicæ Logica.

THEMA. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud DEUM; & DEUS erat Verbum.* Ioann. 1. ℣. 1.

L*Ogica undè dicta? De Logo ſeu Verbo Divino; de reliquis Trinitatis perſonis.* 181. *Tres eſſe mentis operationes etiam in Logicâ iſtâ myſticâ.* 182. *Tres CHRISTI operationes ſeu Cruces. De primâ Verbi Divini operatione. Non fuit aſſumptus Angelus, ſed Homo; MARIA Crux.*

Digitized by Google

Moriendi præceptum. Patiendi deſiderium. 183. *CHRISTO volenti pati & militare ab Angelis dicitur gloria & pax; ſed appellat; quo modo? ad quem?* 184. *Infantes conſcripti. Reges ſurdi. MARIA aſylum.* 185. *Honos onus. Specialia noſtri Regis ſtudia.* 186. 187. *De ſecundâ Verbi Divini operatione. Crux fugat Dæmones invenitur in CHRISTO, & hic in ipsâ. In cruce CHRISTVS judicat, regnat, triumphatque.* 188. 189. *De tertiâ Verbi Divini operatione. Sacerdos crux. Miſſa ritus expoſitus.* 190. *Dignè celebratur, indignè celebrans. Sanguis oceanus.* 191. *de albati ſanguine. Summa Charitas.* 192. *Sacramentales conſequentiæ. Pſalmus propheticus & ſâcramentalis.* 193. *Baptiſmus.* 194. *Confirmatio.* 195. *Pænitentia. Euchariſtia.* 196. *Matrimonium.* 197. *Ordo.* 198. *Extrema-unctio.* 201. *Claves Eccleſiæ.* 200. *Aries gratiæ ſymbolum.* 193. *Cedrus. Libanus.* 195. *Vnicornis à Virgine capitur.* 196. *Modus capiendi cervos in Floridâ. Capreæ reſpirant aure.* 199.

DOMINE. &c.

181 Docuerunt Ethnici Logicam terrenam & Humanam à *Logo*, ſeu Hominum *ratione* [fortè, *ſermone*] dictam; Ego cœleſtem & divinam, ortam quidem à *Logo*, non à quolibet, ſed ab illo, quem Ioannes Hiſtoriographus Evangelicus contemplabatur, cùm cœpit Chriſtianos Annales ſcribere. *In principio erat Logos*, ait, *& Logos erat apud DEVM, & DEVS erat Logos; omnia per ipſum*[*Logon*]*facta ſunt*, *& ſine ipſo*[*Logo*] *factum eſt nihil.* Eſt igitur *Logos*, quem meditatur noſtra *Logica*, DEVS, ſecunda Trinitatis Perſona, Patris Verbum, Patris Filius, conſubſtantialis Genitori, qui fuit ab æterno DEI Patris *Logos* Verbum-ve; qui nec fuit ante Spiritum Sanctum, nec poſt Patrem, ſed apud DEVM, hoc eſt, ſimul; & ideò utriq; coæternus. Ergo Chriſtiana hæc Logica erit rationalis quædam & Politica conſideratio CHRISTI, Verbi divini *Logon* æterni. Operationes mentis dirigit communis Logica; illas hæc ſpeciales diriget, ſed circa nobilius objectum. Et quidem à Priſcis ſolùm tres deſignantur, Apprehenſio, Iudicium, & Diſcurſus; & inquiram, an-ne in Divinâ Logicâ poſſim ternas alias oſtendere, ad illaſq; teneras novi Regis operationes efformare.

182. Tres Ego in divino Verbo operationes reperio, hoc eſt, tres Cruces; quas poſſumus vocare Apprehenſionem, Iudicium, & Diſcurſum. Cruces cum operationibus Verbi confundam, quia totus ille Crucifixus, mente & animo in Cruce ſemper fuit, & qui non tollit crucem ſuam & ipſum ſequitur, non eſt eo dignus. Prima Crux CHRISTI MARIA fuit; ſecunda lignum illud, in quo regnaturus à Prophetâ prædicitur: tertia eſt ipſe Sacerdos. In primâ DEVS apprehendit, in ſecundâ judicat; in tertiâ diſputat. Singulas illuſtremus.

De primâ Verbi Divini Operatione.

183 APprehenſio, omnium intellectualium operationum prima eſt, illamq; Verbo Æterno nullo negare modo potero, cùm legam; *Angelum non apprehendit*, *ſed ſemen Abrahæ apprehendit*. Et hunc in ventre puriſſimæ Virginis MARIÆ, quæ Crux CHRISTI Domini fuit. O quàm multa ille in ventre, ô quàm multa ille in ulnis, ô quàm dura ob oculos ſanctiſſimæ Matris fuit paſſus! In hac Cruce ſæpè DEO oblatus; & ſi unum infinitum eſſe majus altero poſſet etiam hac hoſtia gratior æterno Patri fuiſſet, ratione puriſſimæ hujus Crucis.

In primo ſuæ Conceptionis inſtanti divinitùs impoſitum in Cruce moriendi præceptum CHRISTVS animo demiſſiſſimo acceptat; oblatus eſt enim, quia ipſe voluit; non quia debuit, imperio ſuperiore coactus. Aut fallor, aut coadjutore D. Anſelmo poterimus contemplationis aure Verbi DEI tacita verba ſubaudire. [Ecce adſum, CHRISTVS ait, ecce venio, ut fiat voluntas tua (DEVS meus volui) in medio cordis mei. Factus ſum obediens uſq; ad mortem, mortem autem Crucis. Sed quando hanc amplexurus, & illam ſubiturus ſum? poſt triginta tres annos (Crucior remoris, quia delitiæ meæ pati pro filiis hominum, Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt.) Tu Cœlum rumpe moras. Tu Tempus velociùs labere, ut Crucis amplexu citiùs fruar. Tu Sol, ſolite obedire

DEI

Digitized by Google

DEI Hominibus,cur Homini DEO non obedis? feſtina, propera;amore langueo, moriendi deſiderio crucior; Crucis abſentia mihi eſt crux, & erit præſentia ſolamen. Et Tu, Pater æterne,reſpice de cœlo, & vide amorem,quo flagro,deſiderium quo crucior.Non pati amara pro Homine, calix mihi amaritudinis eſt ſummæ;ergo,ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte; non tamen fiat ut Ego volo, ſed ut Tu.] Interim dum ſe non pati CHRISTVS patitur,& ſe non perferre dolores dolet,tempus elabitur,hora advenit, *& procedit è thalamo ſuo*(hoc eſt,partheniâ Cruce) *pudoris aulâ regiâ, geminæ Gygas ſubſtantiæ*(DEVS, Homo) *alacris ut currat viam*:alacris,quia Cruci propior:ut currat,quia illam CHRISTVS ſubire volebat feſtinus.

184. Naſcitur, ut patiatur CHRISTVS; & Angelici cunei incipiunt accinere, *Gloriam in altiſſimis DEO, & in terrâ pacem hominibus bonæ voluntatis.*Læta fuit illa dies terreſtrium & cœleſtium ſententiâ, ipsâ autem ſe gravatum conqueritur,etiam amiſſis lachrymis,Divinus Puer, & ab Angelorum & Hominum judicio appellat. Sed quem? Cæſarem,ut erat facturus Apoſtolus? Minimè. Sed ſuam Crucem: MARIAM ſcilicet, in cujus puriſſimo ventre mortis fuerat ferventi deſiderio cruciatus. *Appellabo*, ait [verba ſunt Epiphanii ſerm. de laud. Virg. Mart.] *Te Thronum, Te Cœlum,Te Crucē; expanſis enim ulnis DEVM geſtabat.* Vel clariùs. Gloria dicitur mihi pati & mori volenti? Appello. Pax dicitur hominibus,cùm volo militem conſcribere, ducere aciem, & confligere cum Mundo? Appello. Sed quem? MARIAM. Si hæc cauſa in altiſſimis apud DEVM revidenda dicatur, ipſa eſt cœlum, & gratiam invenit apud DEVM. Si in terris revidenda ſit, ipſa eſt thronus, & in throno eſt ſententia ferenda.Gloriam efferunt, Crucem appello; mihi enim Crux mortalis eſt gloriæ; & gloria mundialis eſt cruci. At Crux diſtat, nec ante annos triginta tres ſubiri poterit.Quid inde? Aliam appello Crucem; nempe MARIAM Virginem, quæ expanſis ulnis me tenebit in Templo, ut in circumciſione incipiam paſſionis ſanguinolentæ tyrocinia,Appello eamdem Crucem,à cujus dependebo brachiis, cùm Reges Tharſis & Inſulæ munera offerent, Reges Arabum & Sabæ dona adducent: cùm miniſtrabunt mihi, *Aurum*, *Thus*, *Myrrham*, *Regique*, *DEOQ; Hominique.*

185. Ecce novæ militiæ Princeps conſcribit ſtipendiarios Reges,& ut mira ſint omnia, tres ſub uno Signifero. Ecce Regibus, Ducibus orthodoxæ militiæ,Cœlum ſervit à ſigno; Æther vexilli loco Sydus præferens, novas acies conducit. Pedites (*Infantes* nomine militari)præmittit DEVS, & numeroſo exercitu mundum poſſeſſum à Dœmone invadit. Iſte recenſet ſuos, illiſque Herodem præficit. *Audit Tyrannus*(*anxius* quidem;nam in tyrannide nulla poteſt eſſe tranquillitas, quidquid delirent paraſiti) Et me judice Herodem Regem fuiſſe, nec tamen ſurdum, mirum fuit: nam multi Reges hodie cum ipſis conſilium ſalutare proponitur,ſurdi ſunt. Qui pauciora audit, plura audet; adeoque illi carere auribus ſponte volunt,ne præcipitatione audaci careāt.Sed quid audit Herodes? *Adeſſe Regum Principem*, *Qui nomen Iſraël regat*, *Teneatq; David Regiam.* Et iſtis auditis quid ait? *Exclamat amens nuncio*; *Succeſſor inſtat*: *Pellimur. Satelles i: ferrum rape. Perfunde cunas ſanguine*. Exclamat amens,quia exclamat amans; amat nimis terrena ille; & hic amor mera dementia eſt. Sed rebus diſcuſſis accuratiùs, *Quid proficit tantum nefas? Quid crimen Herodem juvat? Vnus inter tot funera Impunè CHRISTVS tollitur.* Erat iſte in MARIAE, dulciſſimè ſuæ Crucis,brachiis,adeòq; in aſylo;eò enim Dœmonis juriſdictio,& peccati poteſtas pervenire non poterat. Occîdit in ſingulis pueris Herodes unum CHRISTVM, ſingulos enim tollebat de medio, ne CHRISTVM in medio relinqueret, CHRISTVS brachiis Matris protectus patitur, fugientis mortis moras, doletque in tenerâ illâ etiam ætate, quod mori velit, ſed mori non poſſit: ſemper tamen,ſeu moriens,ſeu vivens, paternæ voluntati conformis.

186. Hęc fuit, PRINCEPS CATHOLICISSIME, prima Operatio noſtræ Logicæ,prima Crux CHRISTI.Evades in Virum doctiſſimum,ſi tollas etiam Crucem tuam, & ſequaris à Cruce pendentem Redemptorem. Ab anno Bohemicâ coronâ redimitus, jam ab Hungaris decuplâ Laureâ coronaris; omnes vovent poſt in augurationem Angelicam. Cuſtodi Angelo ſuo,Regi ſuo,Protectori ſuo, gloriam olim poſt ſera tempora habendam

in altiſſimo Empyreo; & celebrant in terrâ pacem cum hominibus bonæ voluntatis. Addet majora DEVS; ſic ſperamus. Sed quid dicis? Satis eſt Domine, ſatis eſt? Si hoc, prudenter omninò, & Xaverii Apoſtoli nobiliſſimi exemplo. At ſubaudio Tibi arriſiſſe Epiphanii eloquentiam, & ad ejuſdem mentem labiumque has à Te paucas, ſed pulchras periodos proferri.

187. Glorias, lauros, coronas ſententiâ publicâ meo tenero capiti offerunt? Appello, appello. Sed quem? Non Cæſarem, non Senatum, non Populum. Omnia Cæſaris Parentis mei ſunt facta aſſenſu juſſuque; omnia omnium Senatorum ſuffragio; omnia Populi applauſu: & quia conſtantes ſunt ſinguli, ſententiam ab ipſis revocandam deſpero. Sed Conſtantiæ (Cypro adjacentis Inſulæ) Pontifex fuit Epiphanius; quis ergo illum conſtantiſſimum neget? Ille me manuducit, & ductu ſuo conſtantiſſimum reddit. Semel dixi, reſolutioni conſto; appello, appello. Quam perſonam? MARIAM: nempe, Cœlum, Thronum: & Crucem. Nunquam naſcitur à Leone Lepus timidus, nunquam Talpa cęcus ab Aquilâ; & Ego quia ab Aquilis Romanis, & Leonibus Hiſpanis ortus, nec oculis, nec animis careo. Video illis Eccleſiam Catholicam peſſumdari in Germaniâ, excitor & urgeor iſtis ut pro illâ meum effundam ſanguinem. Video Thronum inter Cœlum & Crucem, inter Gloriam Doloreſque, & quia medium ſapit extremorum naturam; video hodie Mihi à Populis glorioſos dolores, & glorias doloroſas offerri. Sic puto. Quod ſi tantùm glorias, delitias, commoditates, & recreationes cum coronâ offerãtur, appello. Prima mentis Operatio eſt Apprehenſio, & hodie gaudia & curæ, commmoditates & labores, palmæ & cruces generosè offeruntur; ut gaudia, commoditates & palmę meum amantiſſimum Populum maneant; Ego curas, labores, & cruces animosè apprehendo; recuraturus ſum infirmos & debiles ſubditos; ut tota regio in fidei materiâ ſit labiis unius & ſermonum eorumdem allaboraturus, Crucis triumphalem laborem confidenter extendo. Sed impedior, nec exſequi permittor quæ volo: ſed appello. Quis mihi impedimento, ne ſtatim conſcribam, & Agarenos infideles invadam? Ætas tenera. Me ergo damnarunt cruce, qui cydari ornare putarunt. Vel dicatur, quænam crux amarior eſſe poteſt, quam pro Eccleſiâ velle pati, nec poſſe? Rumpite moras vos Cœli fornices; præcipitate curſum dies; creſcant anni, ut in adoleſcente ætate præſtem, quæ in tenerâ cogito & ambio. Et ſiquidem Solis motus tardus eſt, & interim deſideriis crucior, Tibi, Virgo Puriſſima, Me appendo. Vlnis Tuę partheniæ Crucis inſtar, puerum DEVM ſuſtentaſti; ſuſcipe igitur, Me puerum Tuum, recordata miſericordiæ Tuæ. Si contra teneras reſolutiones meas Infidelium potentia procelleſcat, Te amplexor vivam Crucem, ad Te appello ſecuriſſimum Portum; & ſi controverſiæ aboriantur, Te Iudicem illibatam appello.

De ſecundâ Verbi Divini Operatione.

188 SIc meus Rex FERDINANDVS: quem ego, quem omnes libentiſſimè audivimus. Doctus optimè apprehendere, Crucem cogitat, Crucem loquitur, Crucem apprehendit; animoſq; contra inimicos Crucis præparat. Ad ſecundam Divinæ Logicæ operationem tranſit, & Crucem ſecundam incurrit.

CHRISTO triumphum adepto Crux ipſa vices Coronæ ſubiit, undè dicitur, *Dominus regnavit à ligno*. & alibi. *Imperium ejus ſuper humerum ejus.* Vndè in Hymno. *Flecte ramos arbor alta, Tenſa laxa viſcera. Et rigor lenteſcat ille, quem dedit nativitas, Vt ſuperni membra Regis miti tendas ſtipite.*

Athanaſius in Serm. Pentec. *Statim*, ait, *ut Crux in terrâ defixa fuit, & ecce idolorum cultus ſtatim dilapſus.* Incipias igitur, OPTIME PRINCEPS, regnare à ligno; ſi hanc in cordis tui meditullio defigas, omnia idola aliarum paſſionum labentur. Crux & CHRISTVS individui ſunt ſocii. Vis invenire Crucem? adi CHRISTVM: vis invenire CHRISTVM, adi Crucem. CHRISTO ait Drogus Hoſtienſis ſerm. Sacr. Dom. *Circuire poſſum Domine cœlum & terram, mare & aridam; at nuſquam Te inveniam, niſi tantùm in Cruce. Ibi dormis, ibi paſcis, ibi cubas in meridie.* Tibi Ego. Vt ſis ſanctus tranſalpinare & peregrinari neceſſarium non eſt; vagus enim, nationum aliarum vitia addiſcit, & propriæ virtutes non edocet. Circumeundo terram non adquiritur cœlum

nec

Digitized by Google

nec excurrendo per aridam invenitur CHRISTVS, gratiarum divinarum Oceanus. Scias Bernardum ad menſam ut ad crucem, & iviſſe ad crucem ut ad menſam. Eſto tibi crux thalamus, eſto reclinatorium, eſto thronus. Et ſi hoc facias, invenies DEVM apud crucem, & gratiam multam apud DEVM.

189. Secunda Verbi Divini operatio in Cruce fuit; in illâ peccatores redemit, in illâ hoſtes generis humani ſuperavit. Et ne hæc operatio non vocetur IVDICIVM, hoc ſignum Crucis erit in cœlo cùm dominus ad judicandum venerit. At tunc in regeneratione [Matth. 19. d. 27.] cùm ſederit filius hominis in ſede Majeſtatis ſuæ, nos qui tollentes cruces noſtras ſequuti eum ſumus, ſedebimus ſuper ſedes duodecim judicantes duodecim tribus Iſraël, quia ut exponit Hieronymus [libr. 3. in Matth. cap. 19.] nobis credentibus illi credere noluerunt.

Hæc de æterno judicio, cujus humana umbrę ſunt meræ: & quia illud ſub crucis labaro fit, etiam iſta ſunt cruces. Vel dicito; ſi Rex eſt pater ſingulorum, ſi nullum non amat, ſi univerſos intenſiſſimè diligit, quî poterit reũ ſubditum ultimâ ſententiâ condemnare? Annon cruciabitur, & quò ſe vertat neſciet, hinc ab amore, & illinc à juſtitiâ tractus? Filium judicare & damnare dura crux eſt; & tamen iſtâ cruce inauguratio Reges damnat.

De tertiâ Verbi divini operatione.

190 EX Cruce ad Crucem tranſit CHRISTVS, & qui brachiis olim Virginis pependerat, & poſtea à Crucis ramis, jam quotidie manibus Sacerdotalibus tenetur, & tanquam in Cruce incruentâ immolatur; quod confirmat gravium Eccleſiarum ritus, qui poſt elevationem Sacerdotes ad Crucis formam expandere manus præcipiunt.

Porrò, qui indignè celebrat, quantum in ſe eſt, CHRISTVM ſecundò crucifigit, & judicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. O Auditores Chriſtiani; indignè aſcendere menſam ſacramentalem magnæ conſequentiæ res eſt; ex illo enim judicio antecedente infertur æternæ damnationis concluſio.

Qui dignè celebrat cum CHRISTO iterum, Carni, Dœmoni, & Mundo crucifigitur; & hæc paſſio conſequentias infert plurimas fœliciſſimaſque; Animus enim unitur DEO, præparatur empyreo, & incipit gloriam Divinam prælibare.

191. Et illi etiam eſt ſimilis, qui communicat dignè (clericus, ſæcularis) moritur enim Mundo, ut totus obſervetur in DEO. Nam Sanguis CHRISTI, Oceanus pretioſiſſimus eſt; in quo ſtolæ (Animæ) peccatorum dealbantur; Homines enim gloriâ cœleſti prædìti aſſeruntur à Ioanne eſſe, *qui venerunt ex magnâ tribulatione, laverunt ſtolas ſuas, & candidas eas fecerunt in ſanguine Agni.*

192. Igitur, SERENISSIME REX, ſic per Logicæ Divinæ Regulas diſcurre; ſupponeque omnia ſanguine dealbari poſſe. Plurimum coram DEO meretur miles, qui hoſtes Catholicæ Religionis proſternit; plurimum, qui Fidem defendendo ſuccumbit: ſive enim occîdat ſive óccidat, ſi aliunde nihil abſit, donabitur coronâ empyrea. Stemma Auſtriacum tibi ob oculos ponit candorem purpuramque; ut ſcias amicitiæ candorem conſiſtere in profuſione ſanguinis, quoniam majorem charitatem nemo habet, quam ut Animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis; ut ſcias etiã valorem ſanguinis, in mentis puritate & candore, in cauſæ æquitate, & juſtitiâ conſiſtere: differt enim conſtantia à pertinaciâ; & fuiſſe nonnullos vitæ prodigos, & cum pertinaciâ poſuiſſe animas, ab annis jam multis didicimus.

Sacramentales Conſequentiæ.

193 VOlebam hîc ponere calamum; ſed quia tabo ſum madibus, dealbari volo. Tractabo adhuc de ſanguine, & quia tertiam mentis operationem orno, à divino ſeptem ego ſacramentales conſequentias diducam. Illas expoſuit David Pſalm. XXVIII. quem ſic intelligo.

Afferte Domino filii DEI, afferte Domino filios Arietum. Vos inquam Filii DEI invito, ne inviti veniatis, ad DEVM. Zodiaci initium Aries eſt, adeòque gratiæ ſymbolum, ipſa enim omnis cœleſtis meriti eſt principium. Omnes vivæ Virtutes gratię ſunt ſoboles, & omnes formati habitus charitatis ſunt proles. Afferte igitur, offerte, appendite virtutum actus, cogitationes, verba. Sed cui? Domi-

mino, Redemptori noſtro, LOGO noſtro; à quo noſtra denominatur LOGICA, cujus ſanguinis virtute nos cęlum apprehendimus, & ab ipſo thalamis gloriæ recumbentes incredulas tribus judicamus. Edocti præjudicio cœleſti per ſublimia & divina diſcurrimus, & in terris Sacramentalis ordinis efficaciam & eminentiam admiramur. Igitur univerſi Mortales, potentiſſimo Sacramentorum Inſtitutori, *Afferte gloriam*, date *honorem*; gloriam Numini, *gloriam Nomini ejus*; *adorate Dominum in atrio ſancto ejus.*

194. ☞ Gloriam Domino, quia Baptiſmatis Sacramentum inſtituit; jam enim *vox Domini* (Verbum Domini) *ſuper aquas*, *DEVS Majeſtatis intonuit*; *Dominus ſuper aquas multas.* Et quidem, ſi rem bene expendamus, Verbum Domini eſt CHRISTVS, qui hoc fundamentale Sacramentum conceſſit. Nomine Domini illa verba practica pronuntiantur, & conſonant CHRISTI baptiſmo. Cùm CHRISTVS à Ioanne baptizatus fuit, Matth. 3. ℣. 16. *aperti ſunt cœli, & vidit Spiritum DEI deſcendentem ſicut columbam & venientem ſuper ſe, & ecce vox de Cœlo dicens*, *Hic eſt filius meus dilectus*, *in quo mihi complacui*: & cùm ſinguli infantes baptizantur, oculis Fidei videmus cœlos, omni non baptizato clauſos, aperiri; DEI ſpiritum (gratiam & charitatem viſibili ſigno inviſibiliter communicari, & intonare ſuper has aquas potentiſſimas Dominum, Hic, qui paulò antè erat Dœmonis ſervus, jam eſt filius meus adoptivus, in quo mihi complaceo.

195. ☞ Gloriam Domino, quia ſanxit Cõfirmationis Sacramentum, ut baptizatum roboraret & magnificaret. Omnia conſtant rebus & verbis Sacramenta, materialiter rebus, verbis formaliter: atq; adeò hoc Confirmationis ſupernaturale Myſterium formaliter conſideratum, eſt *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentiâ*; hoc eſt; Vox, CHRISTI prolata nomine & inſtituto, conferens animo virtutem, robur, magnificentiamque.

Gloriam Domino, quia tulit potentiſſimas Pœnitentiæ ſacramentalis leges, ad quas abſolutio à legitimo Miniſtro prolata eſt *vox Domini* (abſolvere enim à peccatis non impotentis Hominis, ſed DEI omnipotentis eſt.) Eſt inquam, *vox Domini confringentis cedros*, atterentis pectora, conterentis præcordia. Et quidem meritò Cor peccatoris Cedrus dicitur, hæc enim arbos altiſſima eſt, ſed ſenſu caret; & peccator quò magis elatus, minùs rationalis eſſet, nova peccata antiquis miſeriis non adderet; & ſi eſſet ſenſibilis, Conſcientiæ vermis morſum proculdubio perciperet, & à DEO vocatus reſponderet. *Cedrus* exponitur macula, nigredo, triſtitia; *Libanus* Candor; & indè oritur radius ſecundus eidem carmini. Davidem ſic loquentem ſubaudio. Sacerdotalis abſolutio vox Domini eſt, & quæ de attrito contritum mirabiliter faciat. Eſt vox cõfringentis, conterentis, ad pulverem reducentis, & in nihilum convertentis *cedros*, hoc eſt, maculas, ſordes, culpas graves, vel leves etiã, aut ſeorſim, aut apud graves poſitas confringet, conteret auferet Dominus, qui cedros Libani, qui candoris maculas, & animi ſancti imperfectiones aufert.

196. ☞ Gloriam Domino, qui honoravit & nobilitavit Hominum hierarchias venerabili Euchariſtiæ Sacramento; *& comminuit eas* decircinando exceſſus, juſſitque ſe conſecrari in altari *tanquam vitulum libani*, hoc eſt, tanquam vitulum candidum, tanquam agnum omni carentem culpâ, & mundi peccata auferentem. Aperi Anima oculos; ſi non videas corporeis quæ propono, aperi intellectuales, quoniam præſtat Fides ſupplementum ſenſuum defectui. Quęris CHRISTVM? ſub ſignis ſenſibilibus latet *dilectus*, *quemadmodum filius unicornium*; nam monoceros captus candoris pretio, in virginis gremio requieſcit. Et CHRISTVS caſtas & puras amat animas, nec dignatur remanere in adulteræ pectore, quæ gliſcit componere lucem & tenebras, DEVM & Belial, gratiam & culpam, puritatem & maculas.

197. ☞ Gloriam Domino, qui Matrimonii Sacramentum inſtituit, qui ſuâ nuptias cohoneſtavit præſentiâ, qui dixit per Apoſtolum; *Meliùs eſſe nubere quàm uri*. Hoc enim ſalubre Sacramentum, eſt *vox Domini intercidentis flammas ignis* concupiſcentiæ, & æſtus ferventis ſanguinis ad regulas & leges reducentis. Ante hujus Myſterii inſtitutionem homo erat, ut paſſer ſolitarius in tecto, & tamen quia non erat bonum eſſe hominem ſolum, congruum fuit, ut illi fieret comes ſimilis ſibi. Si nulla eſſent connubia, domus quælibet eſſet Eremus, & viderentur homines

Digitized by Google

nes congregari per accidens, non per ſe. At vinculo nuptiali interpoſito, dicit Cœlum, *Quos DEVS conjunxit, homo non ſeparet*. Et Terra ait, *Hæc eſt vox Domini concutientis deſertum*, auferentis eremum, tollentis ſolitudinem; inducentis conſortia idonea, ſocietates legitimas; hac enim via *commovebit Dominus deſertum Cades*. Sed quid eſt hoc deſertum Cades, quod immutaturus eſt Dominus? Reſpondebit mera nominum interpretatio, *Cadès* apud Hebræos eſt ſanctitas, & quidem tāta eſt generis humani fragilitas, ut Sanctitatis regio eſſet inanis & vacua, hoc eſt, deſerta à plurimis, ſi nuptias non poſſent contrahere. Inſtituendo igitur Dominus Matrimonii myſterium, Sanctitatis eremos, Puritatis deſerta caſtis conjugiis populavit.

Gloriam Domino, qui inſtituit Regale Sacerdotium, gentem ſanctam, populum acquiſitionis. Sed cur Pſalmographus hoc exponit Sacramentum his verbis, *Vox Domini præparantis cervos, & revelabit condenſa, & in templo ejus omnes dicent gloriam?*

198. Multa poſſent acutè dici, unam aut alteram expoſitionem afferam.

Dico igitur primò, fuiſſe in uſu apud veteres, quòd & hodie Floridenſes obſervant, ut venaturus cervos, ſibi figuram cervi coaptaret præpararetque. Formant illi vacuas cervorum ſtatuas, & introducti cervos fugitivos accedunt: hi ſpecie cervinâ decepti exſpectant, & inexſpectato jaculo transfodiuntur; alii fœnum opponunt laqueos ſubtegunt, ut dum incauta animans convivium reperiſſe ſe putet, laqueum incidat, & veniat ad manus venatoris. Sic CHRISTVS, fortis venator coram Domino, *præparavi cervos*, hoc eſt, omnia diſpoſuit ad ſimilitudinem venantium cervos. Viderat Gen. 3. *quòd cùm audiſſet vocem Domini DEI deambulantis in paradiſo ad auram poſt meridiem, abſcondit ſe Adam & uxor ejus à facie Domini DEI in medio ligni paradiſi.* Quid DEVS faceret, ut hominem fugientem revocaret, lignum jaculo ſui amoris confoderet, & igne divino ſuccenderet? Aſſumpſit carnem humanam, & habitu eſt inventus ut homo. Ecce homo, qui tanquam cervus timidus venerat, CHRISTVM verum hominem libenter accedet. Quod ſi nec ſic accedat? Velabit, revelabit condenſa. Sicut ſub fœno latitat, qui cervos quærit: ſic ſub ſpeciebus panis & vini latitabit, ut capiat venientes ad convivium. Vt ſemel ceperit, *revelabit condenſa*, ut qui inter coronę ſpinas, crucium frequentiſſimas arbores ſuſpiciebatur, jam poſſit in beneficiis ſuis facie revelatâ videri; ut in templo ejus (animum gratiâ præparatum intelligo) ſibi qui eſt Sacerdos in ęternum ſecundum ordinem Melchiſedech, mens, voluntas, memoria, ſenſus potentia, & ut verbo comprehendam ſingula, omnes affectus & actus humani dicant gloriam.

Dico ſecundò tres diverſos Ordinum gradus ternâ voluiſſe Davidem circumſtantiâ illuſtrare. Hypodiaconi enim eſt pręparare cervos, Diaconi revelare condenſa, & Sacerdotū omnium, quia virtualiter CHRISTVM reproducunt, latenti DEO ſpecialiter dicere gloriam.

199. Hypodiaconus præparat Cervos. Quid ſi legam *Servos?* Erit intelligentia pervia; habebitque veroſimilitudinem lectio, ſed deficiente Exemplorum manu ſcriptorum teſtimonio, nullam probabilitatem. Lego *Cervos*, & ſic diſcurro. Cervi caprearum ſylveſtrium genus ſunt, & hæ dicuntur auribus reſpirare. Subdiaconus igitur Auditores præparat ad Evangelium, & cantando Canonicam aliquam inſtitutionem, facit ut audiamus, non quidem aure mortuâ, ſed vivâ, & ut ſic loquar reſpirante.

Cùm reſpirare aure incipimus, cùm pia Affectio Animi auditum præparavit, tunc Diaconus incipit revelare condenſa; Concionator (Diaconi Miniſter is eſt) illuſtrare Evāgelium, obſcura exponere, ſecretā litteram dilucidare.

Et tandem Presbyter, Conſecrationis potentiſſimæ verbis ſiſtit ob oculos tectum ſacramentali velo DEVM, ut Altiſſimo, cujus deliciæ ſunt eſſe, cum filiis hominum, omnes dicant gloriam in templo.

200. Sic diſcurrit Propheta, & ne aliquid omiſiſſe videretur, prævidens CHRISTVM dicturum Petro, *Tibi dabo claves regni cælorum. Et quidquid ſolveris ſuper terram erit ſolutum & in cælis, & quidquid ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis.* Eccleſiaſticarum clavium vires metro ſequenti exponit. Tanta enim eſt Clavium Pontificiarum virtus, ut Excommunicatio faciat terram inviam, mutet quodammodò ingenium hominis, qui dicitur *Animal rationale, ſociabile, ſermocionale*, faciatque, ut æſtimetur à Catholicis ſicut equus

Digitized by Google

equus & mulus, quibus non eſt intellectus; ut ſi moriatur, ſepeliatur cum brutis, & ſi vivat amicorum conſortio & ſolamine careat; ut Abſolutio faciat cœlum pervium, & homines convertat in Angelos. Sub Eccleſię Apoſtolicæ imperio, continens homini proſcripto inhabitabilis, & habitabilis eſt oceanus protecto. *Dominus enim diluvium inhabitare facit;* & multiplicando miſſiones Chriſtianorum in Indias, dum ultra marinas regiones CHRISTO ſubigit, pinubus oceanum occupat, mariaq; in urbes populoſas convertit. Stemus igitur Eccleſiæ deſiderio, & in cordibus noſtris *ſedebit Dominus Rex in æternum.*

201. ☛Gloriam tandem Omnipotẽti Domino, Vnctionis extremæ Inſtitutori, qui Populo ſuo (unuſquiſq; apud DEVM eſt ut populus, & populus ut unuſquiſque: tantã enim curam & providentiam habet DEVS erga ſingulos, ut videatur unius tantum hominis habere curã: tãti æſtimat ſingulos, ut in quoquo videãtur univerſi eſſe poſiti) *Populo* igitur *ſuo*, populari ſuo, illi qui jam per gratiã eſt Cęlorũ civis & domeſticus DEI, ſi ęger ſit, *virtutem dabit*, ut allevietur æger, & ſi in peccatis ſit remittantur ei: tandemq; extremo ſacramento inuncto, *Dominus benedicet populo ſuo in pace.*

Hę ſunt Sacramentales Conſequentię, quę ab Apprehenſione & Iudicio Verbi divini, ſummâ Authoris potentiâ, ſummâ miſericordiâ deducuntur; nam Verbum æternum apprehendendo ſemen Abrahæ, factus fuit homo. Factus homo judicandi vivos & mortuos poteſtatem accepit, & has ſeptẽ Sacramentales conſequentias præmiſit, ut aſſumendo illas, poſſemus coronã ſupernaturalem inferre.

Tibi, REX SERENISSIME, terrenę multæ impoſitæ, videntur eſſe infallibilis ſyllogiſmi prę miſſæ, quę legitimum earumdem uſum ſubſumentes inferent coronam æternam. Vt igitur cœleſtem hanc olim indipiſcaris, hac temporaneâ fruere, majorem gloriam DEI, bonumque Regnorum *intende proſperè procede, & regna* fœlicibus annis. DIXI.

Pſalmo iſto XXVIII. *quem brevi commentario illuſtravi, Poëta Rex ſeptem Eccleſiæ Sacramenta prophetico penicillo depinxit, ſingula expoſui; conſequẽs eſt ut Oratio altera, quæ de Politicis Sacramentis diſſerit, adjungatur. Nõ perſonas, ſed vitia carpo; & ne aliquis ſe læſum ſomniet, Regem meũ ultra Athlantica maria, ad Regiones Platonicas Cõtionem auditurum conduco.*

ORATIO IX.

De Sacramentis Politicis.

BOna intentio. Reges ſuis Conſiliariis ſecuriſſimè fidunt. Regio Athlantica. 202. *Promoventur aliqui in fide Parentum.* 203. *Baptiſmus cum fictione ſuſceptus.* 204. *Nonnulli confirmantur in fide, foventur in gratiâ.* 205. *Supremum infimi non attinget infimum ſupremi.* 206. *Confeſſio politica. Pænitentia civilis.* 207. *Multum valet in Aula caro & ſanguis.* 208. *Milites promoventur per ordines.* 209. *Reges philoſophari debent, & Philoſophi debent regnare.* 210. *Etiam multi ob matrimonia promoventur. De politicâ Vnctione.* 211.

DOMINE. &c.

202 HEri, REX SERENISSIME, de Sacramẽtalibus Cõcluſionibus egi; hodie de Sacramẽtis militaribus acturus ſum; video enim aliquos ad gloriam politicam cum omnibus ſuis Sacramentis promotos. Sacramenta à CHRISTO Domino inſtituta, omnem naturam, omnem rationem ſuperant; & politica naturam omnem, rationem omnem. Quod Regum Regi CHRISTO ſummę eſt gloriæ, gloriæ non erit inferioribus Regibus; fortè nec ſemper culpæ; non enim coram DEO rerum eventus, ſed mera intentio, & libera voluntas judicatur; undè ſubortum fuit Axioma, *Quidquid agant homines, intentio judicat omnes*: & ſæpè

Re-

Digitized by Google

Reges bonâ intentione exorbitant, & ſæpè ſeducuntur ab aliis. Te ego, OPTIME FERDINANDE, liberiùs alloquuturos ſum, quia nondum in re politicâ peccaſti, & idcircò libentiùs peregrinorum Regum exorbitantias audies, ut proprias præcavere poſſis, Pono igitur eſſe novam Rempublicam; nomine Athlanticam, ultra Oceanum poſitam, quam alius Plato accuratè deſcribat, in quâ tot ſunt Sacramenta Politica, quot in noſtrâ Chriſtiana; quorum ſingula Machiavellus, Politicorum Antichriſtus, inſtituit, & conficiunt vitæ perditiſſimæ homines, tecti & occulti grandi Sacramenti vocabulo. Illius ergo ultramarinæ & ignotæ Regionis Sacramenta militaria proponam, ut cùm creverit ætas, tuis illa poſſis populis & provinciis vitare. Nemo igitur è noſtris cauſetur, quia neminem ſpeciatim reſpicio, cùm abuſum civilium habenarum inclamo. Quod ſi ſe ſentiat tactum aliquis (quod non exſpecto) ſuæ conſcientiæ ictum imputet, non meo labio. Summam ego in dicendo claritatem affecto, & quia definitio & diviſio ad rerum claritatem conducunt, definitionem & diviſionem explicandam præpono.

203. ☙Sacramentum eſt ſacrum ſignum. Signum eſt, quod præter ſpeciem, quam ingerit ſenſibus, nos facit in rei alterius devenire notitiam, Sacramenta ſunt ſeptem, *Baptiſmus*, *Confirmatio*, *Pœnitentia*, *Communio*, *Ordo*, *Matrimonium* & *Unctio*. Singula ſpecialiter dilucidemus.

Video Arnoldum Magni judicii virum, de totâ provinciâ benemeritum, multarum victoriarũ pugilem, magnis virtutibus ornatũ, nec tamen ad ſummas dignitates promotum, Heus Tu, Archon Athlantice, cur Virum negligis, qui poſſit publicæ rei ſervire, Monteſium promoves, quem nil feciſſe boni ſcis, nil utile facturum ſperas? Erras in primis Politicæ Facultatis principiis, præmiaq; & perſonas invertis. Sed non, quia Tu ad leges Athlanticas judicas, nec debes ad alias judicari. Rem video. Arnoldi pater multorum conturbavit animos ſuperbiâ ſuâ; & Arnoldus, tametſi vitiorum hæreditatem non adierit, futurus eſt velit aut nolit, paternorum inimicorum hæres. Ne dicat, *Similis ero Altiſſimo, ſedebo è lateribus Supremi Archontis, ſed ingeminet. In iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me Mater mea.* Ergo, tametſi æquus ſit, filius portabit iniquitatem Patris; & æquitatem tametſi ſceleſtus & iniquus. Rem non intelligo, video tamen Arnoldum Virum capaciſſimum regeri, Monteſium hominem nullius frugis adſumi; illi innoxio & innocenti Majorum crimina imputari, huic concedi liberam peccandi licentiam, ob Parentum & Avorum Virtutes. Erras, Archon Athlantice; & ſi legibus duceris, illæ ipſæ errant: filius æquus non portabit iniquitatem patris, nec pater nobilis portabit aut reget iniquitatem filii, pronuntiat Dominus Omnipotens.

204. ☙Ecce hîc in promotionibus ejuſmodi profanatur baptiſmus. Noſtri parvuli in myſtico novæ legis lavacro donantur gratiâ, promoventur ad ſupernaturales dignitates, ornantur Fide, Spe, & Charitate, & filii DEI & CHRISTI Domini fratres dicuntur; & hoc non propriis meritis, ſunt enim in peccato nati; ſed Parentum Fide, Sacramenti virtute, liberalitate Redemptoris. Et hæc omnia in Monteſio legari & profanari video. Si hominem noſco, ignavus & ignarus eſt; qui neſciat, qui nequeat, qui nolit ſervire Reipublicæ (nobilium hęc originalis culpa; quia dum nimiùm fidunt fumoſo ſtemmati, omnem virtutem & pietatem deſpiciunt) & tamen promovetur Parentum fide, Avorum meritis, & antiquis Atavorum virtutibus, ut in politico hoc miraculo Archontis dignoſcatur authoritas, & fidei alienæ poteſtas.

205. ☙Nobilitatem nõ contemno, at aliena merita præponi perſonalibus, patienter auditurus non ſum. Cùm pingi deſiderat Tabulam, nemo Apellem reiiciet, parentibus artis pictoriæ ignaris ſatum; nemo Accium, mancum & imperitum, quod ſit Xeuxis alius, vocabit, adeòq; non debebit, nobilia patraturus, filium Herculis quærere, ſi ſit Therſites.

Igitur ne à tuâ Athlanticâ Regione, Archon Maxime, hæc ſacramentalis umbra proſcribi jubeatur, corrigatur. Scias dari ſacramenta informia apud Chriſtianos, nam baptiſma cum fictione, cum peccato ſuſceptum, neminem in DEI gratiam inducit, quouſq; illa fictio tollatur. Ergo ad eamdem legem judicetur nobilitas, parentum fides. majorum virtus, atavorum fidelitas; ſi detur in filio fictio, culpa, peccatum, vitium, informes ſint

Digitized by Google

priſcæ Majorum qualitates; nec denominent illum, fidelem, ingenuum, aut nobilem, quouſq; fictione & propriâ malitiâ ſublatis, ceſſent denominandi impedimenta, incipiatq; avitâ virtute informari.

206 SEd Artemidorus homo timidus, genio indulgens, & qui centies hoſtem fugerit, nunquam fugaverit, cur exercitui numeroſo præficitur? An-non hoc eſt reliquos excipere colapho, & extremo periculo Regionem univerſam exponere? Non negat Archon; ſed Confirmationis Sacramentalis umbrâ, errorem hunc politicum protegit. Laborat, inquit, Artemidorus fide, videtur ambiguus & anceps, & ne contra nos ſit, debet honoribus vinciri, promotione firmari: quod ſi hæc promotio multos alios afferatur confundere, nil erit miri, cùm inter Confirmationis ritus, & cœrĕmonias audiuntur alapæ. At erras, Archon; nunquam enim ita creſcet leo, ut in hominem tranſeat: creſcat, creſcat; major & major ille leo erit, verumtamen homo non erit. Idem de infidelitate dictum puta: nunquam illa ita creſcere poterit, ut in Fidelitatem convertatur. Quò magis & magis honoribus Artemidorum proditorem & infidelem auges, augebis illius infidelitatem, non tamen unquam eam in ſecuritatem & fidelitatem convertes.

207 ET Acegoram, nudius tertius depoſitum, damnatum, & proſcriptum revocas? Si confeſſus crimen, dolorem ſincerum inſinuat, & propoſitum bene ſerviendi oſtendit, ſcito Archon in Politicis pœnitentiam periculoſam eſſe, eamq; ſæpè ſimulari ab hominibus, ut poſſim injurius ulciſci. Reconciliati amici in mundo peſſimi; ubi Acegoram crimina confitentem & veniam implorantem audis, ſubaudi ſimulationem meram, ſe enim injuriâ affectum credit, & quærit occaſionem vindictæ. Poſſem idipſum multis exemplis illuſtrare; at quia multa domeſtica recogitas, nulla peregrina ſubiicio.

208 VT hæc omnia poſſint excuſari, aut defendi, addam majora, quæ nemo colorare poſſit. Antenorius ad apicem ſummum evectus? Dunalbio & Placidio prælatus? quis id toleret? Homo ſceleſtus eſt; indignus aurâ quam haurit, terrâ quam prĕmit. Multi in crucibus devorantur ab avibus, ſanctio res illo. Quid dicis Archon? Quam DEO dabis rationem villicationis tuæ? Sed jam audio. Excuſationes texis, & rem totam ad civilem euchariſtiam reducis. In Sacramento Altaris caro & ſanguis ſub accidentibus panis & vini adorantur à populo, & ob eaſdem Antenorius rationes à tuâ prodigalitate provehitur. Nepos tuus eſt; adeòque caro tua, ſanguis tuus; dum panem vinumque pauperum vectigalibus injuſtis onerat, & populum totum exſpoliat, te ditat; & licet lapide philoſophico careat, è pane, & vino, & reliquis rebus quas decircinat, aurum conficit, quod in tuos loculos & theſauros importat. Scito igitur vectigalia politica ſub auri & argenti ſpeciebus eſſe populi ſanguinem, eſſe pauperum viſcera; probes autem Te ipſum, Archon, & ſic de pane illo edas, & de calice bibas, qui enim manducat & bibit, & exſugendo pauperum ſubditorum ſanguinem abutitur nomine Domini.

209 PLura dicturus eram; ſed me diſtrahit Mariopompi præſentia; hoſtem habuit inter fluvium & montem ab ipſâ natura concluſum; delere potuit, & liberè exeſſe permiſit. Sed cur ignaviam tantam? Non habuit militandi ordinem. Mira res! etiam Ordinis ſacramentum in militiam ſe inſinuat, & quia hac rerum tempeſtate Sacerdotes fiunt milites, milites promoventur ad ordines. O quàm clarè occaſiones ordinis defectu ſunt omiſſæ, quas Reſpublica luget, ridet hoſtis! Periculum in mora eſt, & ſi debeant ordinum obſervari interſtitia, nulla expeditio fęlix erit. Virum, qui in ſingulis rebus debeat gubernari, ne promove; & qui poſſit gubernare, ne prę-move; nunquam eadem proles à duplici patre fuit genita, nec eadem expeditio concepta duabus mentibus, indicta duabus linguis, ſcripta duabus manibus. Vel ſi dubites; aliquid utrâque manu ſcribe; an-ne utrobique dexterè? minimè. Quia ſi alterius manûs ductus dexteri ſunt, alterius debent eſſe ſiniſtri. Hoc eſt breve Evangelium; & ſiquidem agimus de politico Sacramento Ordinis, mirum non eſt, ſi Evangelia dicantur.

210 VNum ſequatur alterum: nam Evágelia vera ſunt, & juxta bonę Dialecticæ leges, è veris falſa ſequi non poſſunt. Gobriam eſſe Conſulem rideo, lugent alii. Sed undè hæc metamorphoſis? Magnâ indiget rerum notitiâ, ſummâ ſcientiâ, qui jus dicere

Digitized by Google

cere debet, & Gobrias ſtultiſſimus eſt. Apud Platonem quinto de Republ. Socrates. *Niſi vel Philoſophi Civitatibus imperitent, vel hi qui nunc Reges & Dynaſtæ appellantur, legitimè & quod ſatis eſt philoſophantur, atq; in idem Civilis facultas & Philoſophia concurrat, & contrà, quàm hoc tempore in utroq; ſit ingenia multa neceſſariò diverſa in ſtudia diſtrahantur, nunquam malorum finis reperietur:* unde evidenter ſequitur, quòd imperitans nequeat eſſe imperitus. At audio. Gobriæ omnes imperitiam excuſant, quod Amaryllida, fœminam conſularem, duxerit in uxorem, & in dotem habuerit dignitatem. Talia ſunt Matrimoniorum Sacramenta & arcana, quæ frequentia in Republicâ. Dantur dignitates in dotem, & quæruntur viri, qui utilitatem qualitatis percipiant, tametſi ſufficientiâ careant.

211. Et ne *Extrema Vnctio* deſit, qui aliundè promoveri non poſſunt, variis unguentis viam præparant. *Vntar las manos*, apud Hiſpanos ſubornare eſt, & *Vntar los caſcos*, Adulari. Hanc ob rem, Tu qui vitam agis laude dignam, ita adminiſtra rem politicam, ut peccatoris oleum nec tuas inungat manus, nec caput imbuat.

Igitur, FERDINANDE OPTIME, ad Te redeo, quem cùm ultra mare Athlanticum Antipodes Regiones invexi, nimium à Germaniâ diſtraxi. Archontem audiviſti, judicaſti, damnaſti: diſce ergo: & alienis erroribus cautior, ne ſimiles in Tuis Regnis committas. Chriſtiana Sacramenta tuere; Politica, quæ reprobas, proſcribe: legantur enim ſacra: ubi profana æquari Sacris, aut fieri majoris affectant. Tractanda modo conſentaneo ſunt omnia, nec rerum ordines ſunt confundendi. Vt ſic vivas & imperes, fœlici auſpicio, FERDINANDE, *intende proſperè, procede & regna*. DIXI.

Binas Orationes præmiſi, binas addo. Prima è ſanguine CHRISTI ſeptem Sacramentales conſequentias deduxit. Secunda ſeptem Sacramenta Politica incuſavit. Tertia melleam expendet mei Bernardi Dialecticam; & Quarta hanc ipſam ad Aſcenſionem Domini & Fidem Theologicam transferet.

ORATIO X.

De Logica D. Bernardi.

Hanc olim ad Studioſos meos declamavi, & ne pereat huc pono, & breviter ad ſynopſim reduco.

CVR DEVS dicatur PAN? An Abbates vagari debeant? Cur S. Bernardus Scholas Pariſiis frequentaverit? 212. 213. 214. *Bernardi Argumentum.* 214. *An ſit reſpondendum ſub Præſide?* 215. *Exponitur. Vrgetur.* 216. 217. 218. *Oculi CHRISTI ſalutares.* 218. *CHRISTVS via, veritas, vita.* 219. *Vera pœnitentia, vita nova.* 220. 221.

212 MVlti erãt, & ipſi ingenioſiſſimi, qui olim Pariſiis Philoſophicas Litteras profitebãtur; & quia omnes ſe continebãt intra naturalia principia, Philoſophiâ ſupernaturali carebat Univerſitas, & Magiſtro, qui illam poſſet dictare. At quia inter DEVM Univerſitatemque magna eſt ſimilitudo [Græcè *Pàn* ille dicitur, *Pàn* illa] Supernaturalis Philoſophię DEVS, illi Profeſſorem conceſſit, qui cęleſti eloquẽtiæ profluvio Studioſos doceret, hoc eſt, incenderet. Moralis enim Philoſophia in hoc à Naturali diſtinguitur, quòd hæc ſpeculativa ſit, illa practica; hæc luceat, illa ardeat; hæc in-

genium illuſtret, & illa illuminans mentem, etiam accendat voluntatem. In Magno Exordio Ordinis Ciſtertienſis libr. 2. cap. 13. hæc lego. *Quadam prætereà vice cum Vir Domini, Bernardus, causâ exigente Pariſios adveniſſet,* (non enim Abbates debét è ſuis egredi Monaſteriis ſine causâ) *rogatu Clericorum ingreſſus eſt de more Scholas eorum, quibus oſtendens formam Veræ Philoſophiæ, monebat eos attentiùs de Mundi contemptu, & ſubeundâ pro* CHRISTO *Domino voluntaria paupertate. Explicito verò ſermone, cùm nemo ex eis converteretur, triſtis egreſſus eſt, eò-quòd præter votum & præter ſolitum ei accidiſſet.* Vadit domum Bernardus, oratione mentali ad vocalem ſe præparat, effuſis lachrymis à DEO poſtulat eloquendi efficaciam, *& cùm Scholas repetiiſſet Prædicator egregius, ad nutum Domini navem prædicationis duxit in altum, & ſacræ doctrinæ rete laxavit in capturam. Finito verò ſermone, plurimi ex eiſdem Clericis, per manum illius ſeſe Domino reddiderunt.*

213. ☙Legimus, & inſtruimur. Hac die noſtram Scholam Mellifluus Anteceſſor advenit; nam in Academiâ illi devotâ, numeramus vigeſimam Auguſti diem eidem ſacram; eum præſentem colimus, & de ejus magiſterio gaudemus. Rogatu noſtro ingreſſus eſt Scholas noſtras: & quoniam illi ſervio à linguâ, me utitur ſpiritualem habiturus ſermonem, cùm autem Oratio ad homines, niſi armetur Oratione ad DEVM, debilis ſit, longâ experientiâ doctus Orationi Orationem præmittit, Orat ipſe DEVM, ut hæc ipſa Oratio, quæ linguâ quidem meâ ſed ad mentem ipſius eſt pronuntianda, nobis ad morum converſionem proficiet; adimplet ipſe, quæ deſunt paſſioni IESV CHRISTI, ſuum interponendo ſuffragium; adimpleamus & nos, quæ deſunt Orationi Bernardi, lachrymas noſtras adjungendo; Vt gratia DEI, CHRISTI Sanguine nobis promerita, & Bernardi Oratione impetrata, nos capaces & ultimò diſpoſitos inveniat. Et ut hanc ipſam diſpoſitionem ultimam faciliùs obtinere poſſimus, etiã gratiâ indigemus; ad pedes igitur gratiâ plenæ & benedictæ inter mulieres provolvamur; multum enim vel tacita implorat neceſſitas, multum impetrat vel muta humilitas. *Et quia* [Regul. cap. 20.] *non in multiloquio, ſed in puritate cordis & compunctione lachrymarum nos exaudiendos ſcimus, ideò brevis ſit & pia oratio,* dicaturque genuflexo in reverentiæ & obſervantiæ teſtimonium, Reginæ Cœli; Matri Miſericordiæ; Vitæ; Dulcedini; Mundi Spei alteri; noſtræ Advocatæ; Dulci, Clementi, & Piæ; *Ave MARIA.*

214 HAEREO quidem ſermonem habiturus, non enim inducit Spiritus, at agam de Divo Bernardo, ſed ut nomine D. Bernardi. Quî ergo Mellifluus Doctor in Academiâ ſolebat concionari? In Speculo Morali lib. 1. par. 2. diſt. 6. Belvacenſis Epiſcopus, & ex eo in Annalibus Ciſtertienſibus ad annum 1122. cap. 6. num. 6. Manrique Pacis Iuliæ; Epiſcopus. *Cùm Beatus Bernardus veniens Pariſios Scholas Logicæ intraſſet, cogitans quo modo alienos Scholares lucrari poſſet, quos Monachos faceret; finitâ diſputatione rogans eum Magiſter, quod determinaret, ait.* [*DEVS facit nobis hoc argumentum; reſpondete. Propono vobis legem & mandata, dicens. Hæc mandata & hanc legem dedi vobis; Aſſumit tranſgreſſionem: Et concludit damnationem. Sic ergo argumentabitur contra Hominem. Legem tibi tradidi; Tu prævaricatus fuiſti: ergo damnationem promeruiſti à Iuſto Iudice. Ergo damnaberis.*] An-non ſentitis Demonſtrationis efficaciam? forma eſt legitima; Major, quæ legem DEI proponit, eſt evidens: Minor, quæ tranſgreſſionem ſubſumit; nimirùm certa: Conſequentia, quæ condemnationem concludit, neceſſaria. Ergo, ſi ſcitis, reſpondete. An cedendum omninò? an deſperandum? Minimè. Quia nullus eſt ſyllogiſmus tam fortis, qui diſtinctionem non patiatur.

215. ☙Sentio Argumẽtationis efficaciam Domini IESV, oroque, ne intres in judicium cum ſervo tuo Domine, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens. Sed quia tandem reſpondendum eſt, & danda villicationis ratio, doceri velim, an debeam ſine Præſide? Moris eſt in florentiſſimis Academiis, ut aliter diſputent, qui promoventur ad lauream, aliter qui ad licentiam. Illi, quibus conceditur Doctoratûs aureola, ſine Præſide tenentur, reſpondere; illi, quibus conceditur in lauream jus, & illam recipiendi licentia, reſpondere ſub Præſide poſſunt & debent. Cùm igitur impræſentiarum Ego non ita ſim delirus, ut me laureâ cœleſti dignum ſomniem, non illam, ſed jus in illam peto; non gloriam, ſed gra-

gratiam; non ipſam aureolam, ſed ipſius recipiendi licentiam. Manet igitur,ut debeam reſpondere ſub Præſide.

At argumentante DEO, ſub cujus potero auſpiciis & protectione reſpondere? Sub DEI. Plus diſtat infinitum à finito. DEVS ab Homine,quàm Præſes ab Argumentatore; & ſiquidem potuit voluitq; DEVS hypoſtaticè unire divinam & humanam naturam: poterit Argumentatoris rigorem & Præſidis etiam clementiam devincire in ejuſdem unitate perſonæ.

216. Igitur ad me reverti incipio, reſumo animos, & DEVM ipſum oppugnantem non timeo;habeo enim Præſidem,qui poterit reſpondere DEO. Igitur perſonis ad mores academicos ritè diſpoſitis,argumentum reſumo. *Omnis qui legem DEI violaverit, condemnabitur. At illam Ego miſerrimè violavi. Igitur condemnandus ſum.* Agitur de rerum ſummâ,& oportet bene reſpondere. An condemnabo formam? In *Darii* ipſa; & argumentum in *Darii* negari non poteſt. An negabo majorem? Minimè. Sufficit enim diei malitia ſua: nec committenda nova crimina ſunt,ut inveterata excuſentur. Sanè major fide tenenda eſt,& ſine hæreſi negari non poteſt. Concedo igitur majorem Domine.Ad minorem ſubvenio. An negabo illam?Sanctior me erat Iobus, & tamen transglutiens ſalivam ſuam, dixit, *Peccavi.* Me Sanctior David, *Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci*,ait.Et Ioannes, *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Ergo, ſi iſti conceſſero minorem,imprudens & impudens illam negarem. Concedo igitur etiam minorem, Domine IESV. me peccaſſe concedo;nam vel tacente linguâ id ipſum ſauciæ conſcientiæ vermis diu noctuq; inceſſanter inclamat. Ad illationem transeo. Dura eſt ipſa! nimirùm, *Ergo damnandus ſum.* Hanc ego conſequentiam æternùm negaturus ſum; & tamen cur ſim illam negaturus ignoro.Sentio argumenti vires, & viribus ut ſatisfaciam careo.Nimis ſapiens es,Domine IESV, imò ipſamet Sapientia;remitte obſecro tantiſper argumenti vehementiam, & diſputationis fervorem: ſummum enim Sapientiæ judicium, poſſe terminos ſapientiæ contrahere.Cur igitur faciem tuam abſcondis; & arbitraris me inimicum tuum, cùm tamen poſſit ſevera diſputatio ſalvâ charitate ſervari. Contra ignorantiam meam oſtendis ſcientiam tuam?contra folium quod vento rapitur, potentiam tuam? An-non Aquilo infinitè vehemens ſtipulam ſiccam perſequeris? Sanè nihil proficio; aſſumis enim contra me amaritudines, & in ſolemniſſimâ hac diſputatione confundere me vis peccatis adoleſcentiæ meæ: nec te incuſo, quoniam Argumentatoris non eſt protegere, ſed urgere & inſtare.

Ad conſequentiam ergo venio. Negat illam Iobus, negat illam David, negat Maria Magdalena, negat Petrus, negat Latro; nego & ego. Negandam ſcio: & cur negari queat ignoro.

217. Sed jam novo fulmine impetor, novo argumento crucior, ſtrictiùs urgeor novâ inſtantiâ. Sic CHRISTVS Dominus argumentatur; *Forma erit legitima: Præmiſſæ veræ; Ergo Conſequentia negari non potuit.* Hoc eſt nimiùm urgere. Alios in diſputatione ſalvos feci, me autem ipſum in hac non poſſum ſalvum facere. In cruce ſum;torqueor,patior; tenebræ factæ ſunt ſupra totam terram, quia ſupra mentem meam quæ dum terrena ſapit eſt ignobilior terrâ. Vltimum trahens ſpiritum dicam, *Eloi, Eloi, lammaſabbacthani.* DEVS meus, Præſes mi,vim patior reſponde pro me. Quare me dereliquiſti; longè enim à ſalute mea verba delictorum meorum.Libera me ab hujus argumenti efficaciâ, & pone me juxta te; & cujuſvis pugilis manus, diſputatoris lingua, computatoris calamus pugnet contra me.

218. Porrò reſpexi Præſidem, & reſpicior à Præſide;& qui Petrum reſpiciendo cõvertit, me reſpiciendo proſpicit. Iam ſum divinitùs edoctus, jam ſolutionem ſcio. Dies mei tranſierunt, qui quoniam mei, amari & nebuloſi;cogitationes meæ diſſipatę ſunt, torquentes cor meum; & ignorantiæ noctem verterunt in Sapientiæ diem; quod ſi adhuc nonnullæ maneant tenebræ, poſt tenebras ſpero clariorem & uberiorem lucem. Sed ne tempus teratur, ad rem & argumentum venio. In materiâ nodum implicatum diſſolvo, & ſic inquam.Conſcientiam meam diſcuſſurus,judicaturus,argumentaturus, *vocabis me, & ego reſpondebo Tibi.* Sed quid Tibi? *Operi manuum tuarum porriges dexteram. Tu quidem greſſus meos dinumeraſti,ſed parce peccatis meis.*

Digitized by Google

meis. Hanc eamdem Ego ſolutionem ad formæ rigorem reducam, & tuâ me gratiâ erudiente jam ſapiens, totum ſyllogiſmum, qui me cruciat, reſumam. *Omnis, qui Legem DEI violaverit, condemnabitur: Illam ego violavi; Igitur condemnandus ſum.* Diſtinguo Præmiſſas,& Conſequentiam nego. Concedo igitur, Divine Argumentator,condemnatum iri omnem Hominem, qui legem DEI violaverit; ſi operi manuum ſuarum DEVS ſuæ dexteram clementiæ non porrigat. Quod ſi porrexerit, & ipſe auxilio cœleſti fuerit cooperatus,eſſe damnandum nego. Doceor à Ieremiâ cap. 18. apud quem eamdem ipſam Majorem ſic ipſe Legiſlator exponit. *Si pænitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod loquutus ſum adverſus eam; agam & ego pænitentiam*(virtualem)*ſuper malo, quod cogitavi, ut facerem ei.--- Si fecerit malum in oculis meis, ut non audiat vocem meam, pænitentiam agam ſuper bono, quod loquutus ſum ut facerem ei*. Scio enim DEVM non velle mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat. Ad Minorem jam venio. Illa erat, *Legem DEI violavi*; & hoc ipſum diſtinguo. Me olim peccaviſſe & nunc lugere fateor; me olim peccaviſſe & nunc etiam me veteri homini inhærere pertinaciter, nego. Adeòq; conſequentiam aut abſolutè nego, aut conditionatè diſtinguo (nam & conſequens diſtingui ſolet, & conſequentia poteſt) me damnandum, ſi revertar ad vomitum, & novis peccatis & pœnitentiæ negligentiâ iterum in abyſſum præcipiter, concedo; nego tamen, ſi ut ſpero, à DEO protegar, & in pœnitentiæ lachrymis anhelitum ultimum mittam.

219. Habuit igitur ſucceſſum fœlicem diſputatio. Ambigua & obſcura ipſa; ſed quia habita ſub Præſide, qui eſt Via, errare per avia non potui; quia ſub Præſide, qui eſt Veritas; nec potui decipi, nec hallucinari; Et quia ſub Præſide qui eſt Vita, morte non ſum damnatus, ſed tempus mihi conceditur ad pœnitentiam. Præivi, ſequimini. Diſputationi interfuiſtis, imò & diſputaſtis; Legis enim obligatio, quæ in Majore proponitur, ne unum Hominem exemptum patitur: & ejuſdem legis tranſgreſſio, quæ aſſumitur, concernit univerſos. Et condemnatio quæ infertur, etiam omnes; illi enim uni liberum contra fatum excipere, qui ad Pœnitentiæ tribunal clementius appellet.

220. Appellavi, appellatis; ſed ut appellatio ſit utilis ſuâ Hipponenſis Epiſcopus authoritatem interponit. *Inanis eſt Pænitẽtia*, [ait lib. de Sol. ut habetur de pœnit. diſt. 3.] *quam ſequens culpa coinquinat. Vulnus iteraturus ſanatur tardiùs. Frequenter peccans, & lugens, vix veniam merebitur. Nihil proſunt lamenta, ſi multiplicantur peccata. Nihil valet veniam à malis poſcere, & mala denuò iterare. Perſiſte ergo in cõfeſſione, eſto in patientiâ fortiter confirmatus; vitam bonam, quam incepiſti, tenere non deſinas, propoſitum bonæ vitæ conſerva jugiter*.

221. Ad pœnitentiam igitur appellandum, ſed non quamcumque, ſed ad veram, ad ſinceram, ad perſeverantem; *hæc enim*(ait lib. de pœnit. Auguſtinus)*languores ſanat, leproſos curat, & mortuos ſuſcitat: ſanitatem auget; gratiam conſervat; claudis greſſum, aridis copiam; cæcis reſtituit viſum, vitia fugat, virtutes exornat, mentem munit & roborat*, & ut verbo omnia dicam, veniam impetrat, & cœlos aperit; ad quos nos perducat, qui vivit & regnat per omnia ſœcula ſœculorum. Amen.

ORATIO XI.

De Logica Chriſtiana.

Hanc etiam Orationem meis olim Diſcipulis dictam, nunc ſcribo. Aſcendentem DEVM ad cœlos celebrat, & ſanctum illius diei Evangelium exponit.

ITA *mens debet coli, ut etiam voluntas excolatur.* 222. *Argumentum proponitur: ponderatur: dilucidatur. Fides ſine operibus mortua eſt.* 223. *An fides ſit argumentativa?* 224. *Mortua fides. Ca-*

Cadaverinæ fidei ſuſcitatio. Baptiſmus virtualis. 223. *iteratus.* 225. *Baptiſmus ſanguinis. Pœnitentia altera poſt naufragium tabula.* 226. *Fidei vivæ virtutes, characteresque exponuntur moraliter.* 227. *Concluſio.* 228. 229. *ſequitur debiliorem partem.* 230.

222 COlimus mentem, & ſi ſolam, fruſtra omninò in arena litterariâ ſudamus. Eò colimãt labores philoſophici, ut illuſtrando mẽtem, ſpiritum & voluntatem gubernemus. Plurima bona ingenia abyſſus infernalis abſorbuit, ubi tamen nullus aſſignatus eſt locus pio affectui, & nullus bonæ voluntati. Immunis ipſa ab ęternæ damnationis periculo; & quamdiu bona, ad maſſam perditionis non pertinet. Vos igitur, Empyreo nati, ut vitæ curſum abſolvatis fœliciter, etiam hunc philoſophicum debetis accuratè percurrere; colitur enim mens, ut colatur voluntas; & hæc colitur, ut DEVS colatur. Omnia ergo optimè diſponuntur, cum intellectus voluntatem accendit, & voluntas ad DEI majorem gloriam ardet.

Veſtris colendis mẽtibus adlaboro; & cùm profuiſſe videor, veſtræ diligentiæ congratulor: at etiam excolendis affectibus, veſtris inſudo, & tũc fęliciùs, cùm CHRISTVS ſummus orthodoxæ Philoſophiæ Magiſter, cooperatur. Hodie cœlos adſcendit, & Marci calamo ſcribit nobis Valedictionis litteras, quas cùm audio terreor, & ſi vos percellimini horrore, reſpondete. Amans & deſpectus ſic inquit: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur*. Hanc Majorem expreſsè; & implicitè aſſumit, *At tu ingrate adoleſcens, dum ætati adularis, nec vivâ fide credis, nec pænitentiæ lachrymis baptizaris: Igitur condemnaberis.* Aperi ergo mentis oculos; & qui diebus ſingulis Ariſtotelicos ſyllogiſmos examinas, huic reſponde, quem nomine CHRISTI propono.

223. Hæres video, nec miror, ego etiam hæreo; non enim tibi uni hanc quæſtionem propono, nam & ego illi obnoxius, qui poſſim reſpondere non video. Concedere Majorem fidei religione tenemur. Audio: Minorem negas, & te credere & eſſe baptizatum pronuntias. At ego contrà, dico te virtualiter: imò ut fortiùs loquar, te aſſero carere vitâ fidei, & virtute baptiſmi. *Quid proderit Fratres mei*, ait Iacobus [cap. 2. Epiſt.] *ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? numquid poterit fides ſalvare eum? Sicut corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita fides ſine operibus mortua eſt.* Non ergo, Erudite Adoleſcens, habes fidem requiſitam à CHRISTO, cùm fidem te habere gloriaris. Illa, quam fidem nominas, non eſt viva fides, ſed fidei, quæ olim vixit, cadaver. Sed neque habes virtutem baptiſmi, nec ipſum baptiſmum virtualiter: quoniam baptiſmi virtus innocentia & charitas, quas peccando amiſiſti, unde in empyream gloriam tantum jus habes, quantum ſi nunquam baptizatus eſſes, hoc eſt, nullum, nullum.

224. Quid ad hæc incauta Anima? Argumentum ſtringit, cedendum eſt, num reſpõdendum. Fide cares virtualiter, virtualiter cares baptiſmo; ita enim te habes, ac ſi utroque careres; & tamen ſtat illa veritas, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur*. Ergo ſyllogiſmum perfice, & tuam condemnationem neceſſariò, in neceſſariâ illatione videbis. Quid igitur? Vel muſſitare audes? Excuſandæ ſunt excuſationes in peccatis; plus prodeſt enim peccatori ſincera & impolita confeſſio, quàm culta & copioſa excuſatio. An vis inſtare, arguere, obiicere? *Aufer argumenta ubi fides quæritur. In ipſis gymnaſiis ſuis jam Dialectica taceat; piſcatoribus creditur, non Dialecticis*. [Ambroſ. libr. de Trinit.] Conſonat Ambroſio Gregorius libr. 33. Moral. dicens; *DEVS primò elegit indoctos, poſtmodum Philoſophos; & non per Oratores* (Rhetores, Dialecticoſve) *docuit piſcatores; ſed per piſcatores ſubegit Oratores.* Clama, inclama; Homines decipere poteris, non DEVM, ipſe enim totus oculus eſt. [Ovidius in Epiſtolâ Acontii ad Cidippem] *Promittis votum? Scit te promittere falſo? Iurabis? ſcit te fallere poſſe Deos*. Recuperanda eſt igitur fides viva, quæ periit; & amiſſa baptiſmi virtus novo eoq; diverſo baptiſmo procuranda.

Sed quî poterit mortua fides, & jam cadaverina ſuſcitari? Bernardus Serm. 25. in Cant. *Mors fidei eſt ſeparatio charitatis.* Ecce ſuccinctè

ctè & clarè, quî fides occidatur expoſuit; progreditur, & quî à mortuis ſuſcitetur inſinuat. *Credis in* CHRISTVM? ait, *fac* CHRISTI *opera, ut vivat fides tua. Fidem tuam dilectio animet, actio probet: non incurvat terrenum opus, quem fides cæleſtium erigit.*

225. Sed quæ actio debet fidem probare? Baptiſmus. Baptiſmûſne? Quid ergo ad Auguſtinum [lib. 2. de unico bapt. & habetur de conſecr. diſt. 4.] dicentem, *Oſtenditur illos impiè facere, qui rebaptizare conantur?* Quid ad Eccleſiam non permittentem homines rebaptizari? Et reſpōdeo dari baptiſmum fluminis & flaminis, & ſanguinis: ille prior iterari non poteſt, poteſt ſecundus tertiuſque. Sunt digna, quæ audiantur D. Auguſtini verba [libr. 4. de unico baptiſmo: & habentur de conſecrat. diſt. 4.] *Baptiſmi vicem*, ait, *aliquando implere paſſionem, de latrone illo, cui non baptizato dictum eſt, Hodie mecum eris in paradiſo, B. Cyprianus non leve documentum aſſumpſit. Quod etiam atque etiam conſiderans invenio non tantùm paſſionē pro nomine* CHRISTI *id quod baptiſmo deerat poſſe ſupplere, ſed & fidem confeſſionemque cordis* (hoc eſt, contritionem) *ſi fortè ad celebrandum myſterium baptiſmi in anguſtiis temporum ſuccurri non poteſt. Neque enim latro ille pro nomine* CHRISTI *crucifixus eſt, ſed pro meritis facinorum ſuorum. Neque quia credidit paſſus eſt, ſed dum pateretur credidit. Quantum itaque valeat etiam ſine viſibili ſacramento baptiſmi, quod ait Apoſtolus,* Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem, *in illo latrone declaratum eſt.* Baptiſmus igitur Contritio eſt, Amor eſt, Confeſſio ſacramentalis eſt, & hæc omnia ſunt Baptiſmus flaminis, & iterari frequentiſſimè poſſunt.

226. Sententiam contra te latam horres; ad ſecundam tabulam poſt naufragium, quæ eſt pœnitentia, confugis: & quia fides inviſibilis eſt, & contritio quæ eſt ejus vita & alter baptiſmus, etiam eſt inviſibilis, hallucinari times, ne cùm maximè putas te fide vivâ præditum, mortuam habere convincaris. Sed hunc ipſum timorem Evangelica doctrina elîdit. *Signa autem eos qui crediderint, hæc ſequentur*, ait CHRISTVS, *In nomine meo dæmonia eiicient; linguis loquentur novis; ſerpentes tollent; & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit: ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt.* Ecce ob oculos poſitas quinq; fides vivificantis proprietates, ratione quarum eſſe occulta non poteſt.

227. Porrò tot te dœmonia, quot cogitationes malę invadunt; eiice, eiice; tolle, tolle; crucifige eas. Cogitationes malas cordi tuo advenientes, vel D. Benedicto indicente, ſtatim arbori victrici ſuffigas, mox ad CHRISTVM adlidas, & tot te dœmonia eieciſſe ſupponas. Et quia omnes actiones linguæ ſunt, quę Proximo imitationem ſuadent: tu qui ſcandaloſa committendo facinora idiomate veteris Adami loquebaris; linguâ loquaris novâ, Hominis novi idiomate; & ita deinceps vivas, ut ſingulæ actiones tuæ ſint linguæ, quæ diſſuadeant vitia, & virtutes perſuadeant. Et quia peccatum tranſiit in conſuetudinem, conſuetudo in naturam; & culparum exceſſivus numerus vitia plurima genuit; malos habitus ſerpentes tolle, lepram ſerpentem eradica; ut vel ſic aliquando cureris. Sed quoniam etiam venenum auribus & oculis hauritur, cor tuum gloriæ cœleſtis & pœnarum infernalium jugi meditatione fortifica, & liber eris ab ſcandali paſſivi periculo, & ab alienæ inductionis veneno. Aures, quibus inſonat Evangelica veritas, non poſſunt infici; & oculi, qui DEVM ſemper præſentem cenſentem contemplantur, ſi mortiferum quid caſu involuntarii biberint; non eis nocebit. Adhibe igitur manum operi, ſciaſq; in tuâ Animâ tres eſſe rationales potentias, & omnes ſuo morbo laborare. Memoria tua, eſt cœleſtium beneficiorum immemor; Et injuriarum terreſtrium nimiùm memor. Mens tua amens eſt: ſi utilia proponantur, talpa; & ſi nociva, lynx. Libertate caret tua libertas; vel ſi quam habet, illâ utitur ut in peccati liberâ neceſſitate maneat; & quia non vult egredi cùm poteſt, deſiderat non poſſe cùm velit. Læſi ſunt ſpirituales iſti Animæ immaterialis ſenſus; efrænes ſunt, manuteneri debent, & ſibi permitti non poſſunt. Super ipſos igitur ægros & imbecilles, manus prudentiæ diligenter impone, & bene habebunt.

228. Quod ſi ſemel in tuâ Animâ hos effectus divinæ clementiæ experiaris, Evangelicis inſiſtens principiis hunc etiam ſyllogiſmum efforma. *Signa autem eos qui crediderint* (nimirùm, fide vivâ & contritionis lachrymis baptizatâ) *hæc ſequentur. At eadem omninò ſigna, meam ſequuntur Animam* (ſic

op-

Digitized by Google

opto) *Ergo mea Anima credit fide vivificâ, & charitatis amoriſq; divini lachrymis baptizatur. Sed qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit: Ergo & ipſa ſalvabitur*. O quam dulcis conſequentiæ efficacia! ô quam ſuavis illationis neceſſitas! Tibi, Anima ſancta, congratulor; & cùm tibi ſancta Anima, omnibus me loqui puto, congratulari univerſis ſpero, qui omnes deſidero eſſe bonos, omnes reputo ſanctos.

229. ❧ Claudo igitur cõgratulationis periodum, verbis illis quibus etiam Divinus Hiſtoriographus Evangelicã lectionem claudit. *Dominus quidem IESVS, ait, poſtquam loquutus eſt eis, aſſumptus eſt in cælum, & ſedet à dextris DEI.* Sed quid loquutus fuit Apoſtolis, cùm in cœlum rediret? Multa quidem & varia, ſed hæc mihi ſolamini ſolent eſſe præcipuo. *Non vos relinquam prophanos; Cùm exaltatus fuero à terrâ omnia traham ad me ipſum.* At ſine Te, Domine IESV, non poſſumus non eſſe orphani; igitur vel redi, vel adtrahe. Si mecum eſſe velis in hac lachrymarum valle, da quod jubes, & jube quod velis, non recuſo laborem. Aut aliàs, dico cum Paulo, Apoſtolo tuo, Magiſtro meo, *Volo diſſolvi, & eſſe cum CHRISTO*. Didici ab Auguſtino omnem CHRISTI actionem eſſe homini imitationi ſecuriſſimę; ergo in omnibus te debeo, Sanctiſſime Domine, imitari. Natus es; & in te ego regeneratus ſum. Vixiſti; & vivo ego, jam non ego, ſed vivis in me CHRISTE. Paſſus es, & moriendo glorioſam victoriam obtinuiſti; mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri IESV-CHRISTI, per quem mihi mundus, crucifixus eſt, & ego mundo. Surrexiſti, ſed reſurgens à mortuis jam non moreris, mors enim tibi ultra non dominatur, ſed ſubſiſtit; & centies ego te opem conferente ſurrexi, & quod fuit miſerum, iterum moriturus. Meæ igitur fragilitati conſule, & ſiquidem in carne periclitat, à me ipſo me libera, & cœlis inſere. Iam exaltatus fuiſti à terra, jam aſcendiſti Empyreum, jam calcas ſydera, & verus Sol humanas Stellas eò tranſlatas illuminas. Ergo trahe me poſt te, & curremus, aut veriùs tranſvolabimus; ut qui tecum ſum paſſus in terrâ, in cœlo merear à tua Iuſtitiâ, & Miſericordiâ coronari.

230. ❧ Hæc eſt conſequentia, Dñe IESV, quam omnes nos inferimus; vota ſolemnia, cõverſationem regularem; mortificationes & obſervantias religioſas præmiſimus, ſed quia non ſunt condignæ paſſiones hujus mundi ad futuram gloriam, in causâ ſupremâ ſic diſcurrimus. Miſericordiam DEI, Legem indictam, additam promiſſionem proponimus: obſervantiam tametſi tepidam aſſumimus; & æternam ſalutem inferimus. At quia conſequentia ſequitur debiliorem partem, & minor erat tepida nec probabili certior; inferimus tepidè & cum partis contrariæ formidine. Nam ſperamus inferendo, quandoque inferimus, ſed quia à DEO & à nobis dependet ſpei certitudo & noſtræ illationis ſecuritas; nihil non ſperamus à DEO, & nihil à nobis ſperamus. Præſta igitur, Dialectice divine & omnipotens, ut hæc topica & probabilis ratio, demonſtrativa fiat; & ut fuges formidinem gloriæ quam ſperamus, optatam nobis poſſeſſionem concede.

PHYSICA.

231 TAnti olim facta, ut ſola à multis excellentiſſimis Ingeniis culta; jam habemus Theologiam, quam ignorarunt Græci, aut certè confuderunt cum Phyſicâ. In hac Scientiâ diſputat Ariſtoteles, de naturalibus Principiis; de Privatione, Materiâ, & Formâ; de Causâ Effectrice, Exemplari, Finali; de Loco, Vacuo, & Motu; de Infinito, & Ente Entium. Omnia & ſingula conceptibus moralibus dilucidavi, in Commentario in Regulam D. Benedicti, diſp. 1. nunc eadem ſecundo calamo & novis illuſtro acuminibus, ut etiam Politicis ſervire poſſim.

Digitized by Google

ORATIO XII.

De Philoſophia Regia.

AN qui nobiliores: hi etiam inſipientiores eſſe debeant? Multi eſſe ſe ignorantes ignorant. Ho*minis proprietates.*231.*Logica Stoicorum; Phyſica Peripateticorũ; Theologia naturalis.*231. 232.233. *Abſtracta Ideæ.*234. *Idearum excellentia & neceſſitas.*240.241. *De Privatione.*235. *De Materiâ.* 236. *De Formâ.* 237. *De Causâ efficiente.* 238. *De Causâ finali.* 239. *De Causâ exemplari.*240.241.*De Loco.*244.*De Vacuo.*245.*De Motu.*246.*De infinito.*247. *De primo Motore.* 248.

*Philippi II. ſeveritas. Mera interrogatio, gratis nonnunquam correptio eſt.*232.*Militia eſt practica, nec debet implicari conceptibus, qui ad praxin reduci non poſſint.*234. *Non ſunt multiplicandæ entitates, non moralitates.*235. *Materia Rex, ſemper debet eſſe in actu.*236. *Forma Reipublicæ Religio: Populus irreligioſus eſt cadaver.*237. *Legumlatores ſemper Divinitatem aliquam præſtulerunt. An Rex regi debeat?* 238.239.*Finis regum DEVS.*239.*Atheus non eſt homo.*240.*Apotheoſis. Philippus oblatam Divinitatem reſpuit, negatam Alexander affectat.* 241. *Deos facit timor.* 242.*Verus modus Divinitatis aſſequendæ.*243. *Homines ſuperficiales & vacui.* 244.245.*Aurea libertas.*245.*Aulici ſunt in motu perpetuo; Genealogia Hominis.*246.*Ambitio infinita.*247. *An aulam frequentare ſit malum?* 248.249. *Audire oculo, videre aure.* 250. *Non ſemper ſunt dulciora ſalubriora.* 250.

DOMINE. &c.

SErpit hodie in aulis Regum Summorum quædam hæreſis, quæ dum adulatur Principibus, Rempublicam excidio exponit. Iam ut Principium per ſe notũ ſupponitur, *Debere rerum univerſarum Dominos, rerum univerſarum inſcios eſſe.* Et ut video, jam multi Principes, exactè huic obligationi ſatisfaciunt. Non ſic olim opinatus eſt Socrates, non ſic Plato 5. de Rep. non ſic alii Philoſophi, qui voluerunt, aut Doctos promoveri ad imperium, aut Imperaturos ſtudere doctrinæ. *Homo,* ut ait Cicero de legib. *eſt animal providum, ſagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & conſilii: præclarâ quadam conditione generatum à ſupremo DEO. Solum eſt enim ex tot animantium generibus atq; naturis, particeps rationis & cogitationis, cùm cætera ſint omnia expertia.* & 4. de finib. *Hoc ſolum animal, natum eſt pudoris & verecundiæ particeps, appetenſq; conjunctionem hominum ac ſocietatem, animadvertenſq; in omnibus rebus, nequid ab eo fieret niſi honeſtè & decorè.* Rex eſt hujus animalis ſapientiſſimi Paſtor, hujus viventis eruditiſſimi Magiſter; ergo debebit eſſe major, doctior, ſapientior; aut in nominis ſui dignitate deficere, eſſeque indignus Majeſtatis vocabulo.

232. ☞ Debent quidem Monarchæ ſapientiſſimi eſſe, ſed multi tam inſipientes ſunt, ut hoc ipſum ignorent. Percontanti Dionyſio quam ob rem Philoſophi divitum limina tererent, divites verò Philoſophorum non item: Quòd illi, inquit Ariſtippus, ſciunt quibus indigeant, & iſti neſciunt. Supra pleroſq; Tu, SERENISSIME REX, ut dignè imperes, ſcientias omnes adquiris, & damnato *illo Pſeudo*-politico Principio, quod Regum inſipientiam commendat cum Iſocrate Oratione ad Demonicum aliud valdè neceſſarium reponis, videlicet; *Præſtare multa addiſcere, quàm theſauros opulentos congerere.*

233. ☞ Sed quæ addiſces? Omnis diligentia & cura Stoicorum in Logicis conſumebatur, & quæ inter nos puelli ſciunt, apud ipſos ſtudium totius vitæ fuit. Cicero in Tuſc. *Stoicorum more agamus, qui breviter aſtringere ſolent argumenta.* Et Præfat. Paradox. *Cato autem, perfectus meâ ſententiâ Stoicus, & ea ſentit, quæ non planè probantur in vulgus, & in eâ eſt hæreſi quæ nullum ſequitur florem orationis, neq; dilatat argumentum, ſed minutis interro*

ga-

Digitized by Google

gatiunculis, & quaſi punctis, quod propoſuit efficit. Et quidem Tu, quidquid inclamet Cicero, Cato ſis; Princeps multiloquio non indiget, ſed interrogatiunculis quæ pungant, congrua enim eſſe ſolet reprehenſio, mera criminis interrogatio. Hanc nos docet Dialecticam DEVS. Peccat Geneſeos tertio Adamus, & ait DEVS, *Vbi es?* peccat poſtmodum Cain, & DEVS ait, *Vbi eſt Abel frater tuus? quid feciſti?* Hac uſus doctrinâ Rex Catholicus Comiti de Venena, qui Alphonſum fortiſſimè pugnantem; & tandem inter Saracenorum cuneos pereuntem ignaviâ, aut providentiâ nimiâ deſeruerat, corripuit rogans, *Vbinam Alphonſus Aguilarius manſiſſet?* Qui reprehendendi modus Philippo Prudenti, Proavo Tuo, frequentiſſimus fuit; & ſi omnia quæ dicuntur ſunt vera, etiam cùm juſtitia & ratio poſtulabat, mortifer, domino cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.

234. ☞ Sed hæc Dialectica citò potuit addiſci; Phyſicam Te docere vellem. Sunt multæ ſubtilitates in Dialecticâ, quæ ad praxim reduci non poſſunt, & cùm tota mens Regum & Imperatorum ſit practica, illis ſubtilitatibus non ſemper indiget. Platoni de altiſſimis ideis differenti, *menſalitatem, cyathitatem,* & alia ejuſmodi abſtracta nominanti, *Equidem,* dixit Diogenes, *menſam & cyathum video, menſalitatem & cyathitatem non video.* Quo ab annis paucis acumine Andreas Cantelmus, vigilantiſſimus militiæ Princeps, cùm audiebat militaria conſilia, cogitatu ſpecioſa, auſu pulchra, factu non poſſibilia, *Equidem milites & cladem video,* ſolebat dicere, *victoriam & triumphum non video:* Nec volo audire, *Quibus cyathus & menſa conſpicitur, oculos habes, quo, autem menſalitas & cyathitas intelligitur, animum non habes;* hæc enim in palæſtrâ litterariâ ſunt pulchra, at in conflictu militari ſunt turpia; non enim ego ſatisfacio cogitando victorias, ſed dando; & quam indipiſci & dare debeam, debebo non ſolùm meditari animo, ſed videre oculis, aut potiùs manibus; triumphus enim manu & gladio animoſo percipitur, non mero labio.

235. ☞ Relinquamus igitur purè ſpeculativas exercituum formandorum & urbium muniendarum regulas, & phyſica, quæ manibus palpantur, veniamus.

De Privatione.

Entis phyſici principia tria, Privatio, Materia, Formaque. Et conſultò Privationi defero primum locum, quia in hoc Principio humana tota providentia conſiſtit. *Non ſunt multiplicantia entia ſine neceſſitate.* Metaphyſici dicunt; & Politici, *Fruſtra per plura fiunt, quæ per pauciora poſſunt.* Fruſtra in aulâ tot Miniſtri, tot Conſules, tot Senatores; fruſtra in Caſtris tot Principes, tot Duces, tot Capita: fruſtra in domibus ſingulorum tot famuli, tot equi, tot rhedæ, tot commeſſationes, tot convivia. Ergo, ſi Patriam amas, à Privatione philoſophari incipe: ſuperfluis Miniſtris illam priva, & neceſſarios apparatu ſuperfluo. Singuli ſuperfluum ſtipendium non habent; & tamen multi ſuperflua multa expendunt, probantque aliquàm ſecretam habere divitias adquirendi rationem, quam publicæ leges non approbant.

De Materiâ.

236 Materię Privatio comes eſt, & Ego libẽter de Materiâ ediſſero, amo enim Regem meum, & ipſe eſt tota meę Orationis materia. Sed quid de meâ Materiâ dicam? Conſulo Hypponenſem Pontificem, & ipſe 12. Confeſſ. cap. 7. & 9. *Materiam ſine actu non eſſe nihil, at eſſe ferè nihil,* pronunciat. Audi igitur Iuli, cui primo Senatus, Populuſque Romanus conceſſit; viſne ſcire, An ſcis Cæſar, an Nihil? Vide, utrùm actu careas. Si operaris, ſi gubernas, ſi ſis ſemper in actu, Cæſar es: at ſi torpeſcis otio, & orbem alteri gubernandum committis, nihil es, aut ſi civiliùs loquar, ferè nihil. *Nullus civiliter,* ille eſſe dicitur, qui verè eſt, & tamen ita ſe habet ac ſi verè non eſſet; Ergo Princeps, qui non operatur, civiliter, nullus eſt, nihil eſt; nihil enim etiam operaretur, ſi non eſſet.

De Formâ.

237 Sed quâ Formâ donabimus Materiam Regiam? Religione, nam Princeps Religione carens informis eſt, & Regiæ quoddam Majeſtatis cadaver. *Materiam ſine formâ cognoſci adulterinâ cognitione,* inquit Plato in Timęo, notante 1. Phyſ. text. 69. Sim-

plicio: doceorque Reges non habere ſpeciem propriam, quâ cognoſci & intelligi poſſint, ſed debere ſpecie Religionis intelligi. Philippum IV. Avûculum Tuum à Religione *Magnum* dicunt, & meritò; quoniam, qui Religione caret, magnitudinem & majeſtatis eminentiam non habet: petere enim, utrùm Princeps poſſit Religione carere, eſt petere, An, Materia, ad Angelici Doctoris mentem conſervari poſſit ſine formâ. Hinc eſt legiſlatores priſcos ut ſibi devincirent homines, intimam Deorum amicitiam & colloquium familiare finxiſſe; libentiùs enim Populus obedit Deo: & ſi homini; ægriùs malè morato, libentiùs pio & conſiliorum divinorum conſorti.

De Causâ Efficiente.

238 NImis multas Cauſarum differentias reperio; duas produco; Principalē, Inſtrumentalemque. Et deſidero Principem uti Miniſtris, & eorum Miniſtrum non eſſe. O quàm multi in noſtrâ hodie Europâ Sereniſſimi & Altiſſimi audiunt, qui ſubduntur Miniſtro, & ſiniſtrarum notitiarum nubibus obſcurantur. Quid Tua, ſi Regni habeas habenas, ſi Regis habenas alter habet? Ille eſſet Cauſa prima, Tu ſecunda; ille principalis, Tu inſtrumentalis; ille Monarcha, tu Miniſter; ille herus, Tu famulus.

239. An-ne abſolutus eſſe Monarcha debet? Non aſſero: nam, me judice, Iuriſdictio abſoluta in Tyrannidem tranſit. Debet Rex ſubeſſe Empyreo Regum Regi, debet Rationi, debet Legibus juramento firmatis; non verò ex legi Miniſtri alicujus dictamini, & privato judicio.

De Causâ Finali.

OMnia perſtringo, & ſingula breviùs expono, ut horę terminis totam Phyſicam tractare queam. In medio ſum, & venio ad finem, quia DEVS eſt finis, qui eſt in medullis, & rerum univerſarum centro. Sed quomodo oſtendere potero DEVM eſſe rei Politicæ finem? Ab ipsâmet definitione. *Finis eſt, cujus gratiâ aliquid fit*, Ariſtotele teſte, 3. Mat. cap. 2. text. 3. At ſolius DEI eſt dare gratiam: Ergo ſolus DEVS eſt rerum univerſarum finis.

240. O quàm multa hinç illaturus eſſem, ni temporis anguſtiis premerer! Pono hoc unicum, gloriæ Divinæ contemptores nō eſſe Principes, imò nec Homines: & quia delectaris acuminibus, hoc propono. In hoc Homo animātes univerſas exſuperat, quòd propter finem operetur, quod aliæ non faciunt. At ſolus DEVS eſt finis, cujus gratiâ omnia fiunt, cujus providentiâ gubernantur: nō ergo eſt homo, qui non operatur propter DEVM.

De Causâ Exemplari.

AD Ideas & Exemplaria tranſeo, quæ tanti à veteribus facta, ut crediderint his ignoratis nullum ſapientem eſſe poſſe. Videri poteſt Auguſtinus, qui diſp. 25. Met. 1. 1. illuſtratur à Suario.

241. Strictiùs rem urgebat Plato, qui ut habeo ab Alexādrino Clemente lib. 4. Strom. ait, *Eum, qui Ideas contemplatur, victurum eſſe DEVM inter Homines*. Ecce jam patet via Principibus, ut vertantur in Deos. Occurrunt de Regum Divinitate aliqua, quę proderunt, ſi diſcutiantur. Olim enim Meſſeniorum Legati Philippo Regi narraverunt, decreviſſe Rempublicam propter ſummam rerum ab eo geſtarum gloriam & magnitudinem, in Deos ipſum referre. Sed Rex illis. Habet-ne veſtra Reſpublica poteſtatem faciendi Deos? Illi, Habet, inquiunt. Et Rex. Facite ergo primum vos ipſos Deos. Irriſit acutè vir prudens adulationem Meſſeniorum, qui cùm homines eſſent, Divinitatem aliis nundinabantur. Non poteſt Rex tranſire in DEVM, Reipublicæ favore aut reſcripto; non ambitione propriâ, ſed virtute. Si contempletur DEI ideam, CHRISTI imaginem, ſi eundem CHRISTVM Regum Regem, Deorum DEVM imitetur, erit ſimilis CHRISTO. & humanus virtuali participatione DEVS. Hac viâ Alexander Magnus, obtinere potuiſſet humanæ Divinitatis gloriam, quam fruſtra aliūdè procurabat. Primò enim ad apotheios in viam, cùm eſſet ægrotus, cogitavit. Voluit enim ſe clam pręcipitare in Euphratem, ut qui non appareret; ad Deos abiiſſe crederetur. Sed quia magni ſtaret Divinitas, quæ adquireretur mortis pretio, voluit præſtare audaciâ, quæ cautelâ non potuit, ſpirituque immoderato ſcripſit Græcis, Vt ſe Deorum ordini adnumerarent. Et aliis aliud ſtatuentibus,

Digitized by Google

bus, Lacedœmones hoc decretum pronunciant. *Siquidem Alexander Deus eſſe vult, Deus eſto.* Laconicè quidem & patrio more, ut hominis inſolentiam compeſcerent. [Ælianus lib. 2. cap. 18. Rhodig. lib. 3. cap. 5.]

242. O quàm multi hodie Principes etiã Chriſtiani, SERENISSIME REX, cultu Deos ęquare aut ſuperare volunt: quàm pauci modeſtiam ſectantur. Circumfer per Europam oculos, plurimos Alexandros, & pauciſſimos Philippos invenies. Poëta priſci ævi, *Primus in orbe Deos fecit Timor*, & ut video etiam hodie Deos faciendi authoritatem, quam non habuit Meſſeniorum Reſpublica, Timor habet. O quàm multi ſe in Euphratem præcipitant! ô quàm multi etiam alios, & dum Divinitatem venditant aut affectant, regiam ſuam exponunt majeſtatem ludibrio; & ubi divinitùs non obtinent humanitùs periclitantur. Vel attendite. Euphrates, ab *Ephrà* dictus, pulveres lutum & ſordes ſonat. Et carpit multorum Principum ſublimium audaciam, qui ſe majores ſomniant, quò in voluptatum lutum ſordeſque volutantur licentiùs. Non hac ad Deos, non hac ad cœlos viâ. *Mente Deos adire licet; non crimine ſummos*; ſed meditando, ſequendo, imitando. Ergo, MI FERDINANDE, Tibi Divinitatem, imò DEVM totum offero, non tamen quem dare non poſſum. Vt DEVM habeas, mente & voluntate indiges; illâ, ut eum apprehendas, & ejus Ideam cordi imprimas; iſtâ, ut ames. Si DEVM habes, Divinitatem habes; ſi hanc, per participationem es Deus.

243. Deus erat per participationẽ Paulus, quem audio inter alia ſublimia pronuntiata dicentem. *Vivo ego; jam non ego, ſed vivit in me CHRISTVS.* Ac ſi diceret; Tenent Peripatetici materiam primam exiſtere, non tamen ſubſiſtentiâ propriâ ſed animi. Sunt qui affirment, ſubſtantiam habere quidem partes, non propriâ ſed diviſibilitate quantitatis. Nõ eſt cur hæc aſſerta expendam, ſed tamen illis juvor, ut me ipſum cognoſcam & intelligam. *Vivo ego*, hoc eſt certum; *jam non ego*, hoc eſt, non vivo vitâ propriâ, *ſed vivit in me CHRISTVS*, nam vivo charitate & gratiâ, quæ ſunt prærogativæ datæ à CHRISTO. CHRISTVS vivit in me, & eadem Divinitas, quæ illum intrinſecè denominat, me extrinſecè afficit, ut ille ſit DEVS per eſſentiam Deitatæ propriâ; & ego etiam ſim Deus per participationem alienæ Deitatis virtute.

244. Et hoc ſenſu quicumq; Rex, Deus eſſe poſſet. Omnia verbo perſtringo: auream Regulam trado. *Cogita DEO digna, eadem loquere, eadem operare; morere mundo, in Te vivito CHRISTVS, & extrinſecâ donaberis divinitate.*

De Loco.

HÆc ſunt ſolida: ſed juvat internoſcere ſuperficialia. *Locus eſt ſuperficies ambientis corporis*, & ut video Locis non caret Aula. O quàm multi frequentant domos Regias, quorum ſingulis competit hęc definitio. Corpora ſunt carentia vitâ, carentia animâ, quotquot ſuperficiales homines ita ambiunt Palatinos honores, ut promotiones, DEO majoris faciant. Accurrunt & videntur homines, quia circumferunt ſuperficiem humanam; at carent fundo, non enim homines ſolidi, ſed merè ſuperficiales ſunt.

De Vacuo.

245 PRogredior ulteriùs & examino, An detur, aut dari poſſit vacuum? Et reſpondetur mihi, In arcibus Palatinis Regum dari, in pauperum caſis non dari. Aut dicito, quis negare poterit omnes illos, qui ſe totos Principi vendiderunt, eſſe homines vacuos, carentes ſubſtantiâ & eſſentiâ? Diſtinguit à brutis animantibus hominem arbitrii libertas & ratio: unde qui libertate & ratione caret, non eſt homo. Quàm autem indignum, ut divitias aſſequar vendere libertatem! Si ſemel libertate caruero, debebo & carere ratione: quò enim me beneficiis pluribus cumulaverit Princeps, eò ampliùs obſervare nutus ejus, & ad omnia oportebit ſervire: nimirùm, repere, volare; navigare, iter agere; indui ſago vel togâ: quieſcere, militare; laudare, vituperare; flere, ridere; & ut omnia verbo perſtringam, juſta aut injuſta ſint, omnibus obedire mandatis.

De Motu.

VEnio ad motum & definitionem naturæ; quæ definitur, *Principium motûs & quie-*

Digitized by Google

quietis. Et infero Aulam in rerum naturâ non eſſe; nam in ipsâ multa dantur motuum diverſorum principia;nulla quietis.

246. Quærunt ingenioſè mechanici, An motus perpetuus ſit poſſibilis? Negant plerique; ego illum de facto concedo. Et Aulam quamcumq; jubeo reſpici, in quâ omnes motu concitantur perpetuo. Aut fallor, aut in cordis amaritudine recogitabat Iob annos quos in Aulâ conſumpſerat; nam & Regulas fuit, & habuit amicos & conſiliarios Reges. Recogitans dies antiquos, & annos in Aulâ elapſos mente habens,ſic inquit:*Spiritus meus attenuabitur?* ſed cur? quia motu illi ſolvuntur, & ego curis perpetuis agitor, nec unquam quieſco. Sol in domibus privatis oritur ſuo tempore,& ſuo occidit; at in Aulâ,ſerò emergit, citò elabitur, *breviantur dies*, & omnes tam feſtini vivimus, ut *ſolum ſepulchrum ſuperſit. Non peccavi*; ſed quia præter perſonalia,etiam Miniſtrorum crimina imputantur Principibus, *in amaritudinibus moratur oculus meus. Libera me Domine* à me ipſo; & ſiquidem apud Te ſunt, qui gratia pleni, *pone me juxta Te, & cujuſvis manus pugnet contra me*: non enim datur creata authoritas, poteſtaſve, quæ me poſſit charitate exſpoliare. *Dies mei tranſierunt*, quoniam iſti quos vivo in Aulâ, ſunt populi mihi commiſſi, & non mei. *Cogitationes meæ*,quæ olim erant ſolamini, *diſſipatæ ſunt*; & turmatim invadunt *torquentes cor meum.* Nox videtur ad quietem animantibus univerſis conceſſa, & Palatini homines, ne cogantur tantiſper quieſcere, *noctem verterunt in diem,lucem in tenebras*; & tanta eſt apud ipſos rerum & elementorum confuſio,ut à die noctem, *& à tenebris ſperent diem*. Me Iove ſatum, & à Deorum ſanguine ortum cum Ethnicis etiam noſtri delirent, meam Ego Genealogiam percalleo, meam gentilitiam domum noſco.*Si ſuſtinuero*,ſi tantus ſim, quantus fuit Athlas, qui cœlos humeris fingitur ſuſtinuiſſe; ſi ſim Princeps, Rex, aut Imperator, & Orbem totum meis imperiis ſuſtineam,nec Domum,nec Parētes, nec Cognatos negabo. *Infernus domus mea* natalis fuit, quia in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea: *In tenebris ſtravi* infantiæ cunas in caligine & ignorantiâ adoleſcentiæ thalamos,Regii muneris thronos; Dicam DEO, Delicta juventutis meæ,& ignorantias meas ne memineris; & mortis *lectulum* in tenebris etiam ſternam. Alii nominantor Clariſſimi; memor ego obſcuritatem & ignorantiam rerum patior, ſed quia domum meam, & meos gentiles ſcio, multum ſcio. Fœtori & *Putredini dixi, pater meus* & *mater mea* es Tu. Corruptio eſt ſoror mea, *Vermes* uterini ſunt fratres. Si hæc vera:*Vbi eſt ergo nunc præſtolatio mea*,ubi majeſtas, ubi regalis elatio & authoritas? Vnde humiliter habeo, & unde ſuperbeſcam non habeo. Quiete careo: motu perpetuo agitor, doloribus perennibus crucior;refrigerium nō oro, patientiam oro; *quia patientia mea tu es Dominus DEVS meus.*

De Infinito.

247 SI ſic diſcurrit Iob, quis è nobis tricas, quis fraudes, ſimulationes, & diſſimulationes Aulæ enumeret? infinita materia eſt, quæ tamen percurritur à multis, tametſi infinitum non poſſe percurri dicatur, Amant infinitatem plurimi,& tametſi DEVS infinitus ſit, non curant DEVM. Singuli volunt eſſe cauſæ primæ; nulluſque alteri, ſi poſſit præcipere,obedit.

Si daretur Homo infinitus, principio careret & fine, ſingula membra eſſent inter ſe æqualia, imò etiam Toti. Et Aulicus, cùm ſe immenſum delirat, ſuæ familiæ tenuitatem obliterat: finem,qui manſit in Republicâ homines ſuperbi, non cogitant; membrum ſe Reipublicæ dicit, nec minus Capite; nec minus Totâ.

De Ente Entium.

248 HÆc eſt Aulæ ſchiographia, hæc orthographia,hæc facies.Nullam in ſpecie depinxi, nullam excluſi; nolui enim ita in ſpecie loqui,ut aliquā determinatè tangerem; nec ita genericè, ut ad ſpeciem contrahi & reduci non poſſem. Scio aliquos eſſe bonos in Aulâ, hos non condemno,ſed commendo. At quia video plures in ſiniſtras declinare ſententias, terreor, & cùm Ariſtotele, librorum Phyſicorum Authore, ingemino, *Cauſa cauſarum fave mihi.Ens entium miſerere mei.* Beneficiorum vinculis, favorum catenis,munerum laqueis,ſum cruci palatinæ ſuffixus?

Digitized by Google

fixus? me Aula compedibus aureis,& circulis argenteis detinet? Volo omnia frangere, deſerere,fugere. Doleo,atteror,conteror: *Volo diſſolvi & eſſe cum CHRISTO.*

249. Si rem bene conſiderem.non eſt intrinſecè malum eſſe in Aulâ;multi enim Cæſares, Reges & Principes ab Aulâ aſcenderunt ad DEUM: & tamen ſæpè eſt malum & pernitioſum eſſe in Aulâ; & Ego, ut naufragium caveam, duos modos Aulicorum reperio. Alii liberi ſunt, ligati alii. Nemo ex iſtis audet æquum ab iniquo,juſtum ab injuſto diſtinguere, ſed potiùs ad utrumq; paratus dicit Principi,*Tuum,ò Rex Magne,quid optes explorare labor;mihi juſſa faceſſere fas eſt.* Illi verò, *Amicus Princeps,ſed magis amica veritas. Obedientia ſervanda eſt uſq; ad aras. Præſtat legi divinæ, quàm humanæ obedire.* Qui aureâ iſtâ libertate fruuntur,ſunt in ipſomet Palatio inter miſeros & infœlices fœliciſſimi;utiles,imò & neceſſarii Reipublicæ:quos qui tollat,opulentiſſimas Regiones certiſſimo exponat periculo.

250. Aperi igitur teneros oculos, SERENISSIME REX, ut ipſis audias quæ à Tuis famulis & miniſtris dicuntur. Res eſt difficilis adulationem à ſinceritate diſtinguere, nec Auris huic judicio ſufficit, ni Oculum Aſſeſſorem habeat. Auribus igitur oculatis, auritis oculis ſingula accuratè perpende. Audies dulcia & amara;at raró ſunt meliora,quę dulcia. Ne reſpuas alexipharmacum propter amaritudinem; nec Medicum qui ſalutiferum amarorem delibat, minoris facias Paraſito, qui mortifera gaudia,& dulcedinem venenoſam propinat. Sic vive, ſic age, ſic procede: & dabis tranquillitatem populo, & faventibus cœlis & terrâ regnabis fęlicibus annis. DIXI.

ORATIO XIII.

De Gratia & Culpa.

Ad proprietates Mundi Elementaris explicatis.

E*Numerantur Elementa. An Ignis elementum ſit? An Terra, Aqua, Aër? An diſtinguantur accidentibus?* 251. *Exponitur moraliter Terra.* 251.252. *Aqua.*254. *Aër.*258.*Ignis.*260. *Mendacia aulica.* 251.260.*Terra punctum.*251. *Homo terra. Pectus hominis peccatoris infernus.* 252. *An Pietas ſit auſtera vel hilaris? An bona conſcientia mœrere poſſit?* 253.254. *Aqua Protheus. Gratia Aqua.* 255. 257. *Apoſtolorum ingenia.* 256. *Omnibus omnia.* 258. *Muſica.*259. *Amor conjugis ſimiles & diſſimiles ſeparat.* 260. *Cœli Echo. Peregrinarum impreſſionum eſt incapax.* 261.

DOMINE. &c.

251 SVblunaris idem qui elementaris Mundus; nimirùm,globus iſte, qui ex Terrâ, Aquâ, & Aëre conſtruitur; quibus nõnulli addunt Ignem, ut ſublunarem Mundum quatuor elementis cõponant. Et quidem,ſi rem bene diſcutio,multa eſſe in Aula Sphœræ igneæ ſimillima nemo negare poterit. Illa enim nec ſenſu percipitur, nec à motu colligitur, nec ratione probatur, nec divinâ revelatione proponitur, & tamen conſtanter aſſeritur, & vera creditur: & eodem prorſus modo multa obtinuerunt inter Aulicos, quæ ſenſus reprobet, ratio refutet, revelatio condemnet, & tamen præſcripſiſſe dicuntur, nec poſſe alterari, aut mutari. Hinc tot errores,falſitates,mendacia, detractiones, calumniæ, quæ ſub ſpecie veri tranſeunt, cum ſummâ ſingulorum jacturâ. Igitur mendacia omnia, Mundi Aulici Igneũ Elementum conſtituunt; inviſa enim ſunt, & ta-

Digitized by Google

tamen magna cauſant incendia. Et Sphœra Ignis, Elementaris Mundi mendacium Philoſophicum eſt, ſine ullo fundamento confictum. Porrò de Elementorum conſtitutione & diſtinctione multa alii; nos autem experientiæ & rationi plus quàm authoritati deferentes, putamus non cur Elementa hęc majori quàm primarum qualitatum differentiâ accidentali diſtinguamus. Terram enim dicimus *corpus ſiccum & frigidum*; Aquam *corpus frigidum & humidum*; Aërem *corpus humidum & calidum*; Ignem *corpus calidum & ſiccum*: conveniunt enim vniverſa Elementa in ratione Corporis, & differunt meris accidentibus; duobus ſingula conſtituuntur, altero ſummè intenſo, & altero nonnihil remiſſo; Terræ enim ſiccitas in ſummo eſt, frigiditas verò propè ſummum,&c. Vt verbo dicam omnia hæc Elementa conſiderata quoad ſubſtantiam ſunt ejuſdem infimæ ſpeciei,at conſiderata quoad accidentia & qualitates ſpecie differunt,conſtituuntur enim qualitatibus diſtinctis ſpecie. Et ſi hoc verum, quare *Elementa naturalia* vocantur? ſi hoc falſum, cur non evaginantur demonſtrationum gladii, & contrarium oſtenditur.Ego in re dubiâ,auderem ridere ipſum elementorum nomen, diſtinctionem eorumdem ſubſtantialem negare, accidentalem concedere, nec tamen omninò qualem Peripatetici. Terram eſſe ſiccam, Aquam humidam, Ignem calidum,ſcio; qualis ſit Aër omninò neſcio; de frigore Terræ & Aquæ, & Ignis ſiccitate ſubdubito; & quo magis rem examino, non reperio cur debeat potiùs Aquæ quàm vino, Terræ quàm Arbori aut Bruto etiam, aut Homini nomen *Elementi* competere. Sed quia mea ignorantia nihil mutat in re, ſtabo communi ſententiæ;& quæ à Peripateticis dicta moraliter dilucidabo.

Moralis Terræ Meditatio.

MIraris Terræ magnitudinem? Oculos ſurſum eleva. intuere cœlos, ſingulas ſtellas contemplare; & doctior demùm mihi reſponſurus advenias. Sic diſcurro. Sydus maximum, collatum cum toto cœlo punctum eſt; ſydus minimum collatum cum terrâ magnum eſt; terra igitur collata cum cœlo aut punctum eſt, aut minor puncto. Sanè, ſi tam exigua tellus eſt, cur in ipsâ controverſiæ & difficultates tam eximiæ? Elementorum infimum & viliſſimum,cujus potiundę causâ maxima bella inter Principes,maximæ lites inter pauperes controvertuntur.

252. ☙ Meritò homo peccator comparatur telluri; terra enim ipſe eſt, & in terram ibit. Terra ſuperficies eſt aſpera, fracta,hians, turgens,& illi ſimilis peccatoris conſcientia, inæqualis iniqua; rupta corrupta,fracta(frangit enim in verecundè legem DEI, & omne agens in agendo repatitur) hiat profundiſſimè (quoniam abyſſus abyſſum invocat, & peccato peccatum viam aperit)& turget vanâ gloriâ & ſuperbiâ. Telluris centrum, Cacodœmonum ſedes, Angelorum damnatorum imperium, Animarum impœnitentium carcer; in quo nullus omninò ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. Hæc eſt regio,quæ *Infernus* dicitur, & Spirituum infidelium imperium. Huic per omnia ſimile Hominis cor mortifero peccato infectũ. Eſt Luciferi thronus,Sathanę ſolium,Dœmonum domicilium. Ac ſi ſincerè loquar, cor peccatoris hominis Inferno pejus & ignobilius eſt: nam Inferni malitia jam neceſſaria eſt,gratiâ enim cœleſti denegatâ nullus ad DEVM Diabolus converti poteſt, etſi velit: at Hominis viventis malitia major eſt,quoniam libera & voluntaria eſt; favores ſuos divina clementia communicat, illoſq; omnes humana malitia contemnit: ut non ſolùm peccati, ſed & contumaciæ ſit rea.

253. ☙ Ergo, Tu Puer, Tu Iuvenis, Tu Adoleſcens, ne ætati floridæ aduleris. Si mortifero peccato inquinaris, Dœmones corde, dum vivis, concipis; & ab ipſis poſt mortem concipieris. Vive DEO, moriaris Mundo, & bravium ambiens ita ſtadium percurre, ut dicere cum Paulo poſſis, *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri IESV-CHRISTI, per quem mihi Mundus crucifixus eſt, & Ego mundo.* Sic agas; & ita in terrâ homo terrenus deges,ut converſatio tua in cœlis ſit,& Angelicus eſſe credaris.

Moralis Aquæ Meditatio.

EST controverſia obſcura, & quæ ingenia fœliciſſima torſit,quę inquirit,An Pietas & Spiritûs Sancti participium cum genio hilari

lari componi poſſit?hoc eſt, An ſolus ille ſanctus dici poſſit, qui auſterus;an etiam, qui jovialis & facilis ?

254. Cognovi homines aliàs ſanctos & pios, tantâ melancholiâ & ſeveritate oppreſſos,ut recreari viderentur doloribus & nutriri tormentis.His diſplicebat animi quæcumq; relaxatio ; omneſq; ſuaviter ſervientes DEO remiſſi & tepidi , ne dicam , peccatores viſi. Contrà cognovi & alios ſummè DEVM diligentes,qui nullis turbarentur miſeriis; ſemper lætos & hilares ; qui non poterant ullo modo intelligere , quo eſſet poſſibile animam *nil conſcire ſibi,nullâ palleſcere culpa*, & tamen anxiam & triſtem vitam agere. Et hodie Ego, ut examinem , An in mœrore Sanctitas, an in jubilo & lætitiâ conſiſtat , Aquam contemplandam produco,cujus ideâ inſtructus quæſtionem deciſurus ſum .

255. Aqua una eſt , & tamen ipsâ ſumma plantarum multitudo nutritur . Et quia nutritio alimentum in aliti ſubſtantiam convertit, aqua in diverſas ſpecies plantarum inducta, diverſis naturis ſe attemperat, & quaſi Proteus quidam,uniformis cùm ſit,in diſtantiſſimas ſpecies [loquor vulgo , & ideò cum vulgo debeo]tranſit. Sugitur ab iſtâ arbore,& pyrum eſt;ab illâ , & in ceraſum vertitur ; ab hac ebibitur,& in pomum convertitur:& tandem ab iſtâ plantâ exhauſta tranſit in roſam vel in florem. Hæreo quidem attonitus,& inquiro,An-ne tam diverſi & diſtantes effectus ab unicâ causâ proveniant?& ſi ab unicâ,Vnde tanta varietas & diſſimilitudo procedat? Et reſpondes , Aquam , tametſi eſſentiâ ſimplicem,eſſe multiplicem virtute; & omnibus ipſam arborum & plantarum naturis & ingeniis mirabiliter attemperari.

256. Audio attentè,& ingenium illumino, & quid debeam reſpondere percipio. Petrus fuit fortis,Ioannes dulcis,Barnabas ſeverus ; Paulus conſtans ; & alii etiam Apoſtoli vario fuerunt præditi genio & ingenio . An caruit gratiâ aliquis ? an Spiritûs Sancti fuit expers?Minimè;nam ſi Iudam excipias,à manu DEI juſto judicio derelictum,omnes fuerunt ſanctiſſimi,& multa paſſi propter DEVM. Arbores fuerunt plantatæ in domo Domini , & aquâ ſalutari rigatæ; aquâ quidem,quæ ſe ſingulorum naturæ & genio accommodabat . Petrus ingenio fortis , gratiâ præditus , Romanum Populum , mundi terrorem animosè deſpexit, & ſuperſtitionem gentilitiam cruci affixus triumphavit. Ioannes ingenio potens, genio dulcis , gratiæ ſuavitatem delibans , in CHRISTI pectore recubuit, & apocalypſes cœlitus habitas ingeniosè depinxit , tot myſteria proponens , quot dictiones ſcribens . Barnabas difficilis fuit Paulo difficili ; gratia enim mavult ſeveritatem ipſam in DEVM dirigere, quàm hominum ingenium alterare. Paulus doctrinæ tenax maluit Petro reſiſtere,Barnabæ opponi, quàm ad latum unguem à recto virtutis itinere clementiæ causâ declinare.Cenſebat rigorem præponendum clementiæ, & quia gravi ratione ductus, opinabatur ſanctè: contrà Petrus & Barnabas, clementiam fortiter & ſeverè tuebantur , non contradicendi ſtudio, ſed mero virtutis amore . Et quidem in tam diverſis & contentioſis reſolutionibus cor erat univerſorum unum , gratia una , ſpiritus unus ; omnium enim voluntas in DEI majorem gloriam collimabat , & tota differentia in dictaminis naturalis prudenti varietate fuit ſita.

257. Stat ergo gratiam , tametſi hominum vita ſit, eſſe à quâ omnia ; nimirum aquæ ſimilem , à qua omnia (ſicut Philoſophis placet) ducuntur . Nam ſicut aqua una eſt , & tamen omnibus ſe ingeniis & naturis attemperat;ſic etiam gratia,una cùm ſit,multiplex dici poteſt,quòd ingeniis omnibus attemperetur.Quam ob rem,non ideò neganda eſt melancholicis, quòd lætis data ; nec ideò neganda hilaribus, quòd triſtibus ſit attributa:omnibus enim omnia eſt,& omnibus communicatur. Ipſa, ſi bene rem examines, ſano robur eſt,ægroto ſalus,laſſo quies,ſitienti ambroſia,& eſurienti panis. Ipſa eſt naufrago tabula, naviganti portus, & periclitanti ſecuritas . Ipſa eſt formaliter unica , & virtualiter plurima; Divinæ naturæ participium,omnem virtutem continens , omni efficaciâ exuberans,totum DEVM communicans,& effectus parturiens multiformes.

Moralis Aëris Meditatio.

258 EST lemma communiſſimum,*Conveniunt rebus nomina ſæpè ſuis* , quod tamen non judicas reprehenſione carere,cùm multos videas peſſimis moribus infectos ; &

N au-

Digitized by Google

auguſtis nominibus condecoratos, & quia Heroïcum Paulo lemma fuit: OMNIBVS OMNIA, doceri vis quo ille modo proceſſerit, qui omnibus omnia fuit: quo proceſſerit modo Benedictus, qui Paulo ſimilis; quo debeamus procedere, ſi ſatisfacere lemmati gentilitio velimus. Et reſpondeo à Meditatione aëris reſolutionem deſumendam.

259. Spiritus DEI quodammodo eſt omnia, & ideò ſpiritus (hoc eſt, aër) dicitur; quod elementum hoc hujus ſit optimæ prærogativæ ſymbolum. Templum adis & muſicam audis excellentem. Ibi diverſas tubas inflant, & vario concentu & ſtrepitu clangunt. Nonnè admiraris varietatem? Et ſanè aër ipſiſſimus per tibiam, cornu, tubam, fiſtulam, Buccinam, & Lituum emiſſus, fidibus chelios, cytharę, teſtudinis, & lyra exſciſſus, aut etiam in cymbalis, tympanis, & metallis contuſus cauſat diverſas reſonantias. Idem à pectore emiſſus ſpiritus in diverſis Animalibus diverſus eſt. Leo enim rugit, Elephas barrit, Equus hinnit, Aſinus rudit, Lupus ululat, Canis latrat, Bos mugit, Ovis balat, & homo fortè ideò vocatur à Cicerone multiplex, quòd tametſi unicus loquatur, rideat, lugeat, cantet, & millenis modis voce utatur.

260. Ecce idem aër quodammodo eſt omnia, & Spiritûs divini imago; univerſis ſe attemperat, & omnibus ingeniis utens, ſapientiæ ſummæ argumentum oſtendit.

Moralis Ignis Meditatio.

GRatia DEI Igni ſimilis, nullâ ignis prærogativâ carens. Multæ ſunt, quas enumerare non libet, ſed ne omnes omittere videar, unam aut alteram adjungo. Homogenea conjungere, & ſeparare heterogenea Ignis proprietas eſt. Ponis ob oculos humilis auri globum mixtione aliorum metallorum infecti, & deſideras auri ſubſtantiam nobilem à vili quocumque alio metallo ſeparare? Dabo facilem modum. In ignem proiice, & ſi caloris excellentiâ liqueſcat, purificabitur omninò, omnemque materiam metalli vilioris exhalans, puram ſubſtantiam retinebit. Feciſti. video. Globum etiam homogeneæ materiæ, auri optimi habes, & quia alium Franciſcus habet ſimilem, qui poſſint continuari; & redigi in unum, inquitis. Reponam eumdem modum. illos in ignem proiice, etſi caloris excellentiâ liqueſcant, poterunt continuari. Hinc tranſeo ad mores. DEVS ignis conſumens eſt, venit ipſe ignem mittere in terram, & vult ut ardeat. DEVS charitas eſt, & qui manet in charitate in DEO manet, & DEVS in eo. Amor conjungit & conglutinat ſimiles, diſſimiles & ipſe ſeparat. Idem Amor, qui DEO ſancto Hominem ſanctum unit, ſeparat peccatorem; amat enim ſimilitudinem, & invenit ſimiles, aut facit.

ERGO.

SERENISSIME REX, ab Elementis diſce, Cœli enarrant Gloriam DEI, & opera manuum ejus annunciat firmamentum. Vox quatuor Elementorum, vocis cœleſtis echo eſt, & pariformiter DEVM laudans. Terra Te monet originem Tuam; tametſi SERENISSIMVS ſis, Terra es, & in Terram ibis. Aqua dicitur frigida & liquida; & apud Te multi ſunt homines nihil ſolidi habentes, qui frigidâ ſuâ adulatione graviſſimas miſerias inferunt. Aëris eſſentiales qualitates ignoro, ſed & multorum etiam, qui in Tuis Regnis habent dignitates magnificas. Titius exſerit phlegma ſub ſpecie coleræ; Semphronius coleram ſub ſpecie phlegmatis; Theodomirus eſt ſangvinolentus, & vult dici ſangvineus; & Elvirius Terræ filius, videtur eſſe Patriæ terror. Quid de Igne dicam? Creditur non probatur. Idem de Aulicorum colloquiis: multa ardua & difficilia dicuntur; pauca aut nulla probantur.

261. Supra Elementarem globum eſt cœlum peregrinarum imperfectionum incapax; ſupra Aulæ & Vrbis tempeſtuoſas procellas ſis Rex, turbationum extrinſecarum expers; tranquillus, quietus, imò immobilis; cœlo ſimilis; ita in terris agens, ut in Empyreo videaris converſari. Vt ſic vivas, ſic procedas, ſic agas, POTENTISSIME REX, *intende proſperè, procede & regna.*

ME-

METAPHYSICA SACRAMENTALIS, SEV ORATIO EVANGELICA.

De multiplici tranſſubſtantiatione.

Scripta Furſtenveldiæ in Bavariâ, Die Corporis CHRISTI. *Anno* M.DC.XLVI.

ARGVMENTVM.

262 TRIA in hac Evangelica Oratione componimus, Veritatem ſanguinis Euchariſtici, CHRISTI ſanguinem Mellifluo Bernardo oranti propinatum, & B. MARIAE Bojorum Ducis ſanguinem per calumniam effuſum, qui fuit occaſio fundandæ Furſtenfeldiæ. Sed quia ſcientibus in Oratione loquimur, exteros præveniemus, ut prælectis pauculis iſtis lineis, non habeant ubi hærere poſſint.

I. De Veritate Sacramenti Euchariſtici, in quo ſub ſpeciebus panis & vini verè & realiter ſubſtat corpus & ſanguis CHRISTI Domini, nîl occurrit ſpeciale dicendum; Catholici enim credimus CHRISTO dicenti [Ioann. 6.] *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus; qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo.* quod ad numeros, ante multos Ego annos reduxi, & cecini,

In CHRISTI *corpus ſanguis convertitur; atque*
CHRISTI *eſt jam, vinum quod fuit antè, cruor*
Sacramentalis rerum eſt converſio mira;
Hanc oculis credit, ſed videt una Fides.

Et quidem in hoc Sacramento Heterodoxi merâ pertinaciâ excœcantur; quia ubi metaphoricam tranſſubſtantiationem admittunt, & veram renuunt, neceſſariò dicturi ſunt, erraſſe CHRISTVM, & dixiſſe debere, *Caro mea metaphoricè eſt cibus, & ſanguis meus metaphoricè eſt potus; qui manducat meam carnem metaphoricam, & bibit meum metaphoricum ſanguinem, in me metaphoricè manet, & etiam ego in illo metaphoricè.* Quæ nullo componi modo poſſunt, cum verbis à Ioanne ſcriptis & à CHRISTO prolatis.

Accedit, ne nimiùm in re liquidâ hæream, verba conſecrationis ex Pauli Epiſtolâ ad Corinthios & Evangeliſtis deſumpta, debere intelligi phyſicè, non metaphoricè. Ipſa ſunt; HOC EST CORPVS MEVM, *quod pro vobis tradetur*; HIC EST CALIX SANGVINIS MEI, *qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum*. [Non pono ut jubentur dici, ſed ut in gymnaſiis proponi ſolent: non enim in argumento curatur accidentalis differentia.] Hæc igitur, ſi in ſenſu verò & reali intelligantur, æquivalebunt iſtis, *Hoc eſt verè & realiter corpus meum, quod verè & realiter pro vobis tradetur. Hic eſt calix mei veri & realis ſanguinis,*

nis, qui pro vobis verè & realiter effundetur in veram & realem remiſſionem peccatorum. Sin verò in ſenſu ſumantur metaphorico, æquivalebunt iſtis, *Hoc eſt metaphoricè corpus meum, quod pro vobis metaphoricè tradetur. Hic eſt calix mei metaphorici ſanguinis, qui pro vobis metaphoricè effundetur, in metaphoricam peccatorum remiſſionem.* Puto quidem omnia hæc debere conſequenter à Calviniſtis delirari; & tamen corpus CHRISTI non fuiſſe metaphoricè traditum, non crucifixum metaphoricè, ſanguinemque illum ſanctiſſimum non fuiſſe metaphoricè effuſum (ne illos de metaphoricâ peccatorum remiſſione ſugillem) nemo cœcus ignorat. Non addo verbum; hæc enim inſtantia meo judicio eſt tam fortis, ut non ſit, cur multum cum Sacramentariis diſputemus.

II. Inter millenos Bernardo meo exhibitos favores divinitùs, eximius amplexus ille creditur, qui quoniam variè referri ſoleat, prudenter à noſtro Zamorâ repetitus aſſeritur, non enim occurrit, cur non voluerit DEVS ſæpiùs honorare ſuum ſervum, favore illo, quem ſemel aut iterum præſtitiſſe extra dubium & controverſiam eſt. Prodigium ſic noſter Villalpandos ediſſerit. [Orans pientiſſimus Præſul Claravalle, coram ſtatuâ Crucifixi lapideâ, impetu devotionis abripitur, & illam devotè amplexatur. Illa vinciri brachiis humanis patitur; & in divini teſtimonium amoris Bernardum amplexantem revincit, pectoris vulnus ori applicat, *Bibe Bernarde*, ait, & ſanguinis hauſtum propinat. Palpat ſub ſpeciebus humanæ carnis ſtatuam lapideam Bernardus; & ſub ſpeciebus ſanguinis multos favores ebibit, quos dignatus fuit illi DEVS divinitùs communicare.]

III. Ordinis S.Bernardi(ſic Ciſtertienſis audit)eſt Furſtenveldenſe Monaſterium; erigitur à Ludovico Severo, ob cædem B. MARIAE Brabantinæ, Vxoris ſuæ, innocentiſſimæ Viraginis; quam ob falſam & temerariam violatæ fidei ſuſpicionem manu Carnificis decapitat anno CHRISTI M.CC.LII. Præeſt ibi Reverendiſs. D.D. Martinus Dalmat, optimus Dominus & Amicus meus, multis titulis magnus; ſub quo floret Pietas, Obſervantia, & Religio cum Eccleſiaſticorum fructu; & ædificatione Sœcularium.

263. Non ita eſt ſpeciale Declamationis argumentum, ut pluribus ſervire non poſſit. Quæ de Sacramento venerabili dicuntur, non dependent à reliquis. Quæ de B. Bernardo: ubique aſſumi poterunt. Et tandem, quæ de B.MARIAE Brabantinæ ſanguine, poterunt in ſimili ſolemnitate ponderari, Monaſteria enim ob Principum exorbitantias erecta, in Orbe Terrarum ſunt multa.

ORATIO XIV.

De Sacramento Venerabili.

PRoponuntur dicenda.264. Ordo Ciſtertienſis in Bernardo ulnis devotionis devincit DEVM. revincitur à DEO. Tranſſubſtantiatio in inſtanti conficitur. 265. Qui fiat? Species nobiliorum Angelorum pauciores ſunt, ſed plura objecta repræſentant. 266. Thomas Aquinas, Angelus. 266.271. DEVS unus in ſubſtantia, trinus in perſonis: CHRISTVS unus in perſonâ, & trinus in ſubſtantiâ. 267. An Verbum Divinum; cùm induit Humanitatem Divinitatem exuerit? Homo inſenſibilis. 269. Homo DEVS. Participandi DEI modus multiplex. Gratia, Gloria, Viſio beatifica. Effectus Euchariſtici. 270. Nova Metaphyſica. 271. Sacramentalis tranſſcendentia, Quid & quotuplex ſit prædicatum tranſſcendens. Sacramentalis Entitas. 272. Res, Veritas. 273. Aliquiditas. 274. Vnitas. 275. Subcineritius Eliæ panis Euchariſtici ſymbolum. 273. Euchariſtia aliis omnibus Sacramentis nobilior. 274. Quid & quotuplex Vnitas ſit? An Sacramentalis Vnitas ſit Generica, Specifica, an Individualis? 275. Eſt Generica, nam cauſat effectus diſtinctos ſpecie. Accidentia ſine ſubjecto. 276. Pars Toti æqualis. Parelii Solis. 277. An detur Parelii Parelius? CHRISTVS Sol, Bernardus CHRISTI Solis Parelius, Brabantina Maria Parelia Parelii Bernardi. Omnes Religioſi comedunt Fundatorum peccata, & Furſtenveldenſes ſanguinem Fundatricis.

For-

Digitized by Google

Forma exiſtentiâ Materia, & Furſtenveldia exiſtit exiſtentiâ Mariani ſanguinis. An ſi Adam non peccaſſet, CHRISTVS venturus fuiſſet? An ſi Ludovicus non peccaſſet, Maria decapitanda fuiſſet? An ſi Marianus ſanguis non fuiſſet effuſus, fuiſſet hoc erectum? 278. *Furſtenveldia promiſſa Carthuſianis, cur Ciſtertienſibus donata? Silentium optimè continuatur; optimè concionatur; optimè obſervatur in reformatis Ordinis Ciſtertienſis Monaſteriis, Campus Figuli, Campus ſanguinis, Campus Principum.* 278. 279. *Ad menſam ſicut ad crucem ſicut ad menſam.* 281. *Fundatorum mens, cùm Regularia Monaſteria ditarunt.* 282. *Religioſus, qui ſordeſcit in ſtatu peccati mortalis, furatur ex altari cibos quos comedit, & ad reſtitutionem tenetur.* 284. *Examen conſcientiæ & contritionis actus prandio præmittitur laudabili Ciſtertienſium more, ut ſi quod DEVS avertat, aliquem peccaſſe contingat, ad DEVM redeat, & poſſit licitè cibos regulares comedere, qui non ſunt peccatoribus dati.* 282. *Monachi ſunt ad lugendum conducti; Crines cordis cogitationes ſunt.* 283.

CONVERSIO DEI in Hominem, qualis? an deſierit terminus à quo? 267. *ad* 270. *Converſio Hominis in DEVM. Panis & vini in corpus & ſanguinem CHRISTI.* 264. 270. 274. 276. 277. 279. *Crucifixi lapidei in ſpeciem carnis ſanguine exuberantis.* 264. 276. 277. 278. *Mariani ſanguinis in panem & vinum, imò & lapides.* 264. 277. 278. 279. 280. *Sanguinis Chriſtiani & Mariani diſcrimen, convenientiaque.* 280. *Converſio Virginei lactis in verba melliflua.* 265. *Ignominia in gloriam. Veteris Adam in novum.* 264. *Ludovici juvenis in ſenem; crinium rufforum in canos.* 283. *Cogitationum obſcurarum & maculatarum in candidas.* 283.

264 GRandi olim lætitiâ ſuffuſus Poëta dulcis canebat,

Proſpera lux oritur, lingviſq; animiſq; favete,
Nunc dicenda bono ſunt bona verba die.

Et ego fœliciorem diem video, bona dicere verba potiore obligatione teneor; at careo Spiritu Genioque, qui digna inſpirent. Dies eſt panis & vini ſacramentali trãſſubſtãtiationi ſacer: porrò ſpecies panis viniq; oculis corporeis videmus; panem; vinum decredimus, ſenſui negamus fidem, & orthodoxâ certitudine ducti, veri DEI, veri Hominis, verum corpus & ſangvinem verum adoramus; *nam cùm ſenſus deficit, ad firmandum cor ſincerum ſola Fides ſufficit*. Sed qualis hæc devota Communitas? Ciſtertienſis brachiis CHRISTI devincta, brachiis CHRISTVM in Bernardo devinciens, & ſub ſangvinis Divini ſpeciebus, bibens Amorem DEI, non ſangvinem. Sed ubi? In Campo Principum, in hoc Ciſtertienſi Cœnobio, ubi Beatæ Viraginis Mariæ ſangvis verſus in vinum panemq; Angelos terrigenas alit, qui in hac Furſtenveldenſi valle laudant DEVM. Et ut quid? Vt ejuſdem B. MARIAE ignominioſa mors in gloriam & laudem convertatur; ut præcox Ludovici impetus nemini ſcandalo, nemini exemplo, ſed univerſis ſit cautelæ; & ferociſſimos Leones in mitiſſimos Agnos convertat. Et ne nos inter tot metamorphoſes transformationi reſiſtamus, ut vetus ille Adam qui in nobis latitat, qui per ſenſus ſe inſinuat, per concupiſcentias & voluntates ſerpit, in novũ Adam tranſeat, & nos Empyreum transferens, in Deos humanos Divinitatis infinitæ participes ſecurè & feſtivè convertat.

265. Cùm igitur tot ſint mihi hodie transfigurationes, tot metamorphoſes, tot tranſſubſtantiationes explicandæ, rectè ad Metamorphoſeon authorem recurritur, ut cognoſcatur indigentia; rectè cum illo dicitur,

Proſpera lux oritur, linguiſque animiſq; favete;
Nunc dicenda bono ſunt bona verba die.

Vel ſi ſanctiora placent carmina,

Sacris ſolemniis juncta ſint gaudia,
Et ex præcordiis ſonent præconia;
Recedant vetera, nova ſint omnia,
Corda, voces, & opera.

Sed quia non ſufficit indigentiam noviſſe, ſed oportet etiam remedium implorare: bono verbo indigentes Mariam ejuſdem Verbi parentem accurramus, oremuſque ut ſicut olim ſub ſpeciebus veri lactis verba Bernardo dedit, quæ ille dulciſſimè eructaret, ſic & nobis ad ejus genua provolutis infundat, *Quæ dicenda bono ſunt bona verba die*. Nobis inquam, devotiſſimè orantibus & affectuoſiſſimè dicentibus, AVE MARIA.

Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Ioann. Cap. 6.

266 DIcturus plurima horæ ſpatium videbatur breviſſimum; ſed jam longiſ-

giſſimum dicenti, quoniam tranſſubſtantiatio in inſtanti conficitur, deberetque etiam in inſtanti explicari. Sed quoniam tardior eſt mente lingua, tolerabitur, ut quod illa ictu oculi concipit, hæc uberiùs dilucidet, & fuſiùs explicet.

Rem enarro. ſic in matutinis eam lectionibus ab Angelico Doctore audivi, *Vnigenitus ſiquidem Dei Filius, ſuæ Divinitatis volens nos eſſe participes, naturam noſtram aſſumpſit, ut Homines Deos faceret, factus Homo. & hoc inſuper, quod de noſtro aſſumpſit corpore totum nobis contulit ad Salutem; corpus namq; ſuum pro noſtrâ reconciliatione in Arâ crucis hoſtiam obtulit Deo Patri; ſuum Sanguinem fudit in pretium ſimul & lavacrum, ut redempti à miſerabili ſervitute, à peccatis omnibus mundaremur & ut tanti Beneficii jugis in nobis maneret memoria, tranſcendens omnem plenitudinem largitatis, omnem modum dilectionis excedens, corpus ſuum in cibum, & Sanguinem ſuum in potum ſub ſpecie Panis & Vini ſumentibus fidelibus ſuis dereliquit.* Audivi Angelicum Doctorem multa paucis complexum, & doceor veriſſimè dici in ſchola Angelos nobiliores paucioribus inſtructos ſpeciebus plura objecta eâq; nobiliùs exprimere. Nam, ut videmus propriis oculis, ut & aure percipimus, Angelus ſupremæ hierarchiæ Aquinas eſt, & ſub ſimpliciſſimis panis & vini ſpeciebus plura concipit, plura intelligit, quàm omnes ſimul Angeli ſpeciebus innumeris, in eadem ſchola, liberalitate Conditoris conceſſis. Specie vini totum DEVM totum ſpecie vini Angelicus Doctor intelligit, adeòq; unâ ſpecie uniuerſa, quoniam DEVS eminentiâ virtutis univerſa complectitur. Sed quæ à Verbo facta, & ab Angelo Aquinate verbo dicta, ut capiamus apertiùs pluribus verbis repetamus.

267. Duas ipſe primò metamorphoſes, duas mirabiles transformationes, imò ſi caſtam habeas aurem, nec plùs audias quàm dicitur, duas, tranſſubſtantiationes recenſet. Deus enim, ut Homines Deos faceret, factus eſt homo. Solet in metamorphoſibus humanis, comes eſſe mutatio, deſinere terminus *à quo* (Theologus ſum, Theologos adloquor; nec fugero voces, Theologicas) at hæc metamorphoſis eſt omninò mirabilis; omnis enim mutatio abeſt; & terminus *à quo* termino *ad quem* coëxiſtit. Deus induit Hominem, non exuit Deum; & Homo Humanitatem retinens in Deum tranſit. O trinus Deus! ô trinus Homo! omnia in illo, omnia in iſto ſunt cœleſtia prodigia, omnia portenta, omnia ſenſûs aciem exſuperantia, & ſolis fidei oculis perceptibilia. Deus, quem adoro, Trinus & Vnus eſt: Homo, quem hodie colo, etiam eſt Vnus, etiam Trinus; ille Vnus in naturâ, & Trinus in Perſonis; nam Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, tres ſunt Hypoſtaſes ſed unus Deus: hic unus in Perſonâ, & trinus in naturâ eſt. Vnus quidem omninò, non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate perſonæ; nam ſicut Anima rationalis & caro unus eſt Homo, ita DEVS & HOMO unus eſt CHRISTVS. Et tamen trinus in naturâ, Divinâ enim ſubſiſtentia unam increatam naturam, & duas creatas (nimirum, Divinam, Rationalem, Corpoream, vel quod idem eſt, Deitatem, Animam, & Corpus) ſuſtinet.

268. Sanè, ſi loquar phyſicè, æterni Patris filius, quin DEVS eſſe deſineret, factus eſt Homo; at loquendo moraliter, virtualiter, hoc eſt, ſecundùm apparentiam, ut fieret Homo, deſiit eſſe DEVS nam ut inter homines converſaretur, teſte Apoſtolo, ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens; exinanivit quidem, hoc eſt, Divinitatis majeſtatem depoſuit; non phyſicè, id enim repugnaret omninò; ſed *virtualiter*: quia tametſi DEVS manſerit immortalis, æternus; ita ſe habere voluit, ac ſi nec æternus, nec immortalis, nec DEVS eſſet.

269. Et quia contrariorum eadem eſt ratio; cùm DEVS ſit Homo, docet Hominem quî debeat fieri DEVS. Aperi oculos, Orthodoxe Fidelis; exinanivit ſe DEVS non phyſicè ſed moraliter, ut formam ſervi acciperet: & tu illius exemplo debes te exinanire ut formam DEI accipias, ut in DEVM tranſeas. Debes te exinanire quidem, non phyſicè, ſed tantùm virtualiter; Non jubet impoſſibilia DEVS, & juberet omninò poſſibilia, ſi præciperet ut corpus materialitate exueres, & animum malis inclinationibus; non jubet, igitur ne corpus habeas phyſicè, ne phyſicè concupiſcentias ſentias; ſed ne illud habeas virtualiter, & ne virtualiter ſentiſcas iſtas. Hoc eſt, ut tametſi corporeus verè ſis, & verè concupiſcentiis agiteris; ita te habeas in ope-

operationibus tuis, ac ſi corporis gravitate,& concupiſcentiarum ſuggeſtione careres. Et quidem ſi ſemel obedias præcipienti, & corpus moraliter exuas, eris moraliter Spiritus, imò & DEVS, divinæ naturæ participio.

270. Sed quo-nam iſta modo participabitur? Multifariam quidem & multis modis loquutus eſt olim DEVS Patribus in Prophetis, ut participaretur per fidem; at noviſſimè loquutus eſt nobis in Filio, ut participaretur per naturam, per gratiam, per gloriam. Per naturam quidem, in Incarnationis myſterioſo prodigio, prodigioſo favore; ibi enim naturam Divinam & Humanam, non moraliter ut Neſtorius delirat, ſed verè & realiter unitas in unâ perſonâ videmus; ſed quia hæc ipſa naturæ Divinæ participatio verè & realiter uni ſoli convenit Homini, non omnibus, ſe DEVS convertit in ſacramentalem cibum,potumque ut ab omnibus recipi poſſet. Ecce Chriſtiane in Euchariſtiæ ſacramento, tametſi comedere videaris panem, vinum bibere:CHRISTVM verum DEVM, & verum Hominem verè & realiter recipis; CHRISTVM comedis,& CHRISTVM bibis; CHRISTO nutriris,mirabili modo, vix conceptibili, ne vix quidem dicibili; verò tamen.Porrò,ſi ſingula accuratè diſcutiam,nullus iſto eſt ſalubrior cibus, nullum potentiùs ſacramentum. Illo enim purgantur peccata, eradicantur vitia, implantantur novæ virtutes, augentur veteres; corpus & ejus concupiſcentiæ ſubiguntur, & ſpiritus omnium ſupernaturalium chariſmatum abundantiâ, quâ *Gratiam* vocamus,impinguatur. Gratiâ quidem, ut hac nobis conceſſa iterum DEVM participemus; ipſa enim Divinæ naturæ eſſe participium aſſeritur; ut hac elevati dum vivimus,gloriam cœleſtem,hoc eſt,ejuſdem Divinæ naturæ ſublimius participium mereamur; quoniam empyreæ gloriæ beatitudo in beatificâ viſione ſita,Homines Deiformes efficit;ibi enim,teſte Doctore Angelico,Divina natura, impreſſæ imò etiam expreſſæ ſpeciei concurſum ſupplens, menti unita animum elevat, redditque DEO ſimilem, hoc eſt, videntem DEVM ſicuti eſt.

271. Sed quia eodem Angelo Aquinate aſſerente, hoc euchariſticum arcanum *tranſſcendens omnem plenitudinem largitatis, omnem modum dilectionis excedit*; tu exceſſum fateris, & tranſſcendentiam explicari deſideras. Et ego,quoniam ſubtilitatibus Metaphyſicis recreor,adſum,& rem expono.

Vocatur in Primâ Philoſophiâ prædicatum tranſſcendens, quod in ultimis formalitatibus imbibitur, & de univerſis prædicatur; qualia ſunt *Ens,Res, Verum, Bonum, Aliquid, Vnum*.unde,cùm D.Thomas huic Sacramento Venerabili tranſſcendentiam adtribuit, illud eſſe Ens,Rem, Verum,Bonum,Aliquid,& Vnum,affirmat. Eia Anime,aperi oculos, nova enim adeſt Metaphyſica, quæ debet altiùs examinari.

272. ENS eſt ſummum atq; ſupremum prædicatum,ſub unâ ſpecie expreſſâ univerſa comprehendens;& Euchariſtia,& ſummum atque ſupremum ſacramentum ſub unâ ſpecie (panis nempe vel vini) comprehendens omnia; nempe comprehendens CHRISTVM, adeòque omnia comprehendentem DEVM.

RES eſt, & non titulus ſine re, hoc divinum prodigium; non enim audiuntur Calviniani, qui in ipſo negant rem, & ſignificationem admittunt: *Quid hoc ſacramento mirabiliùs?* exclamavit hodie D.Thomas. Et admirationis cauſam & motivum ſubjungens, *In ipſo*, ait, *panis & vinum in corpus CHRISTI & ſangvinem* (non jam metaphoricè, ſed) *ſubſtantialiter convertuntur: ideòq; CHRISTVS, DEVS & Homo perfectus ſub modici panis ſpecie continetur.*

273. Tranſſcendit hoc Sacramentum VERITAS; in eo enim reperitur & verus DEVS, & verus Homo, & vera ratio Sacramenti; nam ut dilucidè S.Ioannes Chryſoſtomus Homiliâ de proditione Iudæ, ait, *Ille agnus futuri fuit agni typus, & ille ſangvis Dominici ſangvinis monſtrabat adventum: & ovis illa fuit ovis ſpiritualis exemplum. Ille agnus umbra fuit, hic VERITAS.* & ut in Miſſa legimus. *Vetuſtatem novitas, umbram fugat VERITAS, noctem lux eliminat.*

Tranſſcendit hoc etiam Sacramentum ut BONITAS, nam ſi hæc voluntatem potentiam dilectivam concernit, *hoc*, ut ait D.Thomas, *omnem modum dilectionis excedit*. Panis quidem eſt, ſed panis bonus;nam ut canit Ciſtertienſis Religiò, *Angelorum eſcâ nutris populum tuum Domine, panem de cœlo dans nobis omne delectamentũ in ſe habentem ſubſtantiam* (divitiarum ſuarum) *& dulcedinem* (bonitatis ſuæ

ſuæ) *in filios oſtendendo.* Bonus fuit ſubcinericius ille panis qui cœlitùs conceſſus Eliæ, quem ſurgens comedit,& ambulavit in fortitudine cibi illius uſq; ad montem DEI Oreb. Et ut video hujus ſacramentalis cibi imago, panis Euchariſtici umbra; hunc enim homo, qui in peccatis jacebat per confeſſionem ſurgens comedit, & in hujus panis fortitudine ambulat, quouſque ad montem DEI veniat (intelligo cœlum empyreum) & intueatur ipſum DEVM.

274.☙Sed reſtat ALIQVID, ut omnes Tranſcendentiæ gradus tranſcendam, & oſtendam Euchariſtiam eſſe ſacramentaliter *Aliquid*,hoc eſt, *Aliud quid*.S.Thomas. *Quid hoc convivio pretioſius eſſe poteſt, in quo non carnes vitulorum aut hircorum,ut olim in lege; ſed nobis CHRISTVS ſumendus proponitur,verus DEVS?* Ac ſi diceret; Quidditatem ſacramentalem ſuam habuere antiquæ legis ſacramenta:ſuam habet Euchariſticum,ſed hoc eſt *aliud quid*, à reliquis omninò diverſum, tantò illis nobilius & pretioſius, quantò umbrâ lux,& figurâ prototypus.

Et ut Tranſſcendentia, quæ in ſe termino caret, in expoſitione habeat terminum, claudet conceptum iſtum VNITAS, cujus differentiæ & diſcrimina relucent mirabiliter in Euchariſtiæ ſacramento. Sic definitur Vnum; *Vnum eſt indiviſum in ſe, & diviſum à quolibet alio*, ſic definit eximias prærogativas Sacramenti. Doctor Angelus;*Manducatur à fidelibus, ſed minimè laceratur*(eſt enim unum, & indiviſum in ſe)*quinimò diviſo Sacramento* (nempe,ita ut una pars dividatur à quâlibet aliâ) *integer ſub quâlibet diviſionis particulâ* (CHRISTVS DOMINVS)*perſeverat.*Vnde in Miſsâ,*Caro cibus,ſanguis potus;manet tamen CHRISTVS totus ſub utrâque ſpecie. A ſumente non conciſus, non contractus,non diviſus, integer accipitur. Sumit unus,ſumunt mille; quantum iſti,tantum ille; nec ſumptus conſumitur. ——Fracto demum Sacramento, ne vacilles, ſed memento, tantum eſſe ſub fragmento, quantum toto tegitur. Nulla rei fit ſciſſura,ſigni tantùm fit fractura; quâ nec ſtatus nec ſtatura ſignati minuitur.*

275.☙Sed quia diverſæ ſunt *Vnitatum* ſpecies examinare proderit quænam Sacramento conveniat? nimirùm,An illi competat Geometrica, ſpecificâ, an verò Individualis.

Pro hac ultimâ viderentur agere Angelici Doctoris verba. *Quàm ſingularis & admiranda liberalitas*, ait, *ubi dator venit in donum,& datum eſt idem penitùs cum datore*. Sed quoniam unitas ſingularis uni ſoli convenit, & Sacramentum multis communicatur. Illâ excluſâ an etiam excludam ſpecificam? Excludam ſanè,& genericam Sacramento unitatem concedam, dicamque cauſare effectus diſtinctos ſpecie; & ad diſpoſitionem ſubiectorum oppoſitos & incompoſſibiles. Si dignè recipiatur,vita eſt;mors ſi indignè. Vitam eſſe cecinimus ad Primam dicentes, *In mundi primordiis homo primus mortis eſcam ſuis poſteris propinavit: ſed ſecundus, qui de cælo venit, mundis corde ſe tribuit eſcam vitæ*. Eſſe mortem,ad Nonam,cùm diximus,*Quicumq;manducaverit panem hunc, & biberit calicem Domini indignè,reus erit corporis & ſanguinis Domini.* Vnde in Miſſæ Hymno,*Sumunt boni,ſumunt mali, ſorte tamen inæquali vitæ vel interitus.Mors eſt malis vita bonis:vide paris ſumptionis,quàm ſit diſpar exitus.*

276.☙Omnia quidem ſunt mira, omnia arcana, in hac ſacramentali Metaphyſicâ, in Euchariſtica hac Philoſophia, Mirabilis eſt eſſentia, mirabilis ipſa exiſtentia, mirabilia tranſſcendentia attributa, & totum etiam ſacramentum mirabile.Ad entis diviſionem venio, & ſubſtantiam & accidentia miraculosè conſiſtentia conſidero. *Accidentia ſine ſubjecto*, ait S.Doctor, *in eodem exiſtunt, ut fides locum habeat,dum inviſibile viſibiliter ſumitur*(alias, *indiviſibile diviſibiliter*) *alienâ ſpecie occultatum, ut ſenſus immunes à deceptione reddantur, qui de accidentibus indicant ſibi notis.* Hîc corruunt Peripateticorum principia, accidentibus extra ſubjectum conſervatis; labaſcunt Mathematica,non enim ſunt plus duo, quam unum,nec pars eſt minor toto. Sub ſpeciebus panis continetur CHRISTVS, continetur ſub ſpeciebus vini; totus in toto, totus in quâlibet particulâ; non enim plus continetur ſub utrâque ſpecie, quàm ſub alterâ; non plus in toto,quàm in parte;unde.

Poſt agnum typicum,expletis epulis,
Corpus Dominicum datum diſcipulis,
Sic totum omnibus,quod totum ſingulis,
Ejus fatemur manibus.

Fatemur cum totâ Eccleſiâ Romanâ Ciſtercienſes,qui multifariam multiſque modis ſangui-

gui-

guinem Christi,bibimus nimirum in Altari verum ſanguinem Christi ſub ſpeciebus vini, & hoc cum Apoſtolis & Orthodoxis univerſis, ſapientiamque cœleſtem ſub ſpeciebus ſanguinis; & hoc ſpecialiter cum Mellifluo Bernardo. Orabat,pientiſſimus Antiſtes, & *Chriſti pendentis Imago ſolvit in amplexus brachia nexa ſuos*. Orabat, & auditur; imo oſculari vulnus pectoris divini meruit & audire, *Bibe Bernarde*. Bibit liquorem ſibi propinatum devotiſſimus Pater, & ut in officio ejuſdem legimus, *Accepit Vir Sāctus à Domino* (nimirum ſub ſpeciebus Chriſtiani ſanguinis)*poteſtatem in præceptis, teſtimonia veritatis docere ſubditos, & in lege DEI lucem dare populo.* Ergo ſicut ſub ſpeciebus, activis quæ habent potentiam operandi; & ſub paſſivis, quales ſunt lux,colores,& reliquæ qualitates ſenſibiles, conceſſis cœlitus in veri panis & vini teſtimonium, ut utriuſque ſubſtantia à reliquis aliis cognoſcatur,non eſt verus panis aut vinũ, ſed Christi corpus ſanguiſque: ſic etiam in mellifluo convivio, ſub ſpeciebus veri corporis Christi, lapis latitat (marmoream hanc ſtatuam fuiſſe noſter Villalpandus oſtendit)& ſub veri ſanguinis ſimilitudine moralis activitas, quam poteſtatem præceptorum; gratia, quam teſtimonium dicebamus bibitur; & gloriæ lumen (lucem Dei vocabamus)ſperatur.

277.☞Video duo hic Sacramenta admiranda; verum, alterum, alterum veri Sacramenti parelion,& ſtupēda ſacramentalis Veritatis imago. Nec mirum Parelion attribuamus Sacramento Euchariſtico;Parelius enim, illa imago ſolis eſt, quam Hiſpani nominamus *Reſolem*,& in nubibus pingitur; & in Sacramento venerabili Sol adeſt,nec nubes deſunt.Homilia de Iudæ proditione Chryſoſtomus, *Ille agnus umbra fuit,hic veritas,ſed poſtquam Sol Iuſtitiæ radiavit,umbra ſolvitur luce,& ideò in ipsâ menſâ utrumque Paſcha,& typi & veritatis celebratum eſt.* Ecce Solem Euchariſticum, ecce umbram nubem-ve typicam,adeoque ne mirere *Reſolem*. Parelios veri Solis meus Bernardus eſt,non verus Sol;& corpus ſanguiſque Christi, quod in ulnis ejus contemplor, quem in ejus labiis ſuſpicio, fuit Euchariſtici ſacramenti imago & ſimilitudo Parallela, non verò verum ſacramētum. Et quoniam Pareliorum etiam dātur Parelii Christi Solis Parelius meus Bernardus fuit,& Maria Brabantina Parelia Bernardi Reſolis. Iñ Sacramento Altaris mirabilis relucet converſio,rarior in Mellifluo,& rariſſima in Furſtenveldenſi. Omnia plena ſunt Sacramentis, nec tamen hæc ſecundaria Euchariſtico addita augent numerum, ſed illud in nube fidei ſub variâ ſpecie repræſentant. Cerne Euchariſtiam, & ſub ſpeciebus panis vinique, nec panem, nec vinum, ſed corpus ſanguinemque Christi collo appendentem Bernardum, & vulnerati lateris cruorem bibentem, & ſub ſpeciebus corporis & ſanguinis Domini nec corpus nec ſanguinem Dominicum reperies ſed lapidem. Et qui lapidem converſum in ſanguinem, tu Bernardus biberet marmoream conſtantiam, propinari vidiſti; converte in Furſtenveldiam oculos, & videbis non ſine Sacramento ſanguinem converſum in lapides. Sanguinē inquam Beatæ Mariæ, Brabantinæ Viraginis, Bavaræ Ducis, manu Carnificis effuſum; iniquitatem actionis, paſſionis æquitatem teſtantem. Sanguinem videlicet Mariæ, quam auſu temerario damnatam, authoritate publicâ Ludovicus V. quem *Severum* aliàs, at hîc *Crudelem* dixero,juſſit decapitari. Hujus enim innocentiſſimæ Ducis ſanguis, converſus eſt in lapides; etiam in panem vinumque ut ſive comedamus ſeu bibamus,nihil comedamus omninò præter peccata fundatoris nihil præter ſanguinem Fundatricis bibamus. Cernis prædeſtinatos iſtos? nullus eſſet, ſi Christi ſanguis effuſus non eſſet: Cernis hos monachos? nullus hîc eſſet, ni Mariæ cruor effuſus eſſet.Omnes enim & ſinguli cœlo ut termino ſanguine Christi; & Furſtenveldiæ ut viæ Mariæ ſanguine fuerunt prædeſtinati. Si quæras rationem,ob quam hæc Eccleſia ſubrigitur,hæc adnectuntur ædificia,tot hominibus tantòq; hæc domus cenſu à Ducibus Bavariæ dotatur; ſanguis eſt. Marianus ſanguis ſub his figuris & ſpeciebus latitat, & in hæc omnia & ſingula dicitur pretioſus iſte ſanguis converti,ſiquidem omnia hæc & ſingula exiſtunt exiſtentiâ hujus ſanguinis,non ſecus ac formæ exiſtentiâ materiæ.

278.☞Quærunt Theologi, An ſi Adam non peccaſſet; Christus venturus fuiſſet? & ſi fuiſſet,An in arbore crucis effudiſſet ſuum ſanguinem? & ſi non effudiſſet,An reli-

Digitized by Google

quiſſet nobis corpus ſanguinemque in ſacramento Altaris? Quærunt,inquam;controvertunt, examinant; & quia ad ſpeculationem omnia potiùs quàm ad praxim deſerviunt, in claſſes & ſententias diviſi,quid negari aut aſſeri debeat controvertunt. At ego ſubtiliore hac quæſtione Authoribus ſuis derelictâ dimitto alas, & ex DEO ad creaturas deſcendens inveſtigo, An ſi Ludovicus non peccaſſet, Beatæ noſtræ Mariæ ſanguis fuiſſet effuſus?Et ſi non fuiſſet,An-ne fuiſſet in hoc monaſterium converſus? Et quidem ad utrumq; negativè reſpondeo. quoniam Marianæ cædis cauſa fuit unica Ludovici temeritas; & ſanguis innocens cauſa unica ob quam erecta fuerit Furſtenveldia.

Sed cur ipſa Ordini Ciſtertienſi tradita? cur non relicta Carthuſianis, quibus ſub initium promiſſa? An-ne quærebantur æterni Prædicatores condemnatæ innocentiæ, nec hoc ſubire munus poterant, qui ſemper tacent? Non credo; quoniam ſilentium potentiſſimè eloquitur, nec malè concionari creduntur qui bene tacent; non enim ſilentium deordinatis Carthuſianorum monaſteriis,vel Berengario Scholaſtico Petri Abäilardi diſcipulo, Mellei Bernardi æmulo adnotante, obſervatur; nec violatur in illis Ciſtertienſibus, quæ bene ordinata dicuntur. Non latet hîc quæſtionis regulus; quoniam ſi religioſè vivitur,utrobique tacetur;& ſi irreligioſè,neutrubi, ergo exiſtimo ideò re meliùs conſideratâ has ædes Ordini Ciſtertienſi conceſſas, quia erant pretium ſanguinis quod videbatur potiùs,quam Carthuſiano, rigori Ciſtertienſi congruere.Traditur CHRISTVS, & argentei illi qui fuerant innocentiæ pretium, non mittuntur in corbonam, ſeu ærarium publicum, quia pretium ſanguinis eſt. Sed inito conſilio emitur illis ager figuli in ſepulturam Peregrinorum, & ideò ager ille dicitur *Haceldama*, hoc eſt, *Ager ſanguinis*, uſq; in præſentem diem.Biberat mellifluus meus Bernardus lapideum ſanguinem, cum è marmoreo Crucifixo; adeòque nulli aptiùs lapides ſanguinei dari poterant,quàm mellifluo Bernardo. Et quidem pretio ſanguinis ager iſte fuit emptus,& in Peregrinorum ſepulturam.Omnes quidem,dum vivimus,peregrinamur, non tamen omnes ſepeliuntur.Sed illi tantum,qui mundo moriuntur, antequàm à mundo occidantur. tales ſunt Religioſi, qui gloriantur in cruce Domini noſtri IESV-CHRISTI, per quē mundus illis crucifixus eſt,& ipſi mundo.

279. ☙Vos igitur Reverendi Patres, qui agrum figuli colitis(omnis enim homo in manu Domini,ut lutum eſt in manu figuli.)Vos, inquam,qui *Hacel-dama*, hoc eſt, *Cāpum ſanguinis* habitatis,oculos aperite. Vos peregrini eſtis; & ſunt ſepulchrum peregrinorum iſti muri. Sindo, quâ olim involvemini, cuculla eſt, quam circumferitis, quam recepiſtis cùm trino vos voto conſecrando, Dœmoni,Mundo & Carni trinum,Vale dixiſtis.Ergo dedeceret omninò, ſi velletis videri vivi, quando eſtis mortui;ſiquidem voluiſti videris mortui, quando vivi.

Viri ſanguinum eſtis; ſanguinem comeditis & bibitis; Chriſti in altari, & Mariæ in menſâ; & quidem rei ſanguinis ejuſdem, ſi indignè. Sub ſpeciebus panis & vini in templo corpus & ſanguinem apponit vobis omnipotentia conditoris; & in cœnaculo ſub ſpeciebus panis vinique Beatæ Mariæ corpus fœdè decapitatum, ſanguinem crudeliter effuſum Ludovici ad DEVM converſi humilitas; nimirùm Ludovici dicentis, *Peccavimus cum Patribus noſtris, injuſtè egimus cum uxore noſtrâ, & ejus occidendo pediſequas, iniquitatem fecimus; interceſſio ergo nos, quæſumus Domine, Beati Furſtenveldenſis Monaſterii commendet, ut veniam quam noſtris meritis non valemus, ejus patrocinio adſequamur.* Contractus juxta Regulam Iuris LXXXV. ex conventione legem accipit.Redactus eſt ad tabulas, & ſtatuis firmatus. Ecce in hoc eodem Templo immediatè ante chorum pendet in Evangelii latere,(ergo doceamini tam veram eſſe iſtam obligationem, ut poni apud Evangelium potuerit) pendet inquam antiqua tabula,& in ipsâ Princeps, Antiſteſq;in D.Bernardi præſentiâ. *Diſpenſate Fratres*, ille ait, *naturaliter Homo tenetur; & ad antidota æquo jure quiſque obligatur.* ac ſi diceret. *Matrimonii naturale vinculum impetu temerario violavi,Vno ictu Mariæ,olim meæ,abſtuli vitam & honorem. Naturaliter teneor DEO, teneor piis Manibus innocentis occiſæ; ad antidota humili devotione confugio;ut quà poſſim innocētiæ damnatæ ſatisfaciam. Vos interpono interceſſores apud DEVM,præcones apud DEVM, præcones apud homines,ut mihi reconcilietis illum,meque*

apud

Digitized by Google

apud univerſos accuſando & Mariæ vitâ dignæ innocentiam,& meam compaſſione dignam pænitentiam perenni ſtudio commendetis. Diſpenſate igitur ſobriè & ſanctè, quia pretium ſanguinis eſt. Reſpondet nomine ſuorum ſucceſſorum Antiſtes, *Tu Princeps cerne,qui Fratres objurgo ſeverè ni tui ſint memores ſacras libando preces.* nec quærendum, An ſucceſſuros poſſit obligare Anteceſſor? quoniam obligatio realis eſt, bonis impoſita, quâ carebit Communitas, cùm bona reſtituat Fundatori.

280. At Ego inter CHRISTI & Mariæ corpus & ſanguinem, quæ ſub ſpeciebus panis & vini celebro, inter plurimas alias hâc præcipuè differentiam reperio. *Offertur hoc Sacramentum in Eccleſiâ*, ait Angelicus Doctor, *pro vivis & mortuis, ut omnibus proſit, quod eſt pro ſalute omnium inſtitutum.* At Marianæ innocentiæ corpus truncum, ſanguis exuberans (quorum pretio quidquid comeditur, quidquid bibitur, quidquid veſtitur & protegitur, emitur) offertur in hoc monaſterio non ſimul vivis mortuiſque ut proſit omnibus, & dicatur pro ſalute univerſorum inſtitutum; Sed Religioſis ſolùm mortuis mundo, hoc eſt, mortificatis ſanctiſque ut periclitantes Fundatores ſuâ interventione ſuffulciant. Ego igitur, ſi quod avertat DEVS, comedo aut bibo indignus, quod à Principe Sanctis Monachis legatum eſt, judicium mihi manduco & bibo, rebus alienis invito abutor Domino, & in illam ſententiam incido, *Dignus eſt beneficio privari, qui abutitur favore conceſſo.*

281. Jam intelligo, cur Meus Bernardus Eccleſiam Refectoriumque, Altare & Menſam componendo, ſcitè dixerit, *Ad menſam ſicut ad crucem, ad crucem ſicut ad menſam.* Conſonat enim menſa menſæ, & convivium convivio. Convivæ ſumus CHRISTI in altari in menſâ Ludovici ſeveri: ille panem Angelicum peccatoribus impœnitentibus non porrigit, nec iſte Monachis irreligioſis. Quiſquis peccati reus conviva eſſe CHRISTI præſumit, corporis & ſanguinis Divini raptor eſt; raptor qui malus cùm ſit, & ineptus qui poſſit DEVM Ludovico placare, Mariæ ſanguinem à nemine conceſſum ebibit. Si Raptor, reus. Et ſi Reus, miſer & multis conſequentiis quæ poſſent inferri gravatus.

282. Hîc multa poſſem dicere, multa ponderare, multa urgere; ſi minus neceſſaria huic loco, qui Sanctus eſt, congruentia quidem aliis, qui Sancti non ſunt, & tamen Principum liberalitate ſuſtentantur. Nolo inſerere ſcrupulos, & tamen opto aperire univerſorum oculos, & oſtendere non fuiſſe Fundatorum mentem ſuos ſpoliare filios, ut peccatores opibus abuſuros ditarent; ſed merè voluiſſe ſanctos, alere, quorum orationibus adjuvarentur.

Quam ob rem, ſicut verum eſt operarium ſtipendio eſſe dignum; ita etiam deſidem, qui operari non vult, non poſſe ſtipendium recipere, & ſi illud recipiat ad reſtitutionem teneri.

283. Igitur Reverendi Patres, noſmetipſos probemus, & ut licitè Mariano utamur ſanguine, dignè Chriſtiano utamur. Sciamuſque prudentiſſimè examen conſcientiæ & actum contritionis communi Refectioni præmitti, qui enim cibos regulares manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit, cibos alienos ſuffurando. Aperiamus vel tandem mentis oculos; & ſiquidem mortui mundo ſumus, humanitùs ſuſcitari nolimus. Siquidem funeream ſindonem in hac cucullâ trahimus, ob oculos geramus mortem, & ita vivamus in carne, ac ſi jam revera eſſemus mortui. Meminerimus Ludovici ſeveri. Mariam, puriſſimam ſponſam ſuam occîdit, & ſtatim pœnitentiâ ductus flevit amarè, ut incanuerit illâ nocte (ſic Hiſtoriæ habent) voluit enim DEVS veræ pœnitentiæ favere, & inſinuare, ſicut crines nigri materiali lachrymarum rigore fuerunt dealbati, ſic & animam contritionis virtute. Porrò crines cordis, aſſerente Gregorio, cogitationes ſunt; & noſtri nigri, quoniam noſtræ ſunt malæ. Auſu temerario peccavimus, Animam ſponſam CHRISTI occidimus; lugeamus ergo quouſque dolore incaneſcamus: quouſque, crines cordis, cogitationes mentis, maculas quibus inficiuntur, deponant; & candore donentur. Lugeamus igitur; delicta juventutis noſtræ, imò etiam ſenectutis eluamus lachrymis; eluamus etiam lachrymis peccata noſtrorum Fundatorum, ad lugendum conducti. Et ubi utrique obligationi ſatisfecerimus, mente caſtâ, corpore puro, CHRISTI corpus & ſanguinem, ſub ſpeciebus panis & vini ſuſcipiamus devotè, noſtrorum etiam Ducum


O 2 me-

Digitized by Google

memores, ut tenemur ex tabulis, ut vel ſic, quia dignus eſt operarius mercede ſuâ, ſecurè poſſimus refici Mariano ſanguine, qui nobis in menſa regulari ſub ſpecie ciborum apponitur, & ſub potûs ſpecie propinatur. Oremus DEVM Opt. Max. ut qui in hac vitâ hujus Beatæ Viraginis martyrio nutrimur, & tolerantiâ ædificamur, ejuſdem omniumque cum ipsâ piè defunctorum Principum patrocinio ſuffulti, & ſuperſtitem, Invictiſſimum Pientiſſimumque Maximilianum, noſtrâ oratione ſuffulcientes, faventeſque univerſis noſtræ pietatis indigis, tandem aliquando aſſumamur in Cœlum, oculis corporeis viſuri illum illum, quem hodie latentem ſub panis & vini ſpeciebus oculis fidei cernimus, & B. Mariæ Bavariç Duci, cujus ſanguine ſub panis & vini ſpeciebus modo mirabili, ſed jam expoſito, nutrimur, adſociandi. DIXI.

284. [El pulpito no tiene poſte,] *ait Hiſpanus; ut ſignificet oratoriè dicta, non debere ad rigorem ſcholæ reduci; ideò Avendañus in Mariali ſerm. 1. diſcurſ. 1. in margine.* No haze poſte eſte concepto, *ait; hoc eſt,* Non debent hîc metaphyſicè intelligi, quæ politicè dicta. *Sed tu, qui omnia ſeverè examinas, inquiris, An-ne verè Religioſus, qui veſcitur cibis regularibus in peccato mortali, peccet? & ſi peccet, an mortaliter? & ſi mortaliter, an teneatur ad reſtitutionem?*

Reſpondeo igitur ſtando rigori Scholaſtico, in Communitatis bonis reperiri data, & labore aut etiam hæreditariò ſuſcepta. Et totam difficultatem verſari circa prioris generis bona, quoniam de ſecundis nemo dubitat licitè poſſe impendi etiam ab Hominibus exiſtentibus in peccato mortali. Sed agendo de bonis prioris generis, hoc eſt, à Fundatoribus conceſſis, ſentio vires difficultatis. Eſt Iuris Regula LXXXI. In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veroſimiliter in ſpecie conceſſurus. *Vndè tametſi Fundatores generaliter bona ſua Religioſis conceſſerint, quærendum eſſet, quid reſponderent, ſi conſulerentur de his quæſtionibus. nimirùm,* PRIMO; An vellent illa bona concedere, ut religioſi luxurioſè & delitioſè viverent, nec aliud die noctèq; quàm opum abuſum cogitarent? *SECVNDO*; An mallent Religioſos genio indulgentes bonis ſpoliari, ut eadem ſanctis aliis concederentur? *TERTIO*; An velint in eodem Monaſterio æquale ius habere in bona ſanctos, quorum orationibus Fundatores juvantur, ac exiſtentes in peccato mortali, æternæ ſalutis incurios, qui vel non orant, vel mortuo modo, ita ut nullus ſit orationis fructus, qui fundatoribus applicari poſſit? *Aut fallor, aut reſponderent, ad primum, ſe nolle omninò ſuis eleemoſynis fovere peccata; ad ſecundum dignos, qui exſpolientur favoribus, qui eis abutuntur. Et huc uſq; videor ſecurè Fundatorum mentem interpretari. Hærebo reſponſurus ad tertium. Scio plurimos eſſe dicturos, Religioſum ſordeſcentem in peccato mortali eſſe indignum ſtipendio officii, & occupare iniuſtè locum, in quo alius ſervire poſſet* DEO. *Adeòq; illi non deberi alimenta; & conſequenter, eum quoties capit indebita, ad reſtitutionem teneri. Sed alii prudentiùs poſſent dicere, tamdiù Religioſum eſſe mercenarium non indignum humanâ mercede, quamdiù humanitùs obligationibus ſatisfacit; quamdiù non peccat cum aliorum conſcientiâ & ſcandalo, & pænitentias regulares acceptat; quoniam incorrigibiles nullum jus habere ad commoditates monaſterii extra omnem controverſiam eſt. Sed hoc alibi uberiùs & exactiùs.*



ME-

Digitized by Google

METAPHYSICA CARMELITANA.

PIIS MANIBVS

Eruditiſſimi & Reverendiſſimi D.D. Leandri Bandtij, S.T.P. denominati Abbatis Diſenbergenſis jam ut ſpero, Cæli In cola.

285 PAtere Magne Spiritus,ut etiam poſt exceſſum Te alloquar;& ſaucii pectoris intimos receſſus exponam. Te,Te,Angele mi, cecîdit Parca, & multos tetigit; nec mirùm vulneris dolorem non ſenſeris, ſiquidem ille à cordis Tui conſtantiâ exul, Tuorum pectora invaſerat.Ceſſiſti fatis ante diem:aut veriùs Tibi ante diem ceſſerunt fata;quibus victis hac lachrymarum valle exceſſiſti, & triumphans in Patriam remeaſti. Præſtat Cœlum Tellure;& ideò Animus ille Tuus, hac relictâ optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eo. Æquum eſt,ut Sol, quibus oritur,occidat; impoſſibile tamen, ut antequam Meridiem ſubeat præſtoletur Occaſum: & quidem fœlicitate ingenii Sol fuiſti ab ipſomet horoſcopo,etiam inter teneros pueros,quos à primis lineis & elementis præcelluiſti,& morum elegantiâ,labii potentiâ,mentis ſubtilitate,ut *Poli Stellas ſolet inter Aſtra Luna minores*,obſcuraſti. Antequam Meridiem vitæ attingeres, ab oculis ſublatus es. Occidiſſe Te crederem, ni Aſtronomiam Scientiarum Reginam percallerem; ſed quia hæc ignorat Occaſum Solis adoleſcentis,cùm te ſublatum video,non Occaſum ſed Eclipſin inclamo. Sanè Ecclipſis Solem non extinguit,ſed occulit;undè & Tu corporis ſepoſitione Ecclipſatus,non extingueris,ſed occultaris. Deliquii finem deſcribunt & definiunt Tabulæ; Ætherei Aſtronomicæ; Humani Sanctæ. Reſtituitur oculis æthereus Sol,cum Lunæ tyrannidem evadens radios impeditos revibrat;reſtituêris & Tu,cum à ſepulchralibus umbris corpus eruens,radios vitales immortalis reſpires.

286. Quàm multa,quàm alta, quàm vera à Tuo ſilentio edoceor! Quàm certa addiſco! Eras mihi,dum viveres, Spes altera. Habui Andream Herreram,ſummi Ingenii Virum, Spem primam:Mors,quæ meliores videtur interlegere illum abſtulit;ut viderem Immortalitatem illam Nominis, quam ſcientiarum Inventores affectant, DEI unius gloriâ ſine commixtione humani concurſus,fundari. Speculationes ille meas, etiam dum Pueri eſſemus, tanti fecit, ut nec defenderit alias, nec aliter; idipſum Theologiam profeſſus præſtitit, multaſq; à Me acutè inventas Theſes magno ingenio firmavit. Dum grandia meditor, quæ unus nequeo, quæ duo communi ſtudio poſſumus,Parca Scientiarum promotioni invidet,& Andream aufert.Percellor ictu, humilior caſu, Immortali DEO vota committo, ejuſq; Clementiæ confidens Ingenium alterum ad mei ſimilitudinem quærito,multa periclitor;ſed in ſingulis non nihil reperio, quod non placet. Tuum eligo,ſummo labore elimo,& dum aliquot annis intentioni generosè conſpiras, dum ſpecimina rerum majorum præbes, mortalitatem exuis, & tranſvolas ad Immortales.Adlaborâvi fateor,ut magnus eſſes;at nunc curas meas ſeriò incuſo;fortè enim dum Nominis æternitatem Tibi ambio, tuos Annos contraho, vitamq; cœlitùs conceſſam imminuo. Tuum Ego venerabar Ingenium; & quia nuſquam(loquor ſincerè & liberè; qui enim ſepulchrali cineri adulatur, Panthera eſt; qui invidet, Tigris)ſubtiliùs Mentis robur, aut robuſtiorem ſubtilitatem videram,Te Meæ Scholæ lucratus,videbar Herculem conſcripſiſſe. Mihi

erat

Digitized by Google

erat & confuſioni & gloriæ,Ingenii Tui Divinitas ſummâ humilitate temperata. Volebas doctrinam Caramuelis ebibere, non quidem ut Magnam redderes; inſipidoſq;cenſebas Ariſtotelis, Thomæ, Scoti, & Molinæ latices,ni eſſent noſtrâ ſubſcriptione conditi. Cum dictata Tua evolvo,me lego;at fortiorem eloquentioremque. O quantæ Mentis vires exſeris, cùm inſultus adverſarios obtundis! ô quantæ induſtriæ providentiam, cum nova invenis fulmina; quibus occuras! ô quanti acuminis ſubtilitatem, cùm illa ediſſeris, quæ non tractavi! Reſolutionem Mihi præis; & ubi nondum conceptum meum expreſſi, quid debeam neceſſariò ſentire, ſolidè & audacter ſtatuis.Fui fœlix tanto Adſeclâ;imò & ſum:non enim cùm obire videntur, obeunt, vitæ puritate Immortalitatem apud DEVM, ſtyli puritate apud Homines fuerunt adepti.Tuo Eccleſia & Patria multum debent. Illius veracitatem hæreticè negatam,liquidò demonſtraſti, cùm bicornem liberi arbitrii indifferentiam, quam ſeveri Calviniani ab humanâ voluntate proſcribunt,quam Synodi multę definiunt,toroſis rationibus & teſtimoniis lacertoſis fundaſti. Hujus authoritatem defendiſti, dum Ioannem Bargantium fideliſſimæ Coronæ uſurpatorem infidelem, à Me Hiſpanis propoſitum, repoſuiſti Latinis uſus floridiſſimo calamo. Vtramque Theologiam (Speculativam, Practicam) promoviſti ſevero multarum Opinionum examine, quæ à Iunioribus ſupponebantur. Politicam & præcipuè Monaſticam, Libro aureo, in quo unus tibi Politicus, qui Paſſionum Dominus. in quo ipſa definitur Politica, *Interioris & exterioris Hominis libera mortificatio*. Scribebas hoc Opus aliquorum Myſtarum ſtupiditate perculſus,qui exiſtimant ſe à moribus ſecularium alienos,cùm ab humanis.Sæpè elingues,volunt dici ſinceri; temerarii, veraces. Sæpiùs iſti quod non ſentiunt loquuntur; quod ſi aliquando agant ex mente, cùm non ſentiant ut debent; etiam errant. Hos ergo Chriſtiani Ovilis lupos paſſionum ſuarum ſervos redimere à concupiſcentiæ libera captivitate conabaris, Artem facilem & ingenioſam,quâ quis ſe vincere valeret, evulgando. Quàm ſolidè calamus ille Tuus deſpiciebat terrena,ſolam tranquillitatem Animi Dignitatibus univerſis prępone ns.Deſeruerat Nos Reverendiſſimus D. Bernardus Campmans; & illicò Tua à doctiſſimorum votis ſuffragiiſq; inclamari merita audivimus, Te Solo reclamante.Dum in Hiſpaniâ labores, quos ob Patriam & Regem ſubiiſti,ponderantur,& cur non deberes ad Dunenſem Abbatiam promoveri diſcutitur,Palatinatus Diſenbergenſem contulit,ut oſtenderet,Tibi Hiſpani honoris Vindici,obſtrictos univerſos Hiſpanos.Tu tamen,dum Hiſpanę Ditiones de Tua promotione decertant,dum Dignitatem,minorem multò meritis,majorem multò ætate conferunt, mavis habere merita expertia pręmii,quam pręmia meritorum expertia,& ne promovearis feſtinas. Feſtinas,ut Cęlum pede premas,quod ſępè me duce vel comite fueras accuratè dimenſus.Modò intueris liquidò prodigia Cęli liquidi,quę explorabamus.Motuum & temporũ exactam rationē diù quęſivimus:illâ careo,illam tenes.Mare Banditũ in Lunâ procellis agitari obſervavi,Tui Nominis ęternitati inſcripſi;nec tamen credidi tam cito à Te ineunte Empyreum ſuperādum.

287. Amico Optimo in Verbo omnia videnti, verbo loquor Ideas Meas à Te illuſtratas fateor,& ut officio & affectui reſpondeam,pauca hæc folia Laureę immortali Tuę,quę texitur ab Amicis,parento, in quibus lineæ ſingulæ Tibi ſunt multis titulis debitæ. Offero acumina Gandavi inter pias lachrymas,dum Tibi ſervirem moribundo, concepta; feſtino calamo, dum Mortalitati Tuæ tantilla quies permiſſa, ſcripta; & quia vix potuerunt relegi, extemporaneo labio apud Lovanienſes expreſſa:præſtat enim, Me Iudice,viva vis tametſi extemporanea,frigidæ lectioni & emortuæ.Omnia Thereſiæ Tuę laudes & glorias complectuntur;Tuę inquam, huic enim Sanctiſſimę Virgini addictiſſimus fuiſti,dum viveres;ejuſq;veneratione nomen,imitatione vitam proſequutus,meruiſti ad eamdem transferri. Gaudeo quod caream Te, ne Tuâ Tutelari Tu careas:& cum Te apud eam meditor,à patrocinio Tuo grandia ſpero;non tamen diuturnitatem vitę,Cęlos enim à Thereſiâ,à Te,ab aliis,quos ſuſpicio,quos diligo,magneticâ virtute impellor.Perſentiſco multa Mihi deficere,quæ non adſequar vitâ ſuperſtite. Te meum Cuſtos Angelus auferens,ſe Mihi debitorē cōſtituit; nec obligatione dehonerabitur,quouſq; vel Te reſtituat Mihi,vel Me Tibi. Triumpha igitur,triumpha: & Summatibus immixtus Empyreis,finis neſciam Beatitudinem habe.Benedictum communem Ordinis Legiſlatorem, Bernardum communem Doctorem,Thereſiam communem Protectricem, Angelum(qui Te Mihi,

hi, Me Tibi, invito invitum abſtulit) communem Debitorem, & Cœlites omnes interpella, ut valeam me dignè diſponere, & ad Te olim, cum ſit DEI voluntas, tranſire. Scripſi in valle miſeriarum: ſingula expreſſi lachrymis: ſuſpiriiſque (non dantur ex terrâ ad Cœlum tabellarii certiores) litteras deſtinandas commiſi.

ORATIO XV.

De Virtutibus S. Thereſiæ, Carmelitanorumque Patrum Sanctitate & doctrina.

Habita fuit Lovanij in ſolemnitate ejuſdem Sanctæ Virginis. Anno Domini M. DC. XLIII.

Leandri Bandtii, denominati Diſenbergenſis Præſulis laus. 285. *quali & quanto ingenio fuerit præditus.* 286. *Hanc orationem fuiſſe conceptam inter lachrymas.* 287. *Epitalamium inter multas caſq; amaras ſcripſit Bernardus quem ſequor.* 288.

METAPHTSICA. Summa eſt Patrum Carmelitarum ſcientia. 290. *Magiſter Thereſiæ fuit DEVS.* 291. *Carnis maceratio poteſt cum ſtudio litterarum componi.* 290. *Cur fuerit Metaphyſica in Carmelitano curſu omiſſa? Carmelitanæ Scholæ baſis.* 292.

ENS. De Entis conceptu, univoco, æquivoco, analogo. *An Benedictus Bernarduſq; conveniant æquivocè an univocè? De Religioſis æquivocis.* 293. *De unitate univerſali & ſingulari. Thereſiam fuiſſe Virginem ſingularem.* 298. 302. *fuiſſe communem & univerſalem.* 306. 307. De Diſtributione & Diviſione. 309. *Moyſes dividitur, Thereſia tota in toto, & tota in quâlibet parte.* 309. *Thereſia una in multis cum ſui multiplicatione.* 310. De entibus rationis & linguæ. 316.

SVBSTANTIA. Eſt ens per ſe. De Materiâ & Formâ. 339. *illa exiſtit iſtius exiſtentiâ.* 340. De DEO. 300. *Ter-ipſe DEVS, Trinus & Vnus, & Thereſia, ter-ipſa.* 300. *DEVS eſt intelligibilis Circulus.* 321. *eſt immutabilis.* 325. *Thereſiæ Magiſter.* 291. *quid doceat?* 331. *quâ linguâ loquatur?* 339. De Angelis. *illis cognatæ Virgines.* 299. *Cur ipſæ ab Ambroſio & Auguſtino in hymno omiſſæ.* 296. *Thereſia Angelus.* 296. *Spiritus privatus, Hæreticorum qualis?* 325. De Homine. *Fuit conditus ad imaginem & ſimilitudinem DEI; fœmina ad ſimilitudinem hominis.* 298. *Mulier ad imaginem & ſimilitudinem DEI, & Vir ad ſimilitudinem mulieris.* 299. De ſubſtantiâ primâ & ſecundâ. 297. 306. 307. *Voluntas eſt materia, gratia, forma, & peccatum privatio.* 340. De Negatione infinitante & negante. *Peccatum eſt negatio malignantis naturæ, omnia quæ poſt ſe invenit, deſtruens.* 341. De eclipſi. 285.

ACCIDENS. An inhæreat. *Iuſti inhærent DEO. cur? David adhæret DEO, Thereſia inhæret. voces moraliter expoſitæ.* 318.

QVANTITAS. De Quantitate diſcretâ & continuâ. 312. *Quanta fuerit S. Thereſia?* 310. *In hoc ordine poſteri Majoribus ſuis majores ſunt.* 294. *in eo ſemper creſcit fervor & Spiritus.* 295. *Orationis continuæ vis.* 315. 316. De Lineâ, Superficie & Corpore. *Viam, quam ſuis prævit Thereſia, fuiſſe lineam.* 319. *Vitæ latitudo. Via lata. Cor latum. Superficialis pietas.* 319. 320. 321. 349. *Circulus myſticus.* 321. De globo, perfectiſſimâ Quantitatis ſpecie. 322. *An ſit poſſibilis ſinuoſa & angularis ſphæra?* 328. *Homo, ſi perfectus ſit, eſſe ſphæram, & moveri per indiviſibilem lineam.* 322. *Homo figurâ carens. homo ſphæricus.* 223. *homo ſolidus, homo liquidus.* 224. 225. *Mundi figura.* 323. *Terra globus.* 324. De Angulo recto, acuto, obtuſo. *Dari peccata recta. Veterum hæreſes fuiſſe acutas, & juniorum obtuſas.* 326. 327. *ſcrupuloſos, ſuperbos, inquietos, & ignorantes eſſe, vitâ ſtrictâ non capi, per laxam in perditionem ruere.* 328. 329. 330. *motum globi ſuper planum eſſe lineam.* 329. *Thereſiæ corpus non eſſe corpus.* 349.

QVALITAS. Ejus ſpecies Potentia & Impotentia, Habitus & Diſpoſitio, Paſſio & Paſſibili-

li-

Digitized by Google

litas,Forma & Figura.332.*Optima quâ donamur inviâ gratia eſt.An ſcire poſſimus,utrùm ſimus in gratiâ?* 326. *perditur ob mortale peccatum.*327. *An unum ſine alio remittatur ?* 328. *Gratia, Humilitas, Charitas, tria nomina & eadem res.Sine Humilitate nemo poteſt placere* DEO. *Eſt impotentiſſima & potentiſſima. Perſeverat,diſponit;eſt habitus & diſpoſitio;eſt paſſio & proprietas;videtur,auditur,ſentitur:eſt forma & figura reliquarum virtutum.* 332.333.

*RELATIO.*Ordo unîus ad alterum. *Talis Carmelitanus eſt.*336. *Omnes ſunt unus.*337.*Omnes actiones ordinentur ad DEVM.* 317.

ACTIO & PASSIO . Omne agens intendit aſſimilare ſibi paſſum . Libri S. Thereſiæ aſſimilant ſibi Lectorem . 303. 313. *Generatio eſt origo viventis à vivente in ſimilitudinem naturæ.* 303. 339. *Thereſia producit filios, non tam ſibi ſimiles quàm DEO.* 304. *Iacob habuit, ut voluit unicolores aut multicolores agnos.*305. *Thereſiam Angelum,Apoſtolum,Martyrem,Confeſſorem;Virginem, Agentis habere virtutem, aſſimilareque ſibi rigorem ſuæ Religionis paſſos.*342.*Aqua coram Chriſto convertitur in vinum. Arida coram Thereſiâ in floridam.* 342. *De Generatione & Corruptione. Thereſiæ corpus incorruptum.Ipſa viſa eſt oculis inſipientium mori,ſed eſt in pace.* 349.

DVRATIO & QVANDO . Reliquos homines multis Annis in mundo eſſe,paucis vivere;Thereſiam omnibus ſuis ſimul vixiſſe annis . 344. De tempore præterito, præſenti, & futuro . *Hæc tria ſimul uno & eodem tempore convixiſſe & egiſſe Thereſiam. Quo illam modo debeamus imitari .* 347.

*VBI SITVS & LOCVS . Thereſiam eſſe nullibi.*349.*ſtare & jacere. Multos ante DEI tribunal cecidiſſe,Thereſiam ſtetiſſe & ſtare.*350.

*HABERE . Lumen gloriæ eſt habitus ſupernaturalis. umbræ moriuntur Carmelitani videlicet veniente lumine.*351.*Non moriuntur,quia in ſingulis vivit Thereſia.* 306.307.309.350.

*VARIA . Andreæ de Herrera, Viri ingenioſiſſimi laus.*286. *A terra ad cælum ſecuri & ordinati & ordinarii tabellarii.*287. *Divitiæ,dolor, & amor abſcondi & occultari nequeunt.*288. *Naſci eſt mori. Bene vivendi & moriendi inſtitutio . Omnia fumus & vanitas. Non plus ultra.* 289. *De Templariis.*294.*Imaginationis vires. Spurii an parentibus ſimiles ?* 306. *Paupertas.*307.*Tenebris DEVS illuminat.*[*Lumen Fidei*]315.*Peregrinus à mundo non egreditur.*317.*Homo juxta cor DEI.* 322. *Thereſia humilis.Humilitatis gloria.*332. *Briareus centumgeminus.*338.*Chriſtus vitis.* 342. *Semelis epitaphium.Vita aulica mors.* 343. *Thereſiæ oranti favores divini ſpeciali favore negantur.*350.*Manus cordis ſiniſtra.*353. *Fæmina nec domina,nec famula, ſed ſocia.* 298.

288 IAM olim ſæpeſæpiùs Thereſiam, Matrem Virginum, multarum victoriarum Pugilem : Lauream Cœleſti redimitam Oratione ſolemni, ſed ad captum populi, ſum proſequutus . Debui tunc victricis Matris Lauream exornare conceptibus,ex Hiſtoricâ Politicâq; penu deſumptis ; Vulgo enim , utpotè minùs docto,mediocria adrident,ſubtiliora non placent.At nunc Lovanii in Academiâ Principe, coram excellentiſſimis totius Orbis Terrarum ingeniis oraturi, indigna prorſus eſſet,ni triũpharet Oratio. & ſerperet,ſi expers acuminũ, verborum vanis & ponderoſis phaleris deprimeretur. ſi habeatur argumenti ratio,altiſſima dicturus ſum : & quia ſuffuſus lachrymis comere periodos non poſſum , proponam Mihi differendi materiam , quæ non egeat ornatu . Mira res ! Lætam celebraturus diem:ordior à lachrymis ! meritò;quoniam,ut ait Hiſpanus, *Amor, Dolor,y Riqueza, ſiempre ſe manifieſta* ; hoc eſt.

Divitiæ, Dolor, Affectus tria ſunt mala : Nemo
Hoc prudens unquam diſſimulare poteſt.

& Ego ſummum dolorem ſentio , affectu rapior , opibus ditor , & imprudens ſim ſi diſſimulare voluero.Sponſam amabat Bernardus, & tamen quia Fratrem perdiderat , neſcivit Nuptiale Epithalamium ſcribere, quin chartam tingeret effuſis lachrymis. Mortuum ille ſuum ad Nuptias feſtivas conduxit , ut in gaudiis amaræ Mortis contemplationi doceremur vacare.Ego Bernardo ſimilis diſſimulare nequeo Dolorem , Amorem & Divitias , quas habeo.Amo quidem Thereſiam,& divitem conceptuum copiam apparo ; illi Lau-

ream

Digitized by Google

ream texam; at Fratris morte ſaucius, non poſſum dolorem occulere. Gaudium luctus remittam, & ſi laudando noſtram Virginem Matrem, animos ad imitationem excitavero, & Auditores ut bene moriantur diſpoſuero, ne dicar gaudiis lachrymas, vitæ mortem temerè & intempeſtè copulaſſe. Præſentiam ergo mortis præſeferat Encomiaſtica Oratio; cui enim Declamationi contigit, ut in mortis conciperetur præſentiâ, opus eſt, ut contingat, ut ſub mortis commemoratione naſcatur.

289. Mori cœpit Thereſia; cùm naſci; naſci, cùm mori. & quia dum vixit mori didicit, immortali donabatur vitâ, cum mori aut eſſe mortalis videbatur. Si ipſam in vitæ puritate imiteris, imitaberis in interitus fœlicitate. Vis doceri bene moriendi modum? Thereſiam reſpice, me audi.

Vt bene (Amice) mori contingat, vivere diſce:
Vt bene contingat vivere, diſce mori.

Et quidam optimè hanc doctrinam neceſſariam addiſces, ſi fueris Thereſiam imitatus. Optimè illam laudaveris, ſi ejus exemplo fueris ad vitæ puritatem conductus; tot enim ipſi encomia Empyreum accinit, quot homines ectypos Thereſianæ Sanctitatis obſervat. Promota hæc Virgo ad Eminentis Majeſtatis faſtigium, eloquio alto indigeret, ut celebraretur dignâ laude. *Vis tamen altiore voce me tecum loqui? Humana cuncta, fumus, umbra, vanitas, & ſcænæ imago: verbo ut abſolvam. nihil.* [ex Epithapho quod ſibi adhuc vivens appoſuit I. Lipſius] Divina cuncta, tam alta, tam ardua, tam remota, ut nec ingenio nec ſtylo attingantur. Divinę fuerunt meę Thereſiæ virtutes, divina eſt ejus laurea, ejus thronus altiſſimus, mea vox humana, adeoque humilis, obſcura, incerta, vana. Si ſupra ventorum inconſtantem ſphæram, ſi ſupra quidquid pluitur & ningitur Ingenii pennis advolem, cenſebor ſerpere; pygmæi enim vel ipſi Atlantis vertices, tametſi altiores nubibus, cum Gyganteâ Thereſianæ virtutis quantitate collati. Si ſcandam Olympi liquidi ſumma faſtigia, nihil reperiam ſolidi, oleum me & operam perdidiſſe inclamabo. Si Solem, ſplendorum ſcaturiginem appellem, & cum Thereſiâ conferam, cenſebo illum, opacum & caliginoſum. Si ſupra Aplanen tranſvehar, adhuc depreſſus judicabor. Aplanes ipſe, tantus Ariſtarchi ſententiâ; ut evaneſcat totius Orbis annui diameter cum eo compoſita; [quoniam Ph. Lauſcergii ſententiâ Vranometriæ lib. 3. radius Orbis annui ad radium Stelliferi ſe habet ut 10. ad 280. 000.] tanta verò omnium opinione Thereſia, ut cum ipsâ compoſitus evaneſcat tantum non immenſus Aplanes. Sed quorſum tendo Icarus? quo pergo Phaëthon? Si Cœlum extimam ſuperficiem attigi, NON PLVS VLTRA. Imò PLVS VLTRA. Vltra omnes Cœlos Aſtronomis notos expanditur Immenſus Deus: erigitur Empyrea Civitas; quam interminabilis gloriâ nobilitat triumphans Eccleſia, Angelorum exercitus numeroſi inhabitant. Ibi inter Reipublicæ lauru coronatæ Primores Animum Thereſianum contemplor, ejus pulchritudine adlicior, majeſtate trahor, ſplendorum magneticâ virtute abripior. Igitur Valete & Manete apud Terrigenas, ILLVSTRISSIMI VIRI, multa dicturus eram, pauca dicturus ſum: pietate & mente in Cœlos rapior. ſed ne manete: at potiùs, magneticâ virtute raptum, magneticâ devotione ſequimini. Magnes miraculoſus lapis, non ſolum ferrum trahit, ſed & ferro virtutem attractivam communicat. Si in militiâ Hominis interioris geritis conſtantem invincibilem adeoque ferreum animum à Thereſiâ-Magnete; ſi voluntatem auream ab Electro-Thereſiâ abripiemini; immò, video, abripimini. Conſtemus ergo Cœlis, & inde ſuſpicientes Thereſiam, Orbem terrarum deſpiciamus. Ditatur ipſe noſtræ Virginis prærogativis; & quia Sapientiâ poſt Sanctitatem nulla major eximiam Thereſiæ, eximiam Thereſianorum ſcientiam ob oculos omnium proponamus.

CONCEPTVS I.

De Summâ Carmelitarum Scientiâ.

290 ADmiramur propoſitam, & ſtudioſè quærimus? Quo Carmelitanus Ordo modo ad tantum venire doctrinæ magiſterium potuerit, cum tamen plurimis quas ſtudium litterarum requirit, rebus careat? Multis commoditatibus, & immunitatibus eſſe opus Theologiæ ſubtilioris gnaro, pruriens Scientiæ perſuadet appetitus. & ſub neceſſitatis prætextu autophilia adulatrix. Sunt qui concionatores & Sacræ Theologiæ Magiſtros à regularibus jejuniis, à veteri laneorum uſu, à rigidâ carnium abſtinentiâ, ab of-

ficio canonico;non ſolùm publico ſed & privato, ſæpè ratione ſtudiorum excuſent; & tamen ipſi, ubi Patrum Carmelitanorum libros legunt,admiratione rapti ſtudiosè aut curiosè requirunt. Quomodo docti eſſe poſſint Carmelitani Profeſſores, jejuniis & vigiliis perpetuis macerati, ſago ad carnes induit, diu noctuq; DEO laudando vacantes, & vix liberam auram reſpirantes?Porrò illos eſſe doctiſſimos vel æmulus fateri cogitur, ſi Divina Complutenſium & Salmanticenſium Opera (Philoſophiam & Theologiam intelligo) ſi aliorum alios libros quà ſcholaſticos, quà morales interlegat. Ad unum omnes Academici illos eximiâ ſcientia præditos aſſerunt; tamen valetudinem dubiam, robur fractum, animum contemplationi intentum ſcholaſtici ſtudii herculeo labori ſufficere,tametſi propriis videant oculis, vix volunt credere: Nos verò,quoniã tenemus mente Cœlum,quâ hæc miracula ratione fiãt,evidenter cognoſcimus.

291. ☞Omnia in Verbo Thereſia Carmelitani omnia ſine diſcurſu temporis.velut uno momento contemplantur. Quæ una atomo Thereſia didicit, una atomo ſuos diſcipulos docet.ubi enim DEVS Magiſter eſt,tam citò diſcitur, quàm docetur. In uno Solis Divini radio Benedictus totum Mundum collectum reſpexit; videnti enim Creatorem,anguſta eſt quæcumque creatura. & Thereſia in uno & ſolo Oris Divini verbo totius Mundi collectas Facultates reſpexit,anguſta eſt enim omnis creata Sapientia videnti Sapientiam creatricem. *In memento*,vitæ ſuæ cap. 10. ait ipſa Sancta, *DEVS docet univerſa*; & ne putaremus inexpertam, ſubjungit. *Interim Mihi nec petenti, nec cupienti, DEVS dabat,ut hæc in inſtanti ita clarè intelligerem,ut & docere poſſem.* Vnde & Carmelitani Thereſianæ perfectionis & Sapientiæ participes ſub DEO Magiſtro breviter capiunt, quæ nos ſub Ariſtotele & Platone poſt sũmos labores adhuc quærimus.

CONCEPTVS II.

Cur fuerit Metaphyſica in Carmelitano Curſu omiſſa?

292 SEd quia ſenſus Hominum varii; ſatisfaciendum etiam illis eſt, qui ut ſcioli videantur doctrinã Carmelitanæ Scholæ incuſant.Aëre fundatam,vento ſubnixam, ſolida baſi deſtitutam inculcant; & id ſe monſtraviſſe putant, cum totam Philoſophiam, quanta eſt,Metaphyſicâ carere obiiciunt.Obviam illis P. Blaſius à Conceptione iturus, Vtrum conceperit rationes,quæ Complutenſes coëgerunt, ut Metaphyſicam omitterent, neſcio; ſed tamen ſcio ob graviſſimas cauſas omiſſam. Peripateticam Scholam ſubſtruunt duodecim Metaphyſici libri, quos Stagyrita compoſuit; Academicam Divini illi Dialogi quos Plato edidit, Stoicam Zenonis acumina;Samiam Pythagorica dogmata;Cabaliſticam Rabbinorum & Mecubalimorum traditiones; at Carmelitana nacta fuit fundamentum ſecurius. Matris Thereſiæ vitæ innititur; Virginis Thereſiæ ſcriptis ſubcollatur.Aperi, volve evolve hujus Virginis Prudentiſſimæ libros, Entiſque ſupremi in decem citeriores categorias & ſupereminentiam doceberis;ordo enim Hominum & novem Angelorum chori ſubſunt DEO. Si ſemel bene ſcias;quæ fuerit Sancta Mater Thereſia, quantâ gratiâ ſuffulta, qualibus prærogativis prædita? ſi DEI ipſiuſq; intimam connexionem obſerves; ſi hujus fortis mulieris excellentes actiones ad majorem DEI gloriam elicitas, ſi tribulationes & paſſiones ad ejuſdem majorem laudem toleratas; ſi peregrinationes paupertatem miſeriaſque, quas perpeſſa fuit Thereſia percalleas,ut doctus ſis,habes ſecura fundamenta. Fundat enim timorem DEI continua mortis meditatio; DEVS eſt veræ Sapientiæ initium,& qui in Thereſiæ libris DEVM timere & amare,mortemq;amare & horrere,docemur;quia mortem peccatorum eſſe peſſimã, Sanctorum pretioſam inſtruimur, ab eiſdem veræ Metaphyſicæ fundamenta,quæ altos diſcurſus & ſublimes ſpeculationes ſubrigant, ſtudiosè rimamur. Illa ab Operibus Sanctæ Matris eruimus;Theologi ſumus,eadem & ab eiſdẽ ſubortam Metaphyſicam, examinemus.

CONCEPTVS III.

DE ENTIS CONCEPTV. DE VNIVOCO, ÆQVIVOCO, ET ANALOGO. *De Patriarcharum & Succeſſorum ſuorum ſimilitudine & diſſimilitudine. Carmelitarum Spiritum ſemper creſcere,aliorum Ordinum aliquando diminui.*

293 VT in Entis conceptu creata & increata,ſic etiam Carmelitanos & Filios Prophetarum in priſcæ Religionis ratio-

tione convenire manifeſtum eſt. Qualis tamen hæc ipſa convenientia? intrinſeca an extrinſeca? ſignificatæ rei, an nominis ſignificantis? Cùm convertimus oculos ad ſæculares, an illos univocos, an æquivocos ſimus vocaturi neſcimus: cùm verò ad Eccleſiaſticos: bellorum injuriâ multa invecta vidimus. Multos reperimus æquivocos, paucos analogos, vix unum aut alterum univocum. Scientibus loquor; quibus ſingulorum Conceptuũ notæ definitiones. Magnus erat Bernardus, qui tametſi univocè cæterorum judicio, nihilominus tamen æquivocè cum Benedicto teſte ſuâ conſcientia conveniebat. Illius virtutes ſuaſque negligentias Mellifluus Doctor demiratur. Se Antiſtitem cum Antiſtite Benedicto componit; & in contemptum ſui, & in D. Benedicti æſtimationem exardeſcẽs in ſermone de S. Benedicto. ſic ait. *Cum eo participo nomen Abbatis. Abbas fuit, & ego. O Abbas! Nomen unum; ſed in altero ſola magni nominis umbra*. Ac ſi diceret: [Benedictus & Ego non niſi æquivocati ſumus. Abbatis nomen unum & idem commune utrique eſt; ratio verò ſignificata per nomen in utroque eſt omninò diverſa.] Sic Bernardus: Et Ego, nî eſſem apud Thereſiam; nî mente Cœli firmamentum tenerem, infirmarer, terrerer, cùm hæc audio. Si merum purumq; nomẽ miniſterii Abbatialis Sibi & Benedicto cõmune humilis judicavit Bernardus, quid Ego pulvis ciniſque? quid ille? quid alter Religioſus dicet, qui plus diſtat à ſuis Inſtitutoribus, quàm à Benedicto Bernardus? Conceptum à Melio Doctore ſuffurabor, & uno vel altero verbo mutato periodos ſequentes reſumam. *Va mihi*, inquam, *ſi tam longè à Vobis, ò BEATI BENEDICTE & BERNARDE in futuro fuero, quàm à veſtra ſanctitatis veſtigiis longè eſſe reperior in præſenti. Sed non mihi hac apud Te Mater Thereſia perorare neceſsè eſt. ſcio enim quòd ſcienti me loquor; tantum peto ut pudorem hunc & timorem hunc meum maternâ compaſſione ſubleves*. Convenimus æquivocè cum noſtris Deceſſoribus ſententiâ Doctoris Melliflui, ſe cum Benedicto; ſententiâ etiam aliorum ſe cum utroq; conferentium. Si tranſeat in ſinceritatem humilitas, inter priores poſterioreſq; præter communionem vocabuli analogiam multam, ſed nullam univocationem reperiemus. Partim iidem, partim diverſi ſumus: nam neq; ipſe Bernardus tam humilis ut eſſet puſillanimis (omnis enim virtus medium tenet, & ab extremis abeſt) neq; ita ex humilitate æquivocationem admiſit, ut analogiam ex ſinceritate negaret. Seſe partim ſimilem, partim diſſimilem Benedicto Mellius Doctor aſſeruit; ut ex ſimilitudinis, diſſimilitudiniſq; compoſitione analogiam extremorum probaret. His verbis ſuadet ſimilitudinem. *Eſt mihi*, ait, *de ipſius imitatione vobiſcum ſaculi abrenuntiatio, & monaſtica profeſſio diſciplina------ Miniſterium unum &c.* diſſimilitudinem iſtis: *Heu me quàm diſſimiles Miniſtri, quàm miniſtratio ipſa diſſimilis*. Hoc ipſum veriùs & aptiùs poſſum Ego, poſſunt & alii multi dicere, tametſi utriuſq; imitationi diligentiſſimè ſtudeamus. At in Ordine Carmelitano (dico quod agitur, aut agi debet) omnis æquivocatio exulat, analogia univerſa proſcribitur, una & ſola cognoſcitur univocatio. Ibi nec Patres ſunt majores Filiis, nec Prædeceſſores Poſterioribus. Religio eſt relaxationis neſcia, remiſſionis ignara: creſcit de virtute in virtutem ſapientiâ & gratiâ apud DEUM & Homines; & ſuo exemplo aliorum etiam Ordinum devotionem & pietatem adauget. Omitto Benedictinam cui præponere Carmelitanam neſcit Pietas, poſtponere nõ vult Vrbanitas; omnis enim collatio odioſa eſt. Religionem inquam Benedictinam quam aut lapſam erexit, aut ne laberetur ſuſtinuit, Cluniaci Odo, Camaldulę Romoaldus, in Valle-umbroſâ Gualterus, Ciſtertii Robertus, in Grandi Monte Stephanus, in Monte Oliventi Bernardus Senenſis, & tandem Garzia Valliſoleti: *Tanta molis erat Benedictam condere gentem*. Condita fuit & recondita, ducta & perducta, venit ad nos, poſt varios caſus & occaſus, hodieque priſcum vivendi modum æmulatione Sanctâ affectat. Sæpiùs debuit, ne remitteretur, intendi: & tandem pervenit ad ſtatum in quo nunc eſt, quem in multis bene formatis Monaſteriis à veteri non vinci ſcio; an vincat, neſcio. Si ciborum obiiciat diſcretionem antiquitas, velitque ſeverior & auſterior videri. Vtrum vitæ monaſticæ expediat ſemper à carnibus abſtinere ſubdubito conſideratis circumſtantiis temporum, locorum, perſonarum; fortè enim alternâ carnium piſciumque refectione valetudini vacillanti conſulitur, & meliùs majora obſervantur. Accedit, quod in

P 2 plu-

plurimis Ordinis Benedictini Monaſteriis vigeat abſtinentia ſevera; & hodie in omnibus grandior ſit Officii Divini majeſtas, cultûs Eccleſiaſtici pompa, major puritas, ſecuritas expeditior paupertas, & obedientia neceſſarior. Quibus omnibus conſideratis non mirarer omninò, ſi dicerentur hodie Benedictini plurimi veteres ſuperare: ſed id non urgeo, dabitur enim propria dies, quæ laudes hujus Ordinis reboet; hæc eſt S. Thereſiæ ſacrâ, & ideò particulari ſtudio de Carmelitanâ Religione dicendum.

294. Omiſsâ igitur Benedictinâ & ob eaſdem rationes etiam Religionibus aliis, quæ ſolennitatem hanc ſuâ pręſentiâ cohoneſtant, & Carmelitanæ ſimiles Majores ſuperant aut æquant: certum eſt fuiſſe in Eccleſiâ multas, quæ perdiderunt omnem veterem vivendi obſervantiam, uno & ſolo decrepiti nominis ſplendore retento. Lateranenſem, deformem, & à primævâ perfectione degenerem Romæ reſtituit Auguſtinus: quæ iterum ſucceſſu temporis corruit, & urbe excidens, fuit in ſummo occumbendi periculo. Templarios ſi creditur accuſatoribus, ſub initium ſtrenuos & pauperrimos milites vidimus, & annis paucis ita divitiis aut fortè luxu infames, ut non potuerint exſpoliari aut reformari aliter, quàm ſi à toto orbe Chriſtiano delerentur: at Carmelitanorum Religionem ſemper adoleſcentem vidimus, ſemper videmus. Crevit in dies, & creſcit; in eâ enim Majoribus majores ſunt Poſteri, & Succeſſores Priores ſuos, Sanctitate & virtute præcedunt.

295. Incrementa continua demonſtraturo Elias occurrit, apparatu igneo in paradiſum tranſvehendus. Exceſſurus legat Spiritum Eliſæo, duplum tamen. Viderint hîc Iuriſperiti potuiſſe Hominem in teſtamēto validè legere plus quam habuit. Viderint Theologi à gratiâ Eliæ Spiritum duplo nobiliorem & intenſiorem ſuboriri. Viderint Medici potuiſſe Hominem tradere ſpiritum, quin exſpiraret. Viderint & Philoſophi à minùs perfectis poſſe cauſis effectus perfectiores produci. Et tandem viderimus nos omnes (id enim præcipuè noſtra intereſt) in Carmelitanâ Religione Magiſtris ſuis Diſcipulos, Inſtitutoribus Aſſeclas, Prioribus Poſteros, Prædeceſſoribus Succeſſores, majores, doctiores, Sanctiores & potentiores eſſe. Elias Pręceptor erat Eliſæi, ſed Auditore duplo eſt minor; nam hujus ſpiritus & gratia duplo eſt major. Poſt Eliſæum Hiſtoria Prophetica Baptiſtam multò majorem Eliſęo, Mariam Baptiſtâ eminentiorem, & Chriſtum altiorem univerſis ſubſcribit. Stando igitur huic doctiſſimo libro, nonne clarè videritis in antiquâ Carmeli Religione Sanctitatem intendi, rigorem perfici, Gratiam & Spiritum multiplicari? Examinemus etiam: An hæc excellentiſſima prærogativa in gratię lege exulet ab Ordine Carmelitano? Ab aliquot annorum centuriis Angelos & Anaſtaſios Martyres, Cyrillos & Albertos Confeſſores, Euphraſias & Euphroſinas Virgines Carmelus habuit, & ut oſtenderet ſucceſſu temporis Spiritum intendi & perfici dedit Thereſiam, inquam, Martyrem, Confeſſorem, Virginem, Majoribus ſuis multò majorem.

CONCEPTVS IV.

De Praedicamento Svbstantiae.

Eſſe Thereſiam Virginem, Virgines Angelos.

PRobat Virginitatem vitæ puritas; Confeſſionem doctrinæ & exempli efficacia; Martyrium fatetur Eccleſia, cùm in hodiernæ ſolennitatis hymno ad Veſperas, eam *Victimam Charitatis* appellat. ſed quia ſemel id dixi, eſſe Thereſiam puram & veram Angelum evidenter probabo.

296. Ambroſius, Auguſtinuſque, uno ut ſcitur ſpiritu, uno ut creditur ore, exemplario devotionis impulſu affectuoſiſſimum hymnum illum, qui incipit, *Te DEVM laudamus*, modulantur. Omnes creaturas intellectûs & rationis participes, ad Laudes Dei invitant & excitant. Primò Apoſtolos, ſecundò Prophetas; tertiò Martyres & Confeſſores, ſed non reperio Virgines. An-ne omitti debuerunt, quæ ſequuntur Agnum quocumque ierit, quæ dilectæ illi, quibus dilectus ille? Me judice ſine injuriâ intermitti non poſſunt. Sed neque ſunt omiſſæ, tunc enim recenſitæ cùm dictum, *Tibi omnes Angeli, tibi Cœli, & univerſæ Poteſtates*. Omnes enim Angeli ſunt Virgines, & omnes Virgines ſunt Angeli: & ſi collatio fiat, iſtæ terrenæ Angeli, cœleſtibus multò glorioſiores. Virginitate illos neceſſitas; has libertas Angelicâ laude donavit; Angelis ſicut nec libe-

be-

Digitized by Google

bera, ſic etiam nec meritoria nec glorioſa eſt Virginitas; at Hominibus & libera & meritoria in terrâ & glorioſa in Empyreo eſt. Angeli ergo & Virgines ſupernaturalis Mundi ſunt elementis ſymbolæ, Subſtantiæ analogæ. Angeli ſunt Cœleſtes Virgines; & Virgines ſunt Terreſtres Angeli; & Thereſia, quia puriſſima eſt Angelus. Id ſuadet Sancta Puritas, probat vitæ perfectio, confirmat Author vitæ dum ait, *Angelicis ditatam virtutibus Thereſiam, non modò propriam, ſed & publicam etiam ſalutem ſollicitâ charitate curaſſe.*

297. Ecce noſtræ Virginis ſubſtantiam expoſitam; ſed quia duas Peripatetici cognoſcunt; Primam, Secundam, quæ pia inveſtigat curioſitas, ad utram Thereſia pertingat?

CONCEPTUS V.

De Substantia Prima & Secunda.

Thereſiam Virginem ſingularem fuiſſe.

QVI ſingulares noſtræ Virginis dotes & prærogativas contemplatur, eam uni & ſoli ſubſtantiæ primæ adſcribet; at Ego nobilioribus præventus ratiociniis, utramq; pertinere affirmabo: & quam prima eſt notior, ad illam priùs ſpectare ſuadebo.

298. Mundi Amphitheatrum Devs condidit, coronavit ſtellis, animantibus, piſcibus avibuſq; ſingulas regiones exornavit. & ne careret Præſide, produxit Hominem, qui jura diceret cœli alitibus, telluris brutis, oceani monſtris; & omnibus rebus animatis & inanimatis. *Faciamus*, inquit, *Hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* hoc eſt, [Ego Trinus & Vnus, Princeps, Dominus, Sapiens, Independens, Omnipotens, fiat Homo Mihi ſimilis, omnium mearum perfectionum ectypus, attributorum copia; ut Mihi Vni & Trino ſit ſimilis fiat Homo etiam Trinus & Vnus; nimirùm, Vnus in naturâ, Trinus verò in potentiis. Nolo eſſe ſolus fiat ergo Homo ſimilis Mihi. Nolo eum eſſe ſolum, fiat ergo ei Adjutorium ſimile ſibi. Verba Dei potentiſſima ſunt; creatur Adamus; ſopore profundiſſimo offunditur; coſtam Devs extrahit, & uxorem ædificat. Non educitur mulier ex pedibus, non ex capite, ut de Baccho & Minervâ fabulati ſunt veteres, ſed ex Hominis latere, ut moneatur ipſa, non poſſe ſupereſſe capiti, nec haberi ſub pedibus, ſed debere eſſe collateralis habitatura in pectore cordi proxima. non enim debet familiam uxor regere, non debet ipſa famulari, ſed domeſtico cooperari regimini; quoniam ſociam condidit Devs, non ancillam, non dominam. Privatim jura familiæ dicere, Viri eſt; ejus veſtigia ſequi, curareq; ut domeſtici univerſi ſequantur uxoris. Hac lege Politicum Mundum ordinavit omnipotens; ſubjecit Mulierum Viro, & familiam utrique. Condidit Virum Dei immediatè ſimilem; fœminam immediatè ſimilem Viri, medio iſto Dei. Idipſum obſervari voluit in Statu Regulari & Monaſtico, miſit Viros ſecundum cor ſuum, ſui ſimiles, qui familias conderent Religioſas, Baſilium, Benedictum, Robertum, Dominicum, Franciſcum, alioſque & ipſi conſcripſerunt Cœlo milites, ſimiles Dei. poſteà & fœminas, quæ imitarentur Viros, & eorum ſimiles ſub regulari Chriſti labaro militarent. Quoniam omnibus & religionibus præceſſerunt Monachi, quos demum ſequutæ & imitatæ ſunt Moniales.

299. At Devs in B. Thereſiæ Natalitio, Ego ſum Omnipotens, ait, omnia regulo nulli regulæ ſubditus, omnia dirigo rectus à nemine. Feci quæ potui non feciſſe, quæ potero non conſervare. Vt innoteſcat meæ ſapientiæ infinita perfectio aguntur univerſa in terminos ſibi contrarios. Oriatur Sol ab occidente, in ortum cadat; ſyderee lampades contra ſignorum ſucceſſionum procedant. Pleno orbe terras reſpiciat Luna Soli juncta, lucis patiatur detrimentum oppoſita. Gravia pondera ſuperbeſcant & evolent, levia labantur. Quid plura? Omnia hæc ſtupenda miracula uni actioni cooptemus. Qui Virum ad ſimilitudinem noſtram & Fœminam ad ſimilitudinem Viri in veteri mundo condidimus; nunc prodigio inaudito, Mulierem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, Viroſque in adjutorium ſimile huic Mulieri condamus. Demus Mundo Thereſiam fœminam ſecundum noſtrum cor piam, Sanctam, puram, fœminam ad ſimilitudinem noſtram. Hæc non Mulierem ſolùm, ſed etiam Virorum Religionem inſtituet, in quâ plurimi Religioſi Fundatricis ſuæ ſimiles, illam Cœlos advolantem ſequantur.

300. Sanè Devs Ter-ipſe eſt, quia Trinus, & noſtra Sancta Mater videtur Thereſia, quaſi *Ter-ipſa* dici. Devs eſt Ter-ipſe per

Digitized by Google

per eſſentiam,hæc Diva per participationem. Ipſa ſimilis Dei & Carmelitæ ejuſdem ſimiles.Rem uberiùs expendo.

301.☞Creavit Adamum Devs, & ait, *Non eſt bonum eſſe Hominem ſolum, faciamus ei*(mulierem)*adjutorium ſimile ſibi.* Dat mundo Ordinem Benedictinum, Ciſtertienſem, Dominicanum, Franciſcanum, & ait, *Fecimus Monachos ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, non eſt bonum eſſe Monachos, faciamus igitur Moniales eorum ſimiles: nimirùm moniales virilis imitatrices perfectionis, curſus regularis pediſequas, ſeveritatis ſectatrices*. At datâ Orbi Thereſiâ ejuſque ordinis rigore à fœminis generoſis admiſſo, inquit Devs, *Fecimus Religioſas Moniales ad imaginem & ſimilitudinem noſtram; non eſt bonum eſſe Moniales ſolas, faciamus igitur & Religioſos earum ſimiles; Religioſos nimirùm imitatores perfectionis fœmineæ, curſus regularis pediſequos, ſeveritatis ſectatores.*

302.☞Ecce Thereſiam Virginem ſingularem. Multa in eâ & omnia ſingularia ſunt. Prerogativas habet nulli alii fœminæ,tametſi excellentiſſimæ nobilitent Orbem Chriſtianum, propriæ communeſve. Deipara, *Virgo ſingularis* fuit dicta,quia nullius exemplo votum Caſtitatis emiſit; quia ſummo Dei miraculo ante partum intactâ, in partu illæſa, poſt partum integra, nulli fuit ſimilis. Ego in fundandi Ordinis prærogativâ nullam fœminam ſimilem Thereſiæ reperio, ideò illam *Singularem* denomino, & in genua provolutus ſic inquam.[Thereſia Virgo-Mater, Mariae Virgini-Matri ſimilis. Te veneror magni exemplaris ectypon; te ſingulariſſimi Prototypi copiam ſingulariſſimam. Tuâ indigemus luce,ut tuas virtutes illuſtremus,tuô calamô, ut tuas prærogativas deſcribamus. Menti igitur noſtræ, quanta es illapſa.

Virgo ſingularis, inter omnes mitis,
Nos culpis ſolutos mites fac & caſtos.

Singulariſſima Virgo es, ſingulariſſima etiam mater. Singulariſſimi Ordinis ſingularis eſt genitrix: alii enim Ordines à Viris inſtituti fuerunt extenſi ad fœminas; at novus iſte Tuus rariſſimus & ſingulariſſimus, inſtitutus & præceptus à fœminis;ad ſingularis virtutis viros ſingulari Dei beneficio derivatur.]

CONCEPTVS VI.

De Generatione Svbstantiali Generationem Esse Originem Viventis A Vivente In Similitvdinem Natvrae. *Omnes Carmelitanos non modò Thereſiæ, ſed & DEO ſimiles, & aſſiduæ contemplatione deditos.*

At hæc ipſa Singularitas ſingularior in ſe ipſâ eſt, quod Vniverſalitatem non excludat. Thereſia enim eſt Vniverſale Platonicum quod eſt realiter à parte rei. Id ſtatim oſtendam, ſed quia omnis Vniverſalitas fundatur in ſimilitudine, non nihil de verâ Carmelitani Ordinis concordiâ & ſimilitudine præpono.

303.☞Eſt apud Philoſophos axioma frequens; verumq; *Omne Agens intendit aſſimilare ſibi Paſſum*, & quia id Subſtantiis & Accidentibus commune eſt, de Subſtantiis primis & ſingularibus agendo dicunt earum ſubſtantialem actionem Generationem veram eſſe, hoc eſt, *Originem Viventis à Vivente in ſimilitudinem naturæ*. Sancta Thereſia Mater eſt,Vos(Patres Reverendi)ejus Filii,quos ipſa in Chriſto genuit, non accidentariâ & non intentâ actione, ſed productione religioſâ, quæ imbibit virtutes ſubſtantiales. Quicumq; ex Vobis,vivens eſt à vivente Thereſiâ in ſupernaturalis naturę ſimilitudinem productus. Vivitis Vos per gratiam gloriamque, & quia in gratiâ convenitis, & olim in gloriâ convenietis, convenitis in naturâ ſupernaturali: quoniam nihil eſt aliud gratia,quàm ſupernaturalis quædam Divinæ naturæ participatio; & gloria empyrea conſiſtit in Viſione beatificâ, quam docetis non pendere ab ſpecie creatâ ſed à naturâ ipsâ Divinâ gerente vices ſpeciei impreſſæ & expreſſæ.

304.☞Progredior, teneoq; Carmelitanos vi productionis & proceſſionis ſuæ non ſolùm eſſe ſimiles Thereſiæ ſed & Deo: eoſq;cùm generantur in Chriſto ejuſdem gratiæ ſupernaturalis virtute conſtitui filios Thereſiæ & Dei.

Filios eſſe Thereſiæ nemo negat; omnes rationi expenſæ cedunt; at eſſe Deo ſimiles quia producti à Thereſiâ non admittunt;quoniam poſſent aut non eſſe ſimiles, aut eſſe ſimiles ex aliâ causâ. Iterum Carmelitanorum

Digitized by Google

Deiq; ſummam ſimilitudinem repono, eamq; deberi Thereſiæ perſuadeo.

305. Peregrinabatur apud Labanum ſocerum Iacob, Abraham filius, & quia ſibi omnes oves verſicolores in mercedem ſunt datę, arte multas varias & maculoſas fuit lucratus. Lego in Vulgato Interprete. *Tollens Iacob virgas populeas virides & amygdalinas & ex platanis parte decorticavit eas; detractiſq; corticibus in his quæ ſpoliata fuerant candor apparuit: illa verò quæ integra fuerant, viridia permanſerunt: atq; in hunc modum color effectus eſt varius. Poſuitq; eas in canalibus ubi & effundebatur aqua; ut cùm venissent greges ad bibendum ante oculos haberent virgas, & in conſpectu earum conciperent. Factumq; eſt, ut in ipſo calore coitûs oves intuerentur virgas, & parerent maculoſa & varia, diverſo colore conſperſa.* Hac arte ſupra modum fuit ditatus Iacob, & quales oves voluit, albas aut etiam maculoſas obtinuit.

306. Hinc conſtat Imaginationis vires ſummas eſſe, prolesq; emergere non ſolùm illi rei ſimilis quæ Mater eſt, ſed etiam illi quam mater cogitat. Hinc liquet adulterinas & ſpurias mulierum incontinentium ſoboles eſſe maritis ſimiliores quàm procis; naturalis enim pudor & timor cogit fœminam vel inſolentiſſimam, ut conjugis, quem offendit, meminerit.

Cùm igitur noſtra Diva rapta in ecſtaſim, jugi Dei meditationi vacans Reformationem novam veteris Religionis conceperit, oportet ſingulos ejuſdem Divæ filios eſſe ſimiles & cogitanti Matri, & obiecto ab eadem cogitato, videlicet Thereſiæ & Deo.

CONCEPTVS VII.

De Natura Universali et Secunda Substantia. *Thereſiam eſſe Divam communem & univerſalem, unam in multis cùm ſui multiplicatione.*

Similitudinem omnis Vniverſalitatis fundamentum jam poſuimus ob oculos, Thereſiam eſſe Divam univerſalem oſtendamus.

307. Illam eſſe puram Subſtantiam video: tantâ enim fuit paupertate & inopiâ gaviſa, ut exiſtimem omni terreſtri & mundano accidēte caruiſſe. Rebus ad victum amictumq; præcisè neceſſariis uſa, omnia illa quæ adeſſe & abeſſe poterant ſine ſubiecti corruptione, ſuperflua & generoſo animo indigna judicabat. Et quia veſtes curioſæ, lectus mollis, cibi delicati, muri divites, & pretioſa ſupellex talis erat, hæc omnia à ſuis Monaſteriis proſcripſit, cibo qui famem ſedaret, potu qui ſitim extingueret, ſago qui membra tegeret, vel ut verbo omnia explicem, rebus præcisè neceſſariis contenta.

308. Vides Thereſiam ab omni accidenti abſtractam, puram, putam; omni ſuperfluitate carentem. Procedat ulteriùs abſtractio, eamque ab individuatione præſcindens unam reddat, quæ multis inſit. Ideò una in multis eſt Natura Hominis, quod ſinguli quibus illa convenit Homines ſint; ergo una in multis eſt noſtra Diva, omnibùs enim Carmelitanis cõvenit, & omnes & ſinguli, quam diu in illis remanet Thereſia, ſunt Divi. Ergo licet unica & ſimplex ſit, in multis omninò noſtra Thereſia eſt, quòd unaquæq; perſona hujus Carmelitani Ordinis ſit altera Virgo Thereſia.

309. Sed docemur à Dialecticâ rem unã poſſe eſſe in multis, diviſione & diſtributione; primo modo, ſi dividatur realiter, ut cum cẽtum aurei dantur centum pauperibus ſinguli ſingulis: ſecundò ſi poteſtativè, ut cùm ratio ſuperior inferioribus communicatur. tunc enim non dividitur entitativè, ſed tota in omnibus inferioribus reſidet, & tota in ſingulis, ut videre eſt in Hominis conceptu ſpecifico, qui in omnibus Hominibus totus, & in ſingulis etiam totus eſt. Et hac ſpeculatione præventus, An-ne Mater Thereſia poteſtativè, an verò entitativè dividatur, & pluribus communicetur, devotè curioſus inquiris.

Reſpondeo me diviſionis entitativæ habere pulcherrima exempla: Aliud in Hiſtoriis Divinis, ubi Moyſeos Spiritum diviſum & datum aliis legimus; Aliud in Regularibus, ubi contingit ſingulos Religioſos ſingulas ſibi proponere Inſtitutoris virtutes imitandas. Porrò ſufficeret iſta diviſio ut Carmelitani magni eſſent. Tanta eſt Thereſia, ut & partes ejus ſint magnæ. Magnus eſſem Ego ſi haberem ejus Devotionem: magnus Tu, ſi ejuſdem Charitatem; magnus iſte, ſi ejuſdem Spem; magnus ille, ſi Fidem: & ne multis vos morer, quicumque aliquam haberet virtutem in gradu & perfectione quo Thereſia, eſſet magnus. At ut video, Patres Carmelitani non

ſunt

Digitized by Google

ſunt contenti hac Magnitudine, nolunt Divam dividere, totam amant, totam ambiunt, totam habent. In ſingulis totam Thereſiam video;in ſingulorum verbis totam Thereſiam audio; in ſingulorum libris totam Thereſiam lego. Si vultûs modeſtiam, compoſitionem corporis,inceſsûs gravitatem,verborum pondus & morum elegantiam conſiderem, ſtatuam;iri è duobus alterum neceſſariò conceſſum; videlicet aut Thereſiam eſſe Subſtantiam ſingularem & primam, & miraculoſo Dei favore (Chriſti Corpori & Sanguini in Euchariſtiæ Sacramento conceſſo; & fortaſſe nulli alii) in multis locis repeti, & ſub ſpeciebus diverſorum Religioſorum unam & eamdem comparere: aut eſſe ſubſtantiam ſecundam & univerſalem, unam in multis, totam in ſingulis,cum ſui multiplicatione.

CONCEPTVS VIII.
De Qvantitate Discreta, Et Continva.
Quanta Thereſia fuerit?

310 MVltiplicatur Thereſiæ Spiritus cū in multos dividitur, cùm tamen diminui diviſione deberet, ſed hæc ſunt miracula poteſtativæ diviſionis, quam myſticè In Divâ contemplor. At quia ſine quantitate nec multiplicatio ſtare poteſt, illicò mentem ſtudioſam nova ſolicitat conſideratio. Quanta enim fuerit Ordinis Prophetici Princeps, inveſtigat devotio; non quidem quanta ſpiritu. *Pulchrior in pulchro cenſetur corpore virtus.* & quia venuſtiſſimum noſtræ Divæ conceſſum, prodeſſet fortè frontis ſerenitatem, vivacitatem, oculorum, genarum ruborem, oris modeſtiam & totius corporis venuſtatem depingere, ni pulchritudo Animi purior & illuſtrior me raperet. Thereſiæ corpoream pulchritudinem imitari non poſſumus, & tamen poſſumus ſpiritualem; hæc igitur potiùs pingenda eſt:ſcopus enim meę Orationis non eſt curioſa cognitio, ſed ſtudioſa imitatio.

311. Interrogaſti ſcio, Quanta Thereſia ſit? Et reſpondeo illam eſſe Ter-ipſam, Ter-magnam. Hermes apud Ægyptios *Triſmegiſtus* fuit dictus, quod in Philoſophicis, & in Theologicis eſſet Maximus. Meam Divam Triſmegiſtam appello; videlicet, magnam in Philoſophicis, majorem in Politicis,in Theologicis maximam. Vel qui dubitet, Divæ libros evuolvat. Ibi reperiet veræ Philoſophiæ fundamenta certiſſima,ibi Politicæ Religioſæ ſtatuta; ibi Orationis, & Theologicæ Contemplationis Artem.

312. Divæ doctrina continua ſimul & diſcreta eſt; imò quod admiratione dignum eſt,ideò eſt diſcreta quia continua;jubet enim orare ſine interruptione, & ideò nominatur diſcreta. Vt commendet Benedictinam Regulam. Magnus Gregorius, eam eſſe ait *Diſcretione præcipuam*. Et quia eodem dictante Spiritu quo ſcripſit olim ille Vir benedictus,jam dudum hæc Mulier benedicta ſcribit; ipſa eſt diſcretione præcipua, & omnes leges, quas pronuntiat,diſcretæ.Teſtes oculati eſtis Vos, qui Divæ Inſtitutiones generoſè obſervatis: teſtes auriti ſumus, qui commendari veſtram obſervantiam audimur. Putamur Diſcretionem in Vobis conſtituiſſe ultimos Rigoris Regularis terminos, & ſubſcripſiſſe Non Plvs Vltra. Hoc eſt, Hîc, hîc, ſeveritas venit ad ultimum, rigor ad ſummum, obſervantia ad extremum; non progreditur ulteriùs Diſcretio;adeòque ſine Diſcretione procedet,qui Plvs Vltra.

313. Diſcreta ſunt Divæ volumina, ſed hæc ipſa diſcretio eſt in eis potentiſſima;ſunt enim diſcreta in causâ, diſcreta in ſe, & diſcreta in obiecto. quippe quæ ſcripta à Prudentiſſimâ Virgine, doctrinam prudētiſſimam continent,Lectoremque prudentiſſimum reddunt.In Comœdiam ſemel ingreſſus Cato,ſed non egreſſus ut ingreſſus. Non eſt ſub bono Deo venenum efficaciùs antidoto; non eſt ſcandalum exemplo & pietate potentiùs. Et hoc maximè relucet in ſcriptis Thereſiæ. O quot in ipsâ caſu, ô quot conſilio homines ſcelerati inciderunt! non tamen ipſi, ut inciderant,ſic exceſſerunt. Comœda acroaſis vel Catomen pervertit; Thereſiana vel Sardanapalum convertet; tantâ enim verba ſingula pollent efficaciâ & virtute; ut Virorum Illuſtrium judicio, illi Libros noſtræ Divæ non curant,qui nolunt interlegere ne bene agant, qui obdurato animo,timent ne convertantur.

314. Convertuntur ad Devm, Virgo Optima, qui te ſeriò diligunt,& ſeriò legunt. Hæc eadem converſio Magna virtus imò diſcreta virtus; quoniam volutari in luto, nec velle converti ad Devm, ſumma indiſcretio.Et quidem hæc eadem converſio eſt conti-

ti-

Digitized by Google

tinua, quoniam ſi continuò (hoc eſt, omni loco, omni tempore) à concupiſcentiis opprimur, indigemus converſione continuâ, continuâ oratione, ut à DEO clementiſſimo protectionem continuam impetremus.

315. Periclitabatur olim Petrus, captus erat, ſub ſedecim militum cuſtodiâ, damnatus capite, ad theatrum & crucem producendus. At illum liberavit Oratio fidelium continua, quæ pro illo fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſiâ. Et Ego cùm Textum Sacrum lego, Catholici noſtri Regis meminero, qui in ſæcularibus harum Regionum caput eſt, quarum in Eccleſiaſticis caput eſt Petrus. Suos Herodes & inimicos patitur, & ne poſſit Fidei Orthodoxæ Articulos in Rebelles provincias inducere, non jam ſedecim, ſed quadraginta & quinquaginta millibus impeditur. Orant pro illo alii, & quia oratione interrupta parum proſunt. Oportet ut oratio continua & ſine interruptione fiat ad DEUM pro eo. Religiones, quæ vitæ activæ ſerviunt, etiam agendo orant, quę contemplativę etiam contemplando operātur, omnes concurrunt, ſed inter ipſas non inferior alteri Thereſiana, eſt cujus virtutis quantitas eſt continua. Semper DEO vacat, intendit orationi perpetuæ, & ſine interruptione DEO Arma regia commendat, & militarem aſſiſtentiam implorat. Ergo, Potentiſſime Hiſpaniæ Rex (Te etiā abſentem diligo, te abſentem adloquor) macte animo, divinos favores ſpera. Duplici impotentiâ laboras, perſonali, militarique nam cœcus es, & vinculis & milite armato impediris. Orat pro Te ſine intermiſſione Prophetica Carmelitanorum Religio, oramus nos, orant & reliqui, ut moneatur Ananias, qui [Actorum 9.17.] dicat, *Dominus miſit me IESVS, qui apparuit tibi in via, ut videas & implearis SPIRITV SANCTO, ut confeſtim cadant ab oculis tuis tanquam ſquamæ & viſum recipias.* Ananias enim *Nubes Domini* exponitur, & conceditur cœlitùs ut videas clariùs. Nubes in oculis ſi humanitùs impreſſæ viſui officiunt, proſunt ſi divinitùs datæ, ideò enim minùs vides utilia, quia inutilia & pernitioſa magis aſpicit. ideò minùs percipit cœleſtia & Empyrea, quia magis terreſtrium contemplatione delectaris. Vbi primùm claudas nube oculos, qui objecta conſcientiæ nociva reſpiciunt, illos aperies cœlo amando, illos DEO contemplando, illos populo bene regendo. Tunc dabitur Angelus, qui Te à periculis & miſeriis eruat. Tunc Michaël aderit, qui te moneat & dicat, Inſurrexerunt contra Te, Hollandi, Catalauni, & Luſitani, nec potes contrà, quoniam alto lethargo opprimeris, Excitare igitur, ſurge velociter, & continuæ Orationis experire efficaciam. [Actor. 12. 8.] Præcingere, calcea te caligas tuas, & ſequere me. Ecce boni conſilii lux refulſit in habitaculo & ceciderunt catenæ de manibus tuis. Ecce portæ ferreæ aperiuntur ſpontè, & triumphans in civitates inimicas armis continuæ Orationis induceris. quæ omnia & ſingula, quoniam aliàs uberiùs & explicatiùs tracto, impræſentiarum tetigiſſe ſufficiat.

316. Sed jam audio. Diſplicet tibi nomen Orationis continuæ. Hæc & majora illi prodigia adſcriberes, ſi poſſibilem crederes, at impoſſibilem eſſe pronuntias; quo enim modo continuæ orationi Homo vacare poterit, tot diviſus affectibus, tot cogitationibus diſtractus & abſtractus? Homo dicitur Animal diſcurſivum, quod eidem objecto nunquam hæreat, ſed ſaltim hinc indè diſcurrat. Et ſiquidem diſcurſivus ipſe eſt, quì ſibi poterit inferre vim, & unius ſemper objecti inſiſtere contemplationi? Quid *Oratio continua* ſignificant? Videtur enim Ens eſſe, vel rationis, vel linguæ. Qui non poſſumus vel unum Pſalmum ſine diſtractione perlegere, quì poterimus totâ vitâ orare ſine intermiſſione? Vitam Thereſiæ perlego, illam ebibo, & quæſtioni reſpondeo.

317. Peregrinus, qui varias regiones videndi deſiderio diſtrahitur, hinc indè licentioſè diſcurrit, & tamen ex orbe terrarum non egreditur. Seu Alpes penetret, ſeu Pyrinæos pertranſeat, ſeu Tauros & Caucaſos ſuperet; ſeu Oceanos ſulcet, ſeu mediterraneas Regiones peragret; tametſi inconſtans & irrequietus agitetur, non egreditur ab orbe terrarum. Nec aliter procedere debemus in intellectuali diſcurſu. Si DEUM omnium noſtrorum actuum finem & ſcopum proponimus; ſi inîmus illud iter, quod ait. *Ego ſum Via, Veritas, & Vita.* vel ut nonnulli legunt. *Via ſum Veritatis & Vitæ.* tametſi vario motu hinc indè de virtute in virtutem pergamus, ſemper inibimus unam & eamdem viam, ſemper ex DEO per DEUM in DEUM tendemus. Et ut exemplis rem il-

Digitized by Google

luſtrem. Vita contemplativa & activa, rerum abundantia & penuria, doctrina & ignorantia, actio & paſſio, peregrinatio & quies, vita & mors, habitus & privatio, tametſi relativa & oppoſita, ſi pro DEO ſuſcepta unum & idem ſunt. In cœlis enim manſiones multæ ſunt, multi chori; & tametſi eò unica conducat via, quæ eſt Chriſtus, hæc ipſa in multas eſt diviſa ſemitas. Eò tendunt contemplativi Religioſi, activi Milites, Principes divites, Plebæi pauperes, Theologi docti; indocti Ruſtici, Confeſſores agentes, patientes Martyres, exules ob juſtitiam, Captivi ob fidem, Mortui mundo, Viventes DEO, Habentes nihil, & Poſſidentes omnia. Nos omnia ad DEVM conducunt, ſi omnia ad DEVM dirigamus; aliàs enim vel herculei labores inutiles & caſſi ſunt. Hinc libr. de viâ perfect. cap. 3. ſub fin. noſtra Diva; *Si orationes, ſuſpiria, diſciplinas, jejunia, & reliquas actiones veſtras ad eum quem dixi finem* (nempe DEI honorem & Spiritualem fructum animarum) *non dirigatis, credite firmiter, non ſatisfacere vos fini præfixo à DEO qui vos vocavit.* Cùm igitur finis Carmelitanæ Religioni præfixus ſit continua & perennis oratio, & tamen fini ſatisfacere cenſeantur quævis humanæ actiones, ſi ad DEVM directæ; ſequitur continuam habere orationem, qui quidquid faciat, in divinæ legis obſervantiam collimat. Orat igitur continuo fervore, qui actiones omnes ſuas in DEVM ordinat. & tametſi ex diſciplinis ad ſuſpiria, ex jejuniis ad contemplationem diſcurrat, non diſtrahitur, ſed in ſummâ actionum paſſionumque inconſtantiâ conſtans, & immobilis adhæret DEO.

CONCEPTVS IX.

De Inhaerentia Accidentium. *Pios Homines inhærere DEO tametſi accidentium incapaci.*

318 QVid ſum loquutus? etiam in conſeſſu Academico locum ſibi vendicant verba inconſiderate prolata? Inhærentia uni & ſoli competit Accidenti, & DEVS accidentium eſt incapax. Quid ſonant illa ultima verba præcedentis periodi; videlicet, *Immobilis adhæret DEO?* Quid illa Poëtæ-Regis, *Mihi adhærere DEO bonum eſt?* Quo noſtra Diva modo adhæſit DEO? quo nobis adhærere perſuaſit? Occurrit reſponſuro pientiſſima Sacerdotis Oratio. ubi enim in Miſſâ, *Fac me tuis ſemper inhærere mandatis*, Romanus ait: ibi Ciſtertienſis, *Fac me tuis ſemper mandatis obedire*, reſumit. Ergo in Lexico myſtico *Inhærere*, aut *Adhærere DEO*, nihil aliud, quàm *obedire* eſt. Semper igitur Majeſtati Divinæ adhærens & inhærens, qui ſemper obediens: & ille ſemper eſt obediens, qui nunquam inobediens eſt.

CONCEPTVS X.

De Linea, Specie Prima Continuae Quantitatis. *Viam, quam ſuis præivit Thereſia, fuiſſe lineam.*

319 ET quidem inter omnes morales, Obedientiæ via ſecuriſſima eſt, & quia illam inire vis, An ſit auguſta, an anguſta, requires. Non te gravabo multis; uno verbo reſpondeo; Via perfectionis, quam præivit Thereſia, quam agunt ejus Aſſeclæ, Linea eſt. longa quidem, ſed expers latitudinis & profunditatis. Empyreum Sœculares adeunt; ſed per duas vias. Vitæ latitudinem habet illa quam Sœculares terunt, qui cùm non admiſerint conſilia Evangelica, lato itinere indigent, ut cum uxoribus, filiis & divitiis procedant. At illa, quam tenent Religioſi, ſolennibus votis obſtricti, latitudine caret. Hanc viã ſtrictam, anguſtam, latitudinis neſciam, docuit ſuos Elias, Eliſæus, Ioannes Baptiſta & alii in lege veteri. & in Chriſtiana, ſinguli Apoſtoli & Evangeliſtæ, & inter ipſos ſtrictiùs Marcus, illuſtrarunt Baſilius, Auguſtinus, Benedictus, Robertus, Norbertus, Dominicus, uterq; Frãciſcus, & Ignatius. Omnes & ſingulos imitata Thereſia, ſi hymnis ab Eccleſiâ Catholicâ in laudem S. Franciſci decantatis utamur.

Dedit vivendi lineam.

lineam quidem; non ſuperficiem, non corpus: diſplicet enim DEO & corporeum ſtudium, & Sanctitas ſuperficialis. Non eſt vacandum corpori, ſed animæ; & ab hac omnis ſanctitatis apparentia, quæ ſuperficiem tingat, & cor non tangat, omninò proſcribenda eſt. Meritò vocantur à CHRISTO, *Sepulchra dealbata*, qui ſuperficialiter Sancti; quoniam oculis inſipientium cenſentur pii, cùm tamen interiùs vermibus culparum ſcateant, & teterrimum fœtorem peccatorum exhalent. Sanè non eſt cor-

Digitized by Google

corporea nec ſuperficialis Carmelitanorum obſervantia; eſt pura linea latitudinis expers. Si ſtrictiſſimam dicas, parum dicas, ſtricta enim dicuntur, quæ parvam latitudinem habent: at Carmelitanæ Religionis auſteritas ſeverior ſeveriſſimâ, linea eſt, quæ nullam latitudinem habeat.

320. Mira res! Si Thereſia non init viam ſtrictam, ſed lineam, qui inclamat cum Pſalte Rege; *Domine, viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum?* Corda dilatata latis & ſpatioſis egent orbitis; & per lineas, ſi Euclidi & Geometris univerſis creditur, non dilatatæ moles, ſed indiviſibilia puncta fluunt: Errat ergo David, errat Thereſia, erramus omnes quotieſcumq; auguſtam latitudinem cordis volumus per anguſtias unius lineæ traducere.

321. Sed non. Cor noſtrum à conditione ſuâ DEO ſimile: nimirum, ſphæræ intelligibili, cujus centrum ubique eſt, & nullibi circumferentia. Si ſphæræ ſimile, profectò ſphæricum. Si ſphæricum, non jam viâ latâ indiget, ſed merâ lineâ. Si dubitas, lemma pericliteris. E materiâ ſolidâ aut globum fac aut factum concipe; plano impone, illudque ille in ſolo indiviſibili puncto continget. Illum promove, & ipſe quantus eſt, motu ſuo indiviſibilem lineam deſcribet.

322. Sed quia mihi ipſi placeo, cùm hujuſmodi conceptum expendo, me vobis etiam placere exiſtimo, cùm moror, & rem altiùs explano. Docere oportet tria; quid requiratur, ut cor humanum globus ſit? Quî ſoleat ſphęricam figuram perdere? & Qualiter recuperare.

CONCEPTUS XI.

DE GLOBO, PERFECTISSIMA QUANTITATIS SPECIE. *Hominem, ſi Sanctus ſit, eſſe ſphæram; & mereri per indiviſibilem lineam.*

EXpediendæ Quæſtioni prodeſt Sphæræ definitio; quoniam ſi congeramus, quæ Archimedes, Euclides, & alii Viri illuſtres ſpeculati ſunt, *Globus eſt figura ſolida, è cujus centro ad circumferentiam omnes ſunt lineæ æquales.* Si has proprietates corde habeas, eris ſphæra ſphæræ æternæ ſimilis, & David, quoniam illas habebat, dignus fuit de quo diceret DEUS: *Inveni hominem juxta cor meum.*

323. Sunt qui omni figurâ carent, qui nec DEUM timeant, nec Dœmones horreant, nec Homines revereantur: qui nulla curent. Hi à tuo ſunt conſortio proſcribendi, qui enim ſine lege vixerunt, juxta divinæ legis ſententiam in æternum peribunt. Terra, quam Mundum vulgò dicimus, ut habeatur Dea, divinam affectat figuram. Pronuntiat: ſimilis ero altiſſimo: ille intelligibiliter eſt ſphæricus, ero materialiter ſphærica, ut ſicut Spirituum ipſe eſt DEUS, ſic corporum ego ſim Dea. At Tu Mundi (aut Dœmonis hoc nomine divinos honores ambientis) figuram hiantem & protuberantem ne recipe, *ſed tanquam non utaris, Mundo utere*; [1. *Corinth.* 7. 31.] *præterit enim figura hujus Mundi*: Recipe Chriſtum, *Ipſe enim* [*Hebr.* 1. 3.] *ſplendor gloriæ, & FIGURA Subſtantiæ Patris, portans verbo virtutis ſuæ purgationem.* Si enim ſemel hanc figuram ebiberis, ab omni peccato purgaberis, nec iterum, ſi nolis, recides: quoniam qui ex DEO eſt non peccat, quamdiù ſervire DEO deſiderat, quamdiù enim ille diligit DEUM, tamdiù ſemen & figura DEI manet in illo.

324. Terra globo perfecto ſimilis, ſed inficitur montibus, vallibuſq; illi ultra legem excedunt, & iſtæ infra legem deficiunt: vult videri rotunda, & tamen ſunt in eâ omnes lineæ à centro ad circumferentiam inæquales. Similis ero Altiſſimo, ait Lucifer, at lineæ quæ è corde egreſſæ (cogitationes & affectus intelligo) æquales non ſunt, ſed iniquæ. Excedit in amore ſui, in amore DEI deficit; ideò cùm perfectiſſimus haberi vult, non niſi imperfectiſſimus eſt. Pietati Hypochriſis ſimillima eſt, ſed illa ſphæricam figuram habet, hęc affectat. Frequentat eccleſias, orat, luget, jejunat Homo pius; facit idem hypochrita; ecce ſimilitudinem. At quia ille rationem & veritatem ſequitur, ſemper, æquè procedit; iniquè hic quia rationem & veritatem deſpicit mera virtutis apparentiâ contentus. Omnes illis actiones uniformes ſunt & Decalogo conſonæ, omnes actiones hujus diſſymbolæ, diſſonæ, diformes quam ob rem omnia ſunt diſſimilia, ubi mera ſimilitudo quærebatur.

325. Reſpue igitur figuram Mundi, ſe ſub alienâ ſpecie protrudentem, divinam elige, quæ in ęquitate & ęqualitate actuum conſiſtit. Semel iſtam fortiùs, illam non liquidè poſſide ſed ſolidè; nec importunam admonitio-

Digitized by Google

tionem judices, video enim multos homines liquidos, carentes Sanctitate ſolidâ, qui ſemper operantur liquidè. Primò produco Hæreticos, qui ut impune ſint liquidi, liquidum DEVM protrudunt, dum Spiritum privatum admittunt: ſi enim ipſorum DEVM aliquid ſolidi & conſtantis haberet; nullatenus in tot contradictiones inciderent. quoniam Spiritus ille privatus, qui eorum hæreſin ſubſtruit, aut negari debebit, aut aſſeri ſimilis materię liquidæ, quæ omnium ſolidorum figuras, tametſi diverſas & oppoſitas recipit; ſimilis Camæleonti, qui mutato vento etiam colorem mutat: ſimilis Vertumno Protheóue, habentibus ſingulis diebus figuras & ſpeciebus & ſpecies varias & multiformes. Volo loqui in ſpecie, & ob oculos ponere Euchariſtiam. Quid Tibi Martine Luthere, quid tibi Ioannes Calvine ſuggerit privatus Spiritus? Materia notabilis eſt, & in quâ error parvus non datur. Lutheri Spiritus veram & realem Chriſti ſub ſpeciebus præſentiam ſuggerit: Spiritus Calvini negat. Ergo ſunt duo Spiritus, & Lutherani & Calviniſtæ, ſicut dogmatibus, ita differunt DEO. vel ſi unus, eſt Spiritus liquidus, ſoliditate carens, qui ſicut aqua diverſiformibus infuſa phialis figuram mutat, ſic etiam ipſe diverſis illapſus peccatoribus, dictamina & figuras variat & jam aſſerendo, jam negando, jam retractando & contradicendo ſeſe omni creaturæ configurat. Sanè ſi hæc vera, decipimur ab eo, qui dixit, *Ego DEVS, & non mutor.* Sed quia DEVS nec falli nec fallere poteſt ſolidiſſimâ veracitate præditus; falli & fallere Hæretici dicendi ſunt, qui habent dictamen liquidum, illudque concupiſcentiis ſuis configurantes, fingunt DEVM eaſdem recipere & habere ſententiarum figuras.

326. Homo igitur virtutis ſtudioſè, ſi Chriſtum indueris & figuram DEI ſolidam conceperis, triumpha; ſphæra eſto myſtica ſimilis DEO. ſed ne fortè deſiderio puro & non poſſeſſione diteris, curioſè examina, an devotæ tuæ ambitionis objectum abſens, an præſens ſit? quia tametſi nemo evidenter ſcire poſſit gratiâne an odio dignus ſit, ſunt rationes fortiſſimæ, ex quibus ſe eſſe objectum congruum divinæ dilectionis ſecuriſſimè poſſit inferre. Metiatur omnes lineas & operationes ſuas. Si omnia ejus decreta (lineæ ſunt à cordis corde, hoc eſt, à voluntate ductæ) ſint æqua, hoc eſt, legi divinæ æqualia, eſſe putet à poſteriori demonſtratum ſe carere morbo mortifero; abyſſus enim abyſſum invocat, culpa culpam, & peccatum.

Verè Thereſia intellectualis globus fuit, Chriſti ſolidam figuram concipiens & actionum ſummam æqualitatem ſervans. Semper ſibi & DEO ſimilis, habuit morum & converſationis puritatem, quam nunquam perdidit.

CONCEPTVS XII.

DE ANGVLO, RECTO, ACVTO, ET OBTVSO. *De peccatis rectis; de Veterum ingenioſis & acutis hæreſibus, & ſectis Iuniorum obtuſis.*

SEd quia aliqui aut non admittunt gratiam, aut admiſſam reiiciunt, aut fortè reſiſtunt non rejectæ, quomodo ſphærica cordis figura excidat, breviter exponendum eſt.

327. Excidit ob mortale peccatū, quod angulus moralis eſt. Et quia tria angulorum ſunt genera, doceor tria eſſe genera peccatorum. Dantur peccata, recta, acuta, obtuſa. Recta committit, qui ab alio ſeductus & rectus. Tale fuit, quod primi parentes commiſerunt. Eva voluit regi à ſerpente, ab Evâ Adamus; unde uterque rectus directè in legem divinam impegit. Acuta ſunt veterum Hæreſiarcharum crimina. quos ingenii ſubtilitas pœnis æternis condemnavit. Pelagium talem nobis aliqui deſcribunt, ut præter mentis ſuperbiam & devia à fide acumina nihil reperias quod reprehendere poſſis; tales alios, ut meritò poſſit quis dicere.

Si ingenium demas, vita quoq; crimina demes.

At Lutheri, Calvini, & aliorum, qui noſtro ſæculo arbitrii libertatem proſcribunt, & gratiam indifferentiæ hoſtem & neceſſitatis comitem adſtruunt, peccata ſunt omninò obtuſa, non niſi ab obtuſo genio nata; quippè quæ non in fidem ſolùm, ſed & in ipſammet rationem naturalem impingat. mihi enim faciliùs perſuadebitur hominem brutumque, toto cęlo diverſa, non diſtingui, quàm hominem carere arbitrii indifferentiâ, eſſeque ad unum ſolùm contradictionis extremum divinitùs ita determinatum, ut in alterum inclinari non poſſit.

328. Hinc ſatisfit difficultati gravium rationum pondere agitatæ à Theologis exami-

minantibus, An poſſit unum grave crimen altero retento condonari? aut ſaltem peccatum & gratia componi? Reſpondeo futurum eſſe ut poſſit, cùm globus angulos & ſphæra ſinus habere queat. Vtrùm autem poſſit dari divinitùs aut ſinuoſa ſphęra, aut globus angularis, clariùs eſt, quàm debeat prolixiùs oſtendi.

CONCEPTVS XIII.

De Globo (*Hiſp.* Abollado) Cui Aliqvid Additvm Detractvmve.

Scrupuloſos, ſuperbos, inquietos, & ignorantes eſſe: lineâ aut viâ ſtrictâ non capi; per laxam in perditionem ruere.

SEd & ſcrupuli cor humanum deformant, & ſæpiuſculè concupiſcentiæ tyrannidi abſolutę aut potiùs diſſolutę ſubiiciunt: ſcrupuloſus enim, quia res leves magni facit, putat cõſentaneum rationi, parvi facere magnas.

329. Globum per planam motum ſuperficiem conſideraſti, & decurſu ſuo lineam indiviſibilem formari intuitus, novæ te contemplationi præpara. Globum recipe manu, comprime, ſcrupulis punge, ſpinas & aculeos infige, rerum variarum etiam indifferentium ſigilla imprime, & ſic compreſſum plano reſtitue, & impelle. Aut cœcus es, aut videbis eum non jam contentum lineâ, motu ſuo viam deſcribere latam & ſpatioſam, tametſi dubiam ancipitem & irregularem.

Cera cor, Poëta-Rex, *Cor meum ſicut cera* (Pſal. 21.15.) *liqueſcens in medio ventris*, (hoc eſt, *pectoris*) *mei*. Si triſtitiâ & rerum cœleſtium tædio aut nauſeâ comprimitur, ſi ſcrupulis & dubiis pungitur; ſi contentionum ſpinis ulceratur; ſi idearum inutilium impreſſiones tolerat; à globi perfectiſſimâ figurâ deficit; incipit eſſe Deo diſſimile, & in lineæ quantitate non capi. Vento vanitatis promotus latam viam ingreditur, quæ conducit ad mortem.

Volunt ſcrupuloſi, videri ſeveri & ſtricti; cùm reverà ſi ſtrictè & ſeverè ſentirent, ſcrupulis agi non poſſent. Scrupulus à doctis definitur, *Conſcientia ſuperba & ignorans*, & certum eſt, ſuperbiam ignorantiamq; per ſtrictas vias tranſire non poſſe. Superbiæ ducis, Avaritias, Luxus, Inuidia, Furor, Intemperantia, & Ignavia circum pedes, & Error, Hæreſis, Impœnitentiaq; Ignorantiæ ſatellites, omni ſceleri & vitio latiſſimam aperiunt viam.

330. Sanè Scrupulus, conſcientia ſuperba & ignorans. Convenias ergo me, Anime ſcrupuloſe, qui hæſitas, dubitas, & agitaris. Æger es. Laboras morbo duplici, adeòq; indiges duplici medicinâ. Vexaris ſuperbiâ & ignorantiâ: ignorantiâ quidem, quia formando probabili dictamini non ſufficit; ſuperbiâ, quia Dei Vicario (Patrem ſpiritualem intelligo) non adquieſcis. Si vis melioris directioni ſubſiſtere, ſanabilis es; ſi ſubſis, ſanus. Convenias tandem me, ut te ad Chriſtum conducam, qui ait, *Venite omnes qui gravati & onerati eſtis, & ego reficiam vos*; oneratos & gravatos invitans. Fecit te Devs ſphæram perfectiſſimam, cum Adamum condidit; & quia eo peccante ab ſphæræ perfectione excidiſti, te baptiſmo refecit. Sed & iterum peccatis & ſcrupulis formam dedecoraſti, accede iterum & iterum reficiet te. Verbo omnia fecit, & te ſi acceſſeris, verbo reficiet. Se ſe Chriſtus in cathedrâ veræ ſapientiæ jam repoſuit, Obaudiens Patri æterno, jam ait:

331. *Numquid Ego auditor tantùm, nunquamque reponar.* Ecce nota vult facere, quæcumque à Patre audivit. Accede, obaudi, attende, Chriſtus incipit. *Diſcite à me*, inquit, ſed quid à Chriſto, Scrupuloſe, diſces? An in procelloſis Oceani fluctibus Arces marmoreas fabricari? An verò claſſes opulentas & divites per arborum apices & montium culmina traducere? neutrum omninò. Hæc enim, & majora nonnunquam illuſa tua phantaſia facit. Quid igitur? An Eccleſiæ veteris Patres contemnere, non morari Doctores, Scholaſticos Authores triunci facere? An cenſere univerſos æternæ vitæ incurios, remiſſos, deſides, ignavos; te unum Sanctum, diligentem, & veræ virtutis ſtudioſum? Minimè; id enim nec poteſt Devs docere, nec tu licitè diſcere. Non poteſt id docere Devs, quia hominum ipſe in vitia non inducit. Id tu non potes diſcere; quia in contemnendi proximos, temerè judicandi, ſuperbiendi & vanè-gloriandi arte, magiſter eſt. Quid tandem à Chriſto repoſito (hoc eſt, agente doctorem & magiſtrum) nunc diſces? Ipſum audi. *Diſcite à me*, inquit, *quia mitis ſum & humilis corde.* Diſcite ut ſcientiam habeatis; ſed quia ſcientia, ſi ſuperba, nociva, diſcite converſationis ſuavitatem & humilitatem actionis. Si humilitas veſtra fuerit ſapiens, ſcientia veſtra erit humilis;

&

Digitized by Google

& utraque tranquilla & lenis. Et ſi Conſcientia veſtra ſit humilis tranquilla & ſapiens, non erit ſuperba procelloſa & ignorans, adeòque nec ſcrupulis acta.

332. Quam humilis tranquilla & ſapiẽs Thereſia Thereſianorumq; conſcientia! nulla ſine charitate ſapientia, nulla ſine ſapientiâ tranquillitas, nulla charitas ſine humilitate. *Non enim intelligo, nec intelligere potero*, ait de via perfectionis cap. 16. Thereſia, *quomodo invenitur ſeu inveniri poſſit, aut charitatis expers humilitas, aut charitas expers humilitatis.*

CONCEPTVS XIV.

De Qualitate. De Potentia Et Impotentia; Habitu Et Dispositione; Passione Et Passibilitate; Forma Et Figura. *Sine Humilitate placere DEO neminem poſſe. Hanc Virtutem eſſe potentiſſimam, eſſe & impotentiſſimam; perſeverare & diſponere, eſſe proprietatem & paſſionem; eſſe qualitatem viſibilem; audibilem, ſenſibilem: & tandem eſſe Figuram Formamque reliquarum Virtutum.*

QVantitatem Virtutis, quâ dotavit Thereſiam Omnipotens, conſideravimus; & hæc conſideratio ipſa in Charitatem Humilitatemque conduxit, quas nos *Qualitates* vocamus. Sed quid qualitas? Cicero in Acad. *Qualitates appellari quas* Poiotitas, *Græci vocant; quod ipſum apud Græcos non eſt vulgi verbum ſed Philoſophorum*. Sunt igitur Ponotitos, quędam ornandi & operandi principia, quæ ſolent ad Potentiam & Impotentiam, Habitum & Diſpoſitionem, Paſſionem & Patibilitatem, Formam & Figuram reduci. Et quidem Qualitates quæ Thereſiam exornant plurimæ, plurimæ quæ operationes ejus dirigunt & præveniunt; nec quæ libari brevi tempore poſſint. Ego unam explicandam adſumam, videlicet Humilitatem.

333. Humilitas quædam humana omnipotentia eſt, quâ Animus præditus nihil non poteſt. Puriſſima virtus eſt caſtitas & pręcipuè virginea, at Tartarus abſorbet plurimas ſuperbas Virgines non tamen vel unum hominem humilem habet. *Audeo dicere*, Bernardus ait, *nec MARIAE Virginitas placuiſſet DEO ſine humilitate*. Quod & ipſa fatetur, cùm inquit, *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Ecce potẽtiam Humilitatis ſummam! Quid altiùs DEO? quid profundiùs Homine? Quid ab infinito quàm finitum diſtantiùs? & tamen iſta omnia in Chriſto Humilitate propriâ, & Humilitate Matris conjũguntur. Vt mirum non ſit Thereſiam tot patraſſe prodigia, quam ſummè humilem fuiſſe videmus.

334. Omnipotentiam ſuam DEVS ſumma olim liberalitate communicavit noſtræ Divæ; immò etiam nunc communicat, quotieſcumq; miracula & prodigia ejus interceſſione patrat. Cæterùm hæc Sancta Virgo tametſi potentiſſima, ad plurima impotens fuit, ut mirum ſit videre ſummam potentiam cum ſummâ impotentiâ conjunctam. Inſpiratur ut ſupra ſpem, contra communes mores Hominum, viam arduam ineat, & contra hoſtes viſibiles & inviſibiles arma ſumat, & ipſa fragilitatis oblita, omnia ſuperat, quoniam potentiſſima eſt. At ſuggeritur contra ut ſuæ debilitati condeſcendat; ætati laboribus attritę condoleat; ſolamina, quæ licitè poteſt, recipiat; & ipſa, ut hæc audiat, ſurda; & impotens, ut faciat, eſt.

335. In Thereſiâ Humilitas ſimul Habitus & Diſpoſitio fuit. Habitus, quia conſtans & perſeverans; Diſpoſitio, quia illam ad grandes à DEO favores recipiendum præparans & diſponens.

Fuit Paſſio, fuit Proprietas: tanta, ut (ſi Chriſtum, Chriſtiq; Sanctiſſimam Parentem excipias; hi enim ab omni comparatione ſemper exulant) majorem in nullo, æqualem vis in aliquo floruiſſe probes. Multa ſunt hujus veritatis exempla, quæ quia multa non debent uberiùs exponi.

Et ſanè in multis etiam Sanctis Humilitas non eſt patibilis & ſenſibilis ſed intelligibilis qualitas. Pontificum enim, Imperatorum, Regumq; Humilitas, auro, argento, gemmis, famulis & delitiis ita occulitur, ut cogitari aut credi debeat, at oculis videri non poſſit. At noſtræ Divæ Humilitas viſibilis & audibilis fuit, nemo enim vel illam vidit, vel audivit, qui non humilem judicarit. Humilitatem nobiliſſimæ Virginis perſonat oculorum depreſſio, verborum parcitas, ciborum vilitas, veſtium paupertas, & converſationis auſteritas.

Tan-

Digitized by Google

Tandem huic Divæ Humilitas Forma fuit; Figura fuit. Materiam pronuntiant Thomiſtæ exiſtere exiſtentiâ Formæ, & ſi hoc verum, omnium virtutum Forma Humilitas; omnes enim, quà meritoriæ & vivæ, exiſtunt Humilitatis exiſtentiâ. Pono ob oculos hominem ſanctum & humilem. Aufer humilitatem, & ſimul auferes Charitatem & Gratiam; hanc enim humilibus concedit DEVS, quam negat ſuperbis & elatis. Sublata Gratiâ non manet viva Fides, non meritoria Spes, non Virtutes DEO charæ; ſed inanimes quædam prærogativæ & moralia quædam Virtutum heroïcarum cadavera.

336. Occurrunt Ciceronis pulchra verba. (Cicero de Vniverſit.) *A quo enim Animante omnes reliquos contineri vellet Animantes, hunc eâ figura figuravit, quâ unâ omnes reliquæ formæ concluduntur*. Ea meo propoſito & intentioni adproprio. *A quâ virtute*, inquam, *reliquas voluit DEVS contineri virtutes. hanc eâ figurâ & ſpecie figuravit, quâ unâ omnes reliquæ formæ & figuræ continentur*. Vel ſi dubites Thereſiam reſpice. In ipſâ non ſemper non ubiquæ reliquæ Virtutes operantur; nam prout tulerunt tempora, varias exercuit. Iam orat labiis, jam contemplatur mente, jam corde ardet, jam vitia delet, jam virtutes implãtat. Hic lachrymatur, ibi ſubridet; hic quieſcit, ibi currit; inibi alia omninò diverſa operatur. In mentali oratione vocalis non relucet, in cordis ardore mens quieſcit; in ſingularum Virtutum exercitiis non omnes neceſſariæ ſunt, at Humilitas, quia eſt quoddam virtutum omnium attributum tranſſcendens, ultimas cauſarum, actionum & effectuum differentias pervadit; omnem virtutem prævenit; omnem comitatur, omnem ſequitur ſingulas prædeterminat, ſingulis concurſum ſuum attemperat, ſingulis pretium & valorem addit, ſingulis meritum & perfectionem inſerit. Ipſa eſt ſimpliciſſima Virtus (non enim ſunt humiles, qui corde duplici) in quâ tanquam in quodam vaſe reliquæ continentur & foventur Virtutes; quæ, ne nomen ipſum retinebunt, nî figuram impreſſam retineant, & ſint Humilitati Reginę Virtutum conformes.

✠

CONCEPTVS XV.

DE RELATIONE. *Carmelitanam Religionem eſſe Ordinem unius; hoc eſt, Omnes Carmelitanos eſſe unicum Carmelitanum.*

OMnes Virtutum Qualitates in unâ & ſolâ Humilitate contineri jam videmus; ſed quia inter ſe Relationem & Connexionem dicunt non nihil de ratione ſubjungemus. Relatio à noſtris definitur Philoſophis, *Ordo unius ad alterum*.

337. O quàm appoſitè convenit hæc definitio Carmelitanæ Religioni. Hęc eſt Ordo, quoniam in eâ nihil reperio deordinatum. Ordo ipſa eſt non plurium ſed unius Religioſi. Sed quomodo? Docet Doctor Angelicus omnes Intelligentias Cœlicas, omnes æthereos ſpiritus differre ſpecie: hoc eſt in nullo Ordine, in nullâ ſerie, in nulla ſpecie dari bonos. An-ne & Carmelitanus Ordo eſt angelicus unico ſolo individuo contentus? A laude & vituperio abſtraho; at non deſidero Prophetico huic Theologorum Ordini, quod in multis Conventibus vidi. O quoties Regum Conſiliis, in Capitulis Religioſorum, quot capita, tot ſententias audimus! Ita aguntur humana, ut opinionum varietate perculſus, tot ſubalternas ſpecies hominum diceres, quot individua numerares. Sed non dico dari multos Carmelitanos differentes ſpecie, quia id nec in Carmelitanâ obſervo; nec in aliis, ſi datur Religionibus laudo; ſed teneo omnes Carmelitanos eſſe ejuſdem generis, ejuſdem ſpeciei, ejuſdem numeri. Hoc ultimum rarum & difficile eſt, ſed Ego breviter expono & perſuadeo.

338. Carmelus terra eſt labii unîus & ſermonum eorumdem & quia nec relaxationis diluvium inundavit regionem, nec confuſionis Babylonicę turris erecta, morum & animorum unitas conſervatur. Thereſiæ Spiritus individuus & ſingularis eſt & tamen repetitur in ſingulis Carmelitanis. Ergo ſiquidem unaquæque Religionis Perſona eſt una & ſola Mater Thereſia ſæpiùs repetita, omnes moraliter idemtificantur. Igitur Carmelitana Religio eſt Ordo non plurium, ſed unius; in ipſa enim omnibus eſt cor unum; anima una, mores iidem, eadem Sanctitas & obſervantia.

Fingebant Veteres eſſe centum-geminum Briareum; hoc eſt, centena habere corpora, unam

Digitized by Google

unam animam: nec ſine fundamento ſi Patres Carmeli viderunt. Milleni & milleni diverſas Provincias honorant, licet corporibus & locis differant, non differunt Spiritu, pietate, fide, ſeveritate, auſteritate; univerſi enim, tametſi in ſe multi, in DEO unum & unum ſunt.

339. Vlteriùs ducor, ſed me detines; nec progrediar, quin piæ tuæ curioſitati ſatisfaciam. Carmelum labii unius & ſermonum eorumdem eſſe regionem dixi, & quodnam ſit labium iſtud, interrogor. Dubium diſſolvet ipſa Diva. *Linguam illam*, ait, *quâ DEVS loquitur, ſi ſpiritus deſit, tam difficulter intelligi, quàm Hebraicam aut quamcumque aliam vel exoticam, licet quis annis multis orationi vacarit*. Eſt lingua cœleſtis & intellectualis, quâ ſumus æternùm uſuri. Illa in quâ paucis multa complectimur; in quâ verba proferimus Verbo æterno ſimilia, adeòque Sancta immaculata & vera quæ quidem non eſſent Sancta, immaculata & nî bona nî cordi intrinſecùs correſpondentia.

CONCEPTVS XVI.

De Actione. De Generatione Svbstantiali, Et Eivsdem Principiis; Materia, Forma, Et Privatione. De Negatione Negante Et Infinitante. *De Sacramentorum virtute. De Converſione ſupernaturali, & ejuſdem Principiis. De Gratia & Peccato mortali.*

AN & Verbis vis operativa concedetur? Maximè. DEVS enim omnia fecit Verbo, Homo DEI ſingulari beneficio in Sacramentorum uſu uno aut altero verbo prodigia miraculoſa facit. Verbo Animas regenerat & recreat; peccata abluit, ſupernaturales dotes & gratias cœleſtes infundit; robur laſſis & imbecillibus vires communicat; & ut verbo omnia dicam, ignobilis materiæ ſubſtantias (panem, vinum) in corpus & ſanguinem CHRISTI convertit.

340. Sacramenta & verbis conficiuntur; & frequenti Sacramentorum perceptione Thereſia adolevit in Herculem; & non jam labores & agones duodecim; ſed ſexcentenos ſuperavit. Verbo DEI genita, tot verbo homines DEO Empyreo genuit, quot doctrinæ & vitæ linguâ à peccatis extraxit, & ad CHRISTVM convertit.

Sed quid Converſio? quot & qualia ſunt ejuſdem principia? Converſio eſt unius Formæ ad aliam tranſitus; & in naturalem & ſupernaturalem dividitur. Illius principia; Materia, Forma, Privatio: hujus verò: Voluntas, Gratia, Culpa.

Voluntas in ſerie ſupernaturali materia prima eſt, infecta appetitu inſatiabili, quam adulteram propriùs diceret, Plato, quàm ipſam corpoream materiam. Exiſtit exiſtentiâ formæ, vivit vitâ formæ: ipſa enim ſi gratiâ careat non eſt viva, ſed viventis cadaver. Non exiſtit, ſed nihil eſt moraliter conſiderata; ita enim ſe habet, ac ſi verè non eſſet; nam Apoſtolo (1. Corinth.) teſte, *Si linguis Hominum & Angelorum loquar, charitatem autem non habeam, nihil ſum.-----Gratiâ enim DEI ſum id quod ſum, & gratia ejus in me vacua non fuit.* Hinc collige Gratiam & Charitatem eſſe quamdam moralem Virtutum Formam & exiſtentiam; & Culpam contrà rectitudinis & gratiæ Negationem.

341. At Negationes Dialectici cognoſcunt duas; Negantem, Infinitantemque. In utrâ igitur formalitas Peccati conſiſtit? Infinitantem, ſi voluerint, adjudicent, qui in crimine malitiam infinitam admittunt; at Ego qui ſolum DEVM infinitum concedo, præter quem omnia, ſeu bona, ſeu mala, limitibus determinatis circumſcribo, negantem eligo, ut peccati naturam & ingenium deſcribam. Sic illam Patres Carmelitani Complutenſes definiunt. *Negatio negans, eſt negatio malignãtis naturæ, omnia quæ apud ſe invenit, deſtruẽs.* O peccati deſcriptio excellentiſſima! Negatio quidem illud eſt; negans, non infinitans. Eſt mera negatio rectitudinis, ſuffulta multis negationibus. Nam dum ſe negat obedientię peccator, negat obſequium legi, debitam operationem DEO; eſt profectò malignantis naturæ: gratias, merita, prętogativas, & omne ſupernaturale Ius, quod Animus habebat in Cœlum, crudeliſſimè dirimit, caſſat, & deſtruit. Hanc ingenii maligni negationem Thereſia exemplo & verbo à cordibus ſuorum eradicat, & ejus loco Omnipotentis DEI Charitatem implantat.

CON-

Digitized by Google

CONCEPTVS XVII.

De Passione. Passa Agentibus Reddi Similia. *Thereſiam Angelum, Apoſtolum, Martyrem, Confeſſorem, Virginem Agentis habere virtutem, nos Paſſi. Illam intendere omne adſimilare ſibi paſſum.*

MIra res! Omne agens intendit ſibi ſimile, inquit Stagirita, & ſupernaturale videretur omni carere activitate, ſi ſola ſupernaturalia attingeret. Convertunt tranſnaturales cauſæ etiam ſubjecta materialia.

342. Occurrit inſtantia curioſa conceptum propoſitum demonſtratura. CHRISTVS ſupernaturaliter loquendo (Ioann. 15. 1.) Vitis eſt; *Ego ſum vitis vera*, inquit, *& Pater meus Agricola eſt*; & Ioann. 15. 5. *Ego ſum vitis & vos palmites.* Et quia activitate eminentiore præditus; ſibi reddidit ſimilem alterius elementi ſubſtantiam. Rem expendo. Nuptiæ erant Canæ. Ioann. 2. 1. & ſponſos CHRISTVS ſuâ divinâ præſentiâ cohoneſtavit. Deficiente vino Architriclinus hydrias aquâ plenas expóſuit coram Vite verâ. Obſtupuit aqua vitis activitatem, nec ejus potuit tolerare præſentiam quin illicò converteretur.

CHRISTO Thereſia ſimilis, in vitâ per gratiam, & in morte per gloriam. Coronatur à DEO laureâ ſupernaturali, & [ut habetur in ejuſdem Officii Lectione III.] quædam arbor cællæ illîus proxima ſtatim effloruit; viſuſque eſt inter Angelorum agmina CHRISTVS IESVS morienti adſiſtens. CHRISTVS agens omnipotens reddebat Thereſiam ſibi ſimilem; ſimilis enim DEO, quæ videbat DEVM ſicuti eſt. Thereſia flore recenti coronata ſiccam arborem, proximam tamen reddidit ſibi ſimilem.

343. Ergo, & vos adproprietis triũphanti. Siccis & aridis arboribus meliores paſſeres; & innumeris paſſeribus [Matth. 10. 31. Lucæ 12. 7.] multò meliores eſtis vos. Si arbor arida non potuit ſuſtinere Palmæ coronatæ præſentiam, quin in floridam converteretur; ne eſtote lapidei; ſiquidem ei adeſtis, & ipſa vobis adſiſtit, illius virtute convertamini. Angelus ipſa eſt; eſt Apoſtolus, Martyr, Confeſſor, Virgo; & intendit adſimilare ſibi paſſum.

Proſpera lux orta eſt linguis animiſque favete;
Nunc dicenda bono ſunt bona verba die.

Favete vobis ipſis linguâ, favete animo. Petite voce, orate corde, ut hæc cæleſtis Agens vos ſibi adſimilet. Angelus eſt, impetret vobis angelicam vitæ puritatem. Apoſtolus eſt, obtineat, ut conſtanter in hac ſenſuum & opinionum tempeſtate Romanę definitiones Eccleſiæ, quas puſillanimes liberi arbitrii hoſtes prætextu humilitatis oppugnant propugnetis. Martyr eſt, oret, ut martyres aut re aut ſaltem affectu & deſiderio ſimus; ut deſideremus digni inveniri pro CHRISTI nomine, contumeliam pati; & tandem ex teſtimonio conſcientiæ noſtræ, teſtimonium, quod in fide *ad Hebr.* 11. 2. fundatur nempe gloriam æternam conſequamur. Doctrix eſt, intercedat, ut utilia cognoſcere, & noxia ignorare & vitare diſcamus. Confeſſor eſt; ſupplicet, ut talem ſortiamur vivendi & agendi puritatem, ut omnis noſtra actio & operatio DEVM, A & Ω, principium, & finem confiteatur. Mater-Virgo, nobis mentis & corporis illam, quâ eminuit, puritatem communicet: quâ Mater, nos ut filios clientes & devotos à periculis liberet, & propugnet contra hoſtes exſtaneos & extraneos, ut ejuſdem patrocinio muniti noſtros omnes vivamus annos.

CONCEPTVS XVIII.

De Tempore, Duratione, Et Quando. *Reliquos Homines multis annis eſſe; & paucis vivere: Thereſiam omnibus ſuis vixiſſe annis.*

AN & aliquis, qui aut alienos vivat, aut ſuos annos non vivat? Plurimi. Sunt enim qui alienos annos vivunt, ſunt qui non vivunt ſuos, ſunt qui vivunt quidem ſuos, ſed non omnes. Lego in marmore.

SEMELIS HIC IACET:
CVIVS ÆTAS QVIDEM
MVLTORVM ANNORVM FVIT;
SEPTEM TAMEN DVMTAXAT
VIXIT ANNIS.

Fuerat Semelis Præfectus Invictiſſimi Cæſaris Adriani: vitam ſuam & ætatem in Aulâ & Palatio conſumpſerat: & quia ſeptem annis ultimis ſibi quietè & tranquillè, extra Aulam, procul negotiis fuit, ſeptem tantùm annos beatitudinis & vitæ enumerat. in aulâ enim non moventur viventes homines, ſed ſpectra & hominum inhumata cadavera.

344. Si carpar, & meis convinci verbis

R vi-

videar, qui aulicos moveri & non vivere aſſeruit,cùm tamen motus vitæ argumentum ſit; diluo objectionem vitæ & violentiæ,differentiâ propoſitâ.

Vtraq;in motu ſita. Illa in intrinſeco,hęc in extrinſeco.Quandiù in Adriani palatio Semelis,motus fuit ab extrinſeco, eâdem vita vixit quâ lapis cùm obedit tormento à quo icitur. Aulam egreſſus incepit moveri ab intrinſeco, ac ideò vivere.

Hæc de vitâ aulica & privatâ ſed quia non nobis ſed patriæ nati, audiendus venit recens author, qui annos vitæ enumerat penes ſervitia Puteanus; *Non quando eſſe inter homines cœpi, ſed quando prodeſſe, computo*. Raró Scriptores alios cito; ſed cùm facio, nolim ſuperſtitioſis illis, quibus omnia antiqua ſubtilia, omnia recentia ſtupida videntur, adſcribi. Acumina, ſive ab antiquo inventa, ſubtilia ſunt;& Marſus, tametſi antiquus, non niſi frigidus Scriptor eſt.

345. His igitur ideis inſtructus Heroon Matri-Virgini inſcribo.

INCORRVPTAE EXVVIAE
THERESIAE IACENT HIC;
EIVS ÆTAS QVIDEM
LXVII. ANNORVM FVIT
OMNES TAMEN SVOS
SIMVL VIXIT ANNOS.

A ſexaginta tribus annis natus Author eſt, quem laudo trigeſimum-ſextum vitæ numerat, *quaſi ampliùs in annis triginta ſex quibus vixit, hoc eſt, quibus profuit, quàm in ſexaginta tribus quibus fuit,inveniat*. Eſſe enim & non prodeſſe, generoſis animis publicæ utilitati conditis vivere non eſt. Ruſticis rudimentis imbutus naturalem politicamq;geneſin licentioſè confundat; at Vos Illuſtriſſimi & Doctiſſimi Viri,ingenioſè diſtinguite. Naſcimur phyſicè,cùm ex materni ventris carcere in lucem edimur; at politicè, cùm ex ingenii penetralibus in lucem edimur, quæ poſſint prodeſſe Reipublicæ.quantum enim temporis in politicæ vitæ referre rationes deceat, fructu rectiùs expenditur, quàm ſpatio. Sexaginta ſeptem Thereſia annis in Mundo fuit; totidem profecit, totidem profuit, totidem vixit. nam ut in lectione I. ſecundi Nocturni & in vitæ ipſius Compendio legimus. *Nata eſt Abulæ in Hiſpaniâ, parentibus tum genere tum pietate præclaris. Ab iis divini timoris lacte educata, admirandum futuræ Sanctitatis in tenerrimâ adhuc ætate ſpecimen dedit.* Ecce: nata eſt extra Aulam, ideòq; ſimul incœpit eſſe & vivere. Ecce: adhuc infans ſuo fervore teporem ſeniorum confundens profecit & profuit.Ergo,ſi vitæ annos ſpatio metiaris,ſeptem ſupra ſexaginta eam vixiſſe reperies: ſi tempus, quod in aulâ deperit, à vitæ annis expungas ſexaginta-ſeptem annis Thereſia in vivis fuit, quia totidem extra aulam fuit: & tandem, ſi annos decircines à vitæ computu,quibus homines Reipublicæ non proſunt, numeraturus illos,quibus Regi & Patriæ ſerviverunt,ætatem Thereſiæ non diminues.orbi enim Chriſtiano ſexaginta-ſeptem profuit annis. Divini enim timoris lacte educata, cœpit etiam in ætate tenerrimâ DEVM ambire,ſimul & univerſos excitare. Cùm igitur Semelis jam ſenior;non omnes ſuos,ſed ſeptem ſolùm vixiſſe annos gloriatur; cùm & nos grandævi & decrepiti multos annos habere & paucos vixiſſe fateamur; una & ſola Thereſia hodie ſe omnes annos ſuos vixiſſe dicat, quia ab aulicis verborum & morum lenociniis aliena, ab ipsâ infantiâ Orbi Chriſtiano profuit,& quot quot in mundo fuit,vixit annis.

CONCEPTVS XIX.

DE TEMPORE PRAETERITO, PRAESENTI, ET FVTVRO. *Hæc tria ſimul convixiſſe & egiſſe Thereſiam: Quo illam modo debeamus imitari?*

347 SEd quia non ſolùm omnes ſuos, ſed eos ſimul vixiſſe Heroon Thereſiæ inſcriptum aſſerit, contentioſus & pugnax iſtam lapidis delineationem oppetis, & tempora coëxiſtere non poſſe affirmas. Præteritum jam non eſt, ſed fuit; futurum nondum eſt, ſed erit. quî ergo noſtra Virgo aſſeritur præterita junxiſſe futuris? Si ad æternitatis præſentiam recurram, non effugiam, ſed in prolixum labyrinthum incidam, è quo cœca veſtigia regere nequeam ſine ſpecialis gratiæ filo. Dico igitur tria ſimul tempora Thereſiam moraliter vixiſſe; pœnitentiâ,exercitio,propoſito. Cõdolebat ſibi quòd divinis abuſa favoribus præteritum tempus perdidiſſet,& Pauli,Auguſtini,Benedicti,Bernardi,Dominici, utriuſque Franciſci, Ignatii, & reliquorum omnium Patrum perennem querimoniam reſumens, ſe ni fuiſſet tepida,

ne-

Digitized by Google

negligenſque, majores profectus facere potuiſſe, fatebatur: Proponebat nullam in poſterum actionem elicituram eſſe, quæ futurâ pœnitentiâ indigeret: Et tempus præſens veterum negligentiarum recordatione ſaucium, munitum futuræ correptionis propoſito, naturam extremorum ſapiens ſanctè & piè effluens, temporis ſuperventuri prologus, tranſacti epilogus, præteriti futurique diſtantes, imò oppoſitas naturas conjungebat.

348. O utinam & nos à tantâ Præceptrice tria tempora ſimul vivere, accuratè diſcamus. Septies in die cadit juſtus, & leves omninò negligentias nemo poteſt abſolutè vitare. Peccavimus, peccamus, peccabimus. Eſto igitur noſtræ memoriæ præſens, tepor vitæ præteritæ; ut ſi quas maculas per fragilitatem admiſimus, effluvio lachrymarum abluamus. Eſto noſtræ advertentiæ præſens, inſtans operandi obligatio; ne ſuperabilis ignorantia ſubrepat. Eſto & providentiæ noſtræ præſens, Vita futura; ut pericula emergentia caventes irreprehenſibiliter vivamus.

CONCEPTVS XX.

DE VBICATIONE ET LOCO. DE CORPORE MOBILI. *Thereſiam eſſe ubique, eſſe nullibi. Ejus Corpus non eſſe Corpus.*

349 SEd quia lapis progreditur, nos progrediamur. Muta quidem ſunt marmora; ſi tamen chariſterographæ dexteræ induſtriâ fiant vocales, ſine intermiſſione loquentur. INCORRVPTAE, inquiunt, EXVVIAE THERESIAE IACENT HIC. Ergo ſi hîc, tenendum eſt Thereſiam eſſe in loco, & inquirẽdum qualiter. Res corporeas per propriam præſentiam ubicari, aſſerit communis Theologorum opinio. at verò cùm de Spiritibus agitur, ſumma ſunt ſententiarum diſſidia. Alii eſſentiâ, alii præſentiâ, pauci cognitione, multi operatione Spiritus ubicari contendunt. Nos verò à phyſicâ quæſtione præſcindentes, cõtroverſiam myſticè examinabimus. Dicemus, Virginis-Matris Thereſiæ patrocinium ubiq; eſſe, ſubſtantiam nullibi. Priorem Reſolutionis partem probat Propheticus PP. Carmelitarum Ordo ſub utroq; Sole propagatus, Thereſię nomen in orbe utroq; celebre, & ejuſdem miracula, quorum perſentiſcunt virtutem remotiſſimi telluris anguli. Poſteriorem perſuadeo. Locum Peripatetici definiunt *ſuperficiem corporis ambientis immobilem*, in quo verborum contextu ne unam quidem dictionem reperias, quæ poſſit Sanctitati Thereſianæ adpropriari. Solida eſt, & quia omnem hypocriſeos ſuſpicionem excludit, ſuperficialis æſtimari non poteſt. Corporis ratio exulat à Thereſiâ novâ cœlorum hoſpite, exulavit ab ipsâ dum viveret; mira dicturus ſum, ab ipſo exulat Thereſiæ corpore. Hodie ad cœlos tranſlata caret corpore, & quamdiù in vivis tam purè & ſanctè longævam ætatem tranſegit, ut corpore carere ſit credita. Sed & Thereſiæ exuviæ exuunt rationem corporis: nam ſi phyſicis credimus, omne corpus mobile, mutabile, & corruptibile; Thereſianum, ſiquidem incorruptum, corpus non eſt; vel ſi eſt, non jam terrenum ſed cœleſte, nam materiam cœleſtem diverſæ à noſtrâ perfectionis, perennem & incorruptibilem Viri graviſſimi affirmarunt. Aliorum corpora Sanctorum cœleſtia fient, cùm corruptionem exuant, & induant immortalitatem: Thereſianum cœleſte à conditione fuit, decet enim, ut quod actualis culpa non corrupit, non ſubeat actualis corruptionis pœnam. Rerum terrenarum ambitio naturæ corruptæ eſt contagium & corporeæ concupiſcentiæ circumpiſcentiæ circumpes: cùmq; incorruptam corpore & animo Thereſiam videas, eam corporis ambientis corruptione carere aſſeres, & ab incorrupta voluntate omnem corpoream ambitionem proſcribes. Ambivit cœleſtia & ſpiritualia Mater-Virgo, adeòq; agilitatis empyreâ prærogativa prædita, immobilis dici non poteſt.

CONCEPTVS XXI.

DE SITV. *Thereſiam ſtare & jacere. Multos ante DEI tribunal cecidiſſe, Thereſiam ſtetiſſe & ſtare.*

350 IAcet hîc, ſtat in cœlis; diviſa enim diverſo loco & ſitu terras beat & in cœlis beatur. Plurimorum conſcientiæ ſpe concidunt ad ultimum tribunal delatæ; jam aliæ cadunt, jam ſtant: at Thereſianus animus, quia in mundo fuit conſtans, quia pacto ſtetit, & in virtute ad ultimum anhelitum perſtitit, æternùm apud DEVM ſtat, ſimilis filio hominis à dextris virtutis DEI ſtantis. At corpus in cultæ paupertatis extremæ teſtimo-

monium tranquillè & feliciter HIC IACET. Sed cur HIC, ſiquidem, *Pauper ubique jacet?* Quia ſi multa loca haberet, dives eſſet;& Thereſia fuit pauperior paupere, nam Hiſpanus Epigrammatiſta *eſſe*

Paupertate putat majus, habere nihil.

tanti enim ipſa paupertatem, ut conſolationum lacte carere voluerit,ut DEO poſſet ſincerè dicere, *Non Tua, ſed Te.* Lego in vitæ compendio. *Conſtantiſſimè meruit in caſtris Chriſtianæ pœnitentiæ, nullo refecta publico cæleſtium carum conſolationum,quibus ſolet etiam in terris Sanctitas abundare.* Vbi incorruptum Matris-Virginis Thereſiæ corpus,non humanâ confecto induſtriâ, ſed divina creato potentiâ, odorato liquore conditur, animi noſtri Sanctę ęmulationis fervore & ardenti imitationis deſiderio condiantur,& quam nec in cœlis nec in ſepulchro de corruptione triumphantem inviſere à diſtantiâ impedimur, in filiis redivivam colamus. [Eccleſ.30.4.] *Mortua eorum Mater, Virgo Thereſia,& quaſi non eſſet mortua; ſimiles enim reliquit ſibi poſt ſe. In viâ ſuâ vidit, & lætata eſt in illis, in morte ſuâ non eſt contriſtata nec coram inimicis confuſa. Reliquit enim defenſores Domûs DEI contra inimicos heterodoxos & ſchiſmaticos, & amicis reddentes rationes, quæ componant humani arbitrii indifferentiam & gratiam.*

CONCEPTVS XXII.

DE HABITV. *Vt umbras mori Carmelitanos. Lumen Gloriæ eſſe Beatitudinis Habitum.*

351 HI Thereſiæ Virginis filii, Matris Thereſiæ ſocii & adſeclæ, Ordinem Carmelitanum conſtituunt, quem Iobus deſcripſit hiſce verbis. *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletus multis miſeriis, qui tanquam flos egreditur & conteritur, effugit velut umbra, & nunquam in eodem ſtatu remanet.* Nec miremini, quòd æternùm viventis laudes ex officio defunctorum reſumam; amici enim Optimi perculſus obitu, Thereſiæ epithalamium cypreſſi foliis ab illius funere extractis inter ſolaminis mœroriſque ancipitem conflictum inſcribo.

352. Attende igitur Carmelitani Ordinis Religioſiſſima Communitas; cùm te adloquor, univerſis & unicuique loquor. Vnuſquiſque veſtri homo eſt, natus de Muliere. aliæ ſint Religiones ex coſtis Patriarcharum exortæ,hic enim virorum ſolum virilis Ordo natus de muliere Thereſiâ eſt; brevi vivit tẽpore, quia in uno inſtanti indiviſibili mentis obtutu præterita præſentia & futura componit, pœnitens, cautus providus. Summas miſerias ultrò ſubit,ut ſequatur patientẽ CHRISTVM, in quo cum Mellifluo meo Bernardo dubites, vincentne miſericordias miſeriæ, miſeriaſne miſericordiæ. Amaritudines millenas abſtinentia, rigor, mortificatio parturit; ſed ſingulis millenis miſericordiis & Divinis auſpiciis ſaccaratas.In flore ætatis adoleſcentia jugo CHRISTI conteritur, ſed ſub tranquillitatis ſpe; exſpectat enim ut veniat immutatio ſua, quæ nunquam in eodem ſtatu permanet.Quàm eſſemus miſeri ſi noſtræ miſeriæ ſemper in eodem ſtatu permanerent;ſed eſtis fœlices,quòd poſt tenebras lucẽ, poſt laborem requiem, poſt miſerias miſericordiã illam magnam, quæ DEVS eſt viſus intuitivè, ſperetis. Sed quia Iobi verbis Carmelitanus Religioſus (illi ipſa adproprio) effugit velut umbra,quid ſit umbram deſinere exploremus.

353. Tenebræ,umbræ, caligo nullâ arte proſcribi poterunt,ſi lumen abſit; noctẽ enim dies, tenebras lumen; umbram lux, & caliginem fugat ſplendor.Ergo,ſi Carmelitanorum Patrum vita effugit velut umbra,proculdubio effugit gloriæ adveniente lumine. Ergo, ſicut umbram fugere & ad lumen accedere idem eſt: idem erit Religioſum Carmelitanum ut umbram effugere, ac lumine gloriæ donari.

Hunc Supernaturalis Beatitudinis Habitum Categoriarũ Chriſtianarũ ſcopum,Aſceticæ Metaphyſicæ finem nobis omnibus poſtulet S.Thereſia;impetrabit enim ſi poſtulet, quæ clavo manum CHRISTI, transfoſſam vidit,clavum tetigit,vocem audivit,quâ *Filia* cœlitùs vocabatur. Divinæ munificentiæ manus clavis ingratitudo noſtra affixerat, Thereſia ſolvit. Macti animo Auditores pientiſſimi, clavis extractis, qui manuductionem impediebant, CHRISTVS plenam porriget favoribus & donis ſiniſtram & nos ad cœlum manuducet.

Sed cur ſiniſtrum? quia cor ſiniſtram latus occupat, & expedit, ut qui ad DEI cor cordis alis provehimur, cordis manu ducamur. Adnuat Omnipotens Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. DIXI.

Vi-

Digitized by Google

Viventium gradus notiores tres ſunt, nam Plantæ vitam vegetativam habent, Bruta ſenſitivam intellectualem, Homines [fortè & Sydera loco-motivam, ut opinatur Euſebius Nierembergius.] ſubiiciam igitur tres Orationes, & in ipſis Plãtas, Bruta, & Homines moraliter dilucidabo.

LIBRI
DE ANIMA.

354 DE Ente Phyſico, & Metaphyſico accuratè diſſerui, & variis conceptibus mentem orthodoxam inſtruxi, voluntatem formavi. Nunc ll. de An. exponendos aſſumo, in quibus prima Quæſtio, quę occurrit, à definitione exordium ſumens, poſtulat, *Quid ſit anima?*

Et reſpondeo [Orthodoxi Auditores] humanam Animam, ſecundum ſe conſideratam, eſſe Subſtantiam imperfectam & incompletam; perficitur enim gratiâ DEI & in gloriâ complementum ſperat. Subſtantia dicitur, quòd innumeris peccatis ſubſit. & dividitur in vegetativam, ſenſitivam, & intellectualem, quæ juxta ſenſuum myſticum & moralem dialectum nominatur, *Natura*, *Gratia*, & *Gloria*.

O quot in Mundo Homines ita gaudiis naturalibus ſtudent ut Gratiæ & Gloriæ obliti, irrationales aut etiam inſenſati videantur! Contemnit illos DEUS, qui præcipit, ita agamus hanc caducam, ut vitam obtineamus ęternam, Teſtimonio ſunt nobis Caïni & Abelis ſacrificia; in quibus placet Agnus, Segetes diſplicent; quia hæ unicam tantùm vitam (nimirùm, vegetativam) ille autem binas (vegetativam & ſenſitivam) habet. [Vide num. 6.]

Volenti exactiſſimis coloribus pingere Animam vitæ deliciis naturalis immerſam, occurrit conceptus militaris; nec mirum ad arma recurram, Anima enim, Hominis vita eſt; & militia eſt vita Hominis ſuper terram. Pono ob oculos Tormentum bellicum, & quia canalis medius, qui oneratur ſulphure pyrio, *Anima* dicitur [Merſenus in Phœnomenis Pneumaticis Propoſ. 27. & omnes communiter] ſic diſcurro. Homo conſcientiæ incurius eſt bellicum Eccleſiæ militantis tormentum, interceptum ab hoſte, cujus corpus eſt grave, vacua anima. Corpus, quod corrumpitur aggravat animum, & hujus Hominis corpus graviſſimum. ita animam tametſi inanem gravat, ut in Orcum ſummergat. Rotis torquetur, equis trahitur, & ab aurigâ ſpeciali profertur; nam Concupiſcentiæ & mala deſideria equi ſunt, Mundus & Caro rotæ, auriga Dœmon. Tormenti militaris anima oneratur ſulphure pyrio, & peccatoris anima æternis condemnata tormentis, igneo ſulphure obruitur, ſemper ardens, nunquam à ſe globum æternæ damnationis excutit. Pomo onerata primi Hominis anima in Paradiſo, illud exploſit, & homines univerſos transfixit. at damnati Hominis anima nigro calculo, & pomo ita duro, ut totâ æternitate maſticari aut etiam tranſglutiri non poſſit, onerata in inferno, irrequieta ardet, velletque pomum damnationis evomere, nec tamen valet; quia non datur in inferno redemptio.

Talia ſunt Tormenta illa bellica, quæ Eccleſia militans contemnit, quibus adverſarius armatur. Sed quia eſt utile ſcire, quæ ſint illa, quibus munitur & armatur Eccleſia; Antuerpienſium nèc non Monacenſium meminero; ibi enim ſunt ſex inæqualia, quæ *Vt*, *Re*, *Mi*, *Fa*, *Sol*, *La*, vocantur; & hic duodecim æqualia, dicta *Apoſtoli.* & ſic diſcurro. Propugnant Eccleſiam Catholicam Religioſi, Angelis cantantibus cœlitùs, humanitùs reſpondentes in choris; propugnant Eccleſiaſtæ fidem Romanam propagantes, ſunt enim *exaltationes DEI in gutture eorum*, *& gladii ancipites in manibus eorum.* Pſal. 149. 6. Hi ipſi Religioſi Apoſtolici, hi religioſi Apoſtoli ſunt Tormenta

majora militantis Eccleſię,quorum tantus eſt fragor, *ut in omnem terram exiverit ſonus eorum,& in fines orbis terræ verba eorum*; tanta vis, ut inter fumum flammaſque (hoc eſt, inter fidei obſcuritatem & charitatis ignem) fulmina vera, aut ſi mavis,veritates fulmineas aut divinas potiùs; (quoniam fulmina, arma æterni ſunt Iovis)efferant; quibus nemo reſiſtere poſſit.

Hac igitur præventi doctrinâ Philoſophię, Phyſicæ & Metaphyſicæ, addamus Animaſticam, eamque in vegetativam, ſenſitivam, & Rationalem majoris claritatis gratiâ dividamus.

PHILOSOPHIA VEGETALIS.

PLantas,Animantes, & Homines eſſe vitâ vegetativâ prædita, nemo negare poterit; at ſinguli ſubdubitare ſolent. An-ne hæc ipſa vegetativa vita in aliquâ intrinſecâ realitate conſiſtat. Alii aliter. Ego Philoſophi veſtigiis inſiſtens, exiſtimo hanc ipſiſſimam vitam SOLEM eſſe; nec intrinſecãm requiri animam, ut Arbores, Bruta, aut Homines eliciant vegetabiles operationes.

Ergo,ſi Arborum materialium vegetativa vita, materialis eſt SOL; Arborum myſticarum vita vegetativa eſt SOL myſticus, nimirùm SOL Iuſtitiæ CHRISTVS DEVS noſter.

Aperi igitur Chriſtiane oculos, & contemplare CHRISTVM Dominum. Tibi omnia factum. Quatuor modos vivendi habere diceris, & in omnibus à CHRISTO pendes. Ipſe superſubſtantialis Panis eſt, Via, Veritas, Vita: & tu vegetativus, progreſſivus, ſenſitivus, Rationaliſque. Vt vegetes, CHRISTVS eſt Sol adeòque vita: ut ad cœlum promovearis eſt Via: ut comedas & ſenſibiliter nutriaris,eſt Panis: nam Sacramenta omnia & ſingula ſunt favores ſenſibiles, quibus purgatur & corroboratur ſpiritus: ut intelligas, CHRISTVS eſt Veritas; nam ſi mentis objectum eſt Ens Verum, Bonum, Vnum; CHRISTVS eſt ſummum Ens, prima Veritas, ſuprema Bonitas, & Sanctarum Animarum Vnitas. Proderit igitur Viventium dotes & prærogativas myſticis radiis illuſtrare, ne quidpiam videamur omiſiſſe, quod ad piam morum inſtitutionem & reformationem conduceret.

ORATIO XVI.

De Moralibus & Supernaturalibus prærogativis, quas docemur à floribus, & eminuerunt in Mellifluo BERNARDO.

Habita fuit in die Aſſumptionis Beatiſsimæ Virg. MARIÆ.

QVàm neceſſarius nobis ſit Cælorum Imperatricis favor. Quàm eidẽ Virgini ſit cognatus Bernardus. Vndè ſumi debeat exordium. 355. *Animæ bonæ & malæ militaris deſcriptio.* 354. *VIRTVTES. Votorum emiſſio.* 357. *Obedientia.* 359. *Paupertas.* 362. *Caſtitas.* 363. *Mortificatio.* 365. *Fidelitas.* 367. *Perſeverantia.* 368. *Exemplum.* 376. Moralia. *An contractus iniri poſ-*

Digitized by Google

poſſint die feſto. An renovari vota? 358. An diſputare de Principis poteſtate ſit crimen? Murmuroſa & invita obedientia. 359. prompta & tacita. 361. Amor proprius. 361. Candor, Purpura, Pallor. 362. Aurum metallum fixum, plumbum non fixum. 362. Caſtitati inſidiantur latrones. 364. Satis mortificatus & maceratus ille, qui bonus eſt Abbas. Oneris & honoris connexio. Circumſpectio, Vivacitas, Prudentia, Vigilantia. De Paraſitis & Calumniatoribus. 366. In omni operatione Monachus jubetur reſpicere DEVM. 367. Libra myſtica. Ruit morum levitas, & gravitas morum aſcendit. An religioſi belli tempore cum mortis periculo poſſint in monaſterio remanere? 368. Spinarum Corona. 369. Crux mortua, crux viva. 371. fructifera, infructifera. 372. An qui fructiferas quaritant cruces, quærant DEVM? 372. Sanguinis vis. Suffocatur, effunditur. cur? 373. Mors politica & naturalis. 374. Ardent Martyres & Tyranni. Incendiorum diſcrimen. 375. Bonus odor virtutum. 376.

PLANTÆ. *Hortus cælicus. 357. Hortus Eden, ſeu Paradiſus. 356. Vlmus ramos expandit. Vitis per eam ſe ſubrigit. 357. Lignum vitæ. Arca DEI. 356. Narciſſus. 360. Viola, per antiphraſin dicta, quod minimè violata ſit. 362. Color huic flori triplex. Lilium. Cur Canens dictum? 363. Roſa inter ſpinas. 365. Heliotropium, ſemper reſpicit Solem. 367. Tilia, Martyrum Spinenſium patibulum. 368. Amomum. 376. Faſciculus florum viventium. 377.*

PERSONÆ. *DEVS omnium rerum principium. 355. finiſque. 367. MARIA poſt DEVM primum initium rerum. 355. eſt Arca DEI viventis, Paradiſus, Hortus Eden, Lignum vitæ, & Cælum animatum. 356. Angeli, & eorum chori. 374. Apoſtoli Eccleſiæ militantis tormenta bellica. 354. S. Benedictus. Relinquit divitias paternas, in urticas & ſentes ſe proiicit, idola proſternit, templa erigit. ex ejuſdem Regulâ teſtimonia. 368. Bernardus inclamando Latrones caſtitatem defendit. 364. claret ſummis Virtutibus. vide totam declamationem. Eſt CHRISTI Parelius. 367. Martyres Spinēſes. Eorumdem martyrium cum CHRISTI paſſione cōponitur. 368. ad 376. Cain & Abel. 6. 354.*

Sclavones dies feſtos contractibus profanant. 358. Boſniorum diſputatio. 359. Narciſſi hiſtoria. Bætii Narciſſum ſepeliunt, & Taciturnum nominant. 360. Sarabaitæ peſſimi Monachi. 362. Polyphemus, Argus, Vlyſſes, Mercurius. 366. Aſtræa, Irus, Cræſus. 367. Ziſka, anagramm. Kaziſs. 368. ſævit in Religioſos. 369. ad 374. exhumatur & comburitur à Religioſis. 375. Spinea Corona Monaſterium Ciſtertienſe in Bohemia: aliud in Hiſpaniâ appellatur Spina. 368. Elias transfertur. Eliſæus ejus pallio patrat miracula. 374. Apollinis & Veneris aræ diruuntur. Notæ Muſicæ ſunt tormenta bellica. 354. Iordanis, Iudicii fluvius. 374. Tormentum bellicum myſticè expoſitum. 354.

355 HOdie Matris Virginis Aſſumptionem colimus; hodie Bernardi Nativitatem exſpectamus; Heræ & Famuli videmus immiſceri myſteria, nam quos Divinus Amor junxit, Homo non ſeparet. Meritò à MARIA transîmus ad Bernardum, quia ſicut omnes Bernardi dies, quos vixit, ſacri fuerunt Deiparæ, ſic & Deiparæ Virgini ſacræ dies non excludunt commemorationem Bernardi. Hinc celebraturus, à MARIA incipiam, Bernardi enim potiores laudes favoribus receptis à Cęli Reginâ fundantur. *Sanè univerſa bene geruntur, ſi rei principium fiat decens & amicabile DEO.* [In Authent. Quomodo oportet.] & quidem amicabile principium eſt, ſi inde initium noſtra ſumat oratio, undè Salvatoris humanitas sūpſit initium. Favete numeri; nam olim à viris doctis dicta DEO, Ego approprio DEI Matri. Attendite igitur Nominis Mariani Studioſi: Cultores Virtutum Marianarum attendite. Profecto.

A Mariâ initium niſi ſit, periere labores,
Arva quibus fortes excoluere manus.
A Mariâ initium niſi ſit, periere labores,
Agricolæ toto quos ſubiere die.
A Mariâ initium niſi ſit, periere labores,
Queis vineta manus ſemiputata colunt.
A Mariâ initium niſi ſit, periere labores,
Plena quibus credit Navita vela mari.
A Mariâ initium niſi ſit, periere labores,
Sub Iove quos gelido ſuſtinuere Duces.
A Mariâ initium niſi ſit, periere labores,
Turba quibus mentes ingenioſa colis.
A Mariâ initium qui ſumpſerit, à Iove ſumit;
A Iove qui ſumit, ſumpſerit à Mariâ.

Vel

Digitized by Google

Vel ſi ſecernis Marianâ à Prole Parentem,
Gnatuſque & Mater ſit tibi principium.
Sumpſerit à Chriſto initium, mediumq; tenebis,
Nam medium facti, qui bene cœpit, habet.
Incipias iterum à Mariâ, totumque tenebis,
Bina etenim totum dimidiata dabunt.

Ergo culturi Bernardum, MARIAE Filium & CHRISTI collactaneum, ut amicabile DEO [Authent. Quomodo oportet] ſumamus exordium, à CHRISTO Domino & ejus Sanctiſſimâ Matre incipiamus; ab illo tanquam Authore gratiæ, ab iſtâ tanquam auctrice, impetratrice; illum in genua provoluti adoremus, iſtam interponamus, ut faciliùs quæſitos favores impetremus. *Igitur AVE MARIA.*

356 VEgetativum rerum ordinum contemplari fert animus, & ut velitis, mecum Vos in Hortum Ciſtertienſiũ Virtutum introduco, ut flores herbaſque carpatis & legatis, quas fragrantiores credideritis. Sed cur hodie vegetativus rerum ordo venit examinandus? Sanctus Ioannes Damaſcenus. *Hodie ſacra & animata ARCA DEI viventis, quæ ſuum in utero concepit Creatorem, requieſcit in templo Domini, quod nullis extructum eſt manibus.* & mox. *Hodie EDEM, novi Adam PARADISVM ſuſcipit animatum; in quo ſoluta eſt condemnatio, in quo plantatum eſt lignum vitæ, in quo operta fuit noſtra nuditas. Hodie Virgo immaculata, quæ nullis terrenis inquinata eſt affectibus ſed cæleſtibus educata cogitationibus, non in terram reverſa eſt; ſed cùm eſſet animatum cælum, in cæleſtibus tabernaculis collocatur.* Ecce Damaſcenus Aſſumptionis die concionaturus, agit de horto Edem, de voluptatis paradiſo, de vitâ lignorum Arcæ, de ligno vitæ, de vitâ Cœli, quæ aut vegetativa eſt, aut vegetativæ & ſenſitivæ media; unde nemini mirùm videbitur; ſi hodie devotæ recreationis causâ, vos in mellifluum Paradiſum induxero, & frui juſſero plurimâ florum & virtutum fragrantiâ.

VOTORVM EMISSIO.

357 ECce aperiuntur valvæ, & ſtatim detegitur Vlmus opaca ingens, cujus ramis Vitis lenis involvitur, à quibus ſecuritatem & protectionem recipit, cui rependit ornatum. Ecce ſolemnis Profeſſionis ſymbolum. Adoleſcentia vitis eſt, ab invitando dicta, quod ad vitiorum ebrietatem invites. Debilis eſt & fragilis, quæ terræ adhærere debeat, nec in cœlum ſe ſubrigere poſſit. At Eccleſia Vlmus eſt, fortis, antiqua, procera; cui ſi ſemel Vitis fervoris juvenilis adhæreat, terræ immemor in cœlos tendet. Non timet tribulationum grandines, ſuperbiæ Æolos, politicarum occupationum glacies, ramis enim Vlmi robuſtioris protegitur. Hæc eſt Vlmus, quâ viæ indice introibo ad altare DEI; quâ protegente veniam ad DEVM, qui quando me nexibus votorum devincit, lætificat Iuventutem meam.

358. Hodie novis Vitis brachiolis Vlmum amplectitur, novis velut manibus apprehendit, & me inſtruit, ut quotidie novis vinculis me Eccleſię uniam, & ſolemnem profeſſionem renovans novo contractu & vinculo Eccleſiæ Romanæ connectar. At hæc dies ſolemnis & feſtiva eſt iniquies, in quâ contractus fieri non poteſt. *leg. Dies feſtus. Cod. de fer.* pręcipitur, ut Dominicus dies non audiat vocem præconis, ſed ſit à contractu, omni alienus; & cùm ſolennis Profeſſio contractus ſit, die ipſa feſto nec fieri, nec renovari poteſt. Reſpondeo Eccleſiam militantem eſſe Cœleſtem quãdã Sclavoniam, in quâ vix aliter fiũt ſolennes iſti contractus, quam die feſto. Sclavoniam terrenam carpit Viennenſis Vniverſitas ob feſtivitates politicis pactis violatas; at moralia & ſolennia vitæ ſanctiores pacta, dierum ſanctitatem non violant, ſed conſecrans Contra Sclavones Vniverſitas.

Quæ Decumanus ager, quæ magnus cẽſus in arc,
Quæ lucra dent horti, quæve locata domus.
Cõmoda quæ gignat numeroſis ſyngrapha ceris,
Quoſque ferant fructus prædia, prata, lacus.
Quid det opũ portus plures inſcriptus ad annos,
Annuus & quæ det lucra labore cliens.
Grex pecorũ quid det, quid dẽt armenta lucelli,
Venali pretio quid juga dena boum.
Omnia feſtivis mos hæc numerare diebus,
Omnia mos iſto tollere ſacra die.

Ni

Digitized by Google

Ni des dãda Deo, quid ſyngrapha quæſo; quid agri,
Quid-ve dabunt cẽſus, prædia, prata? NIHIL.

At pro illis, qui cœleſtis Sclavoniæ mores ſequuti, ſolemnes Profeſſionis contractus quoquo feſto renovant repetuntque, hos numeros fundere placuit.

Proſpera lux oritur, linguiſq; animiſq; favete,
Nunc dicenda bono ſunt nova vota Deo.
Reſcribenda iterum ſolennia ſyngrapha mando.
Annuus iſte Dei (produe) cenſus erit.
Omnia feſtivis licet hæc renovare diebus
Vota; ſacra ut Sancto ſint ſacriora die.
Sunt pecudes mundæ, ſunt immũdæ; ipſa volũtas
Mundas immundas pectore paſcit oves.
Prata novare placet, placet hinc arcere bidentes,
Et removere malas, & retinere bonas.
Naufragium paſſo fuit olim Eccleſia portus;
Ipſa (recognoſco littora) portus erit.
Syngrapha ſolenni calamo quæ ſcripſero, gignunt
Commoda ſũma; iterum cera notanda placet.
Quod ſcripſi, ſcribo; quod vovi, voveo; quondam
Cuncta ſacravi, iterum conſecro cuncta Deo.
Sum male cultus ager, recoli peto; cenſus in ære
Non placet, at placuit pendere corda Deo,
Cenſum hunc polliceor Superis. Virtutibus orner.
Si jam fructiferis, cælicus hortus ero.

Claudamus Votum, progrediamur ulteriùs, ut ſingulatim omnia conſideremus.

OBEDIENTIA.

359. SVmmum eſt bonum Obedientiæ, ſine quo nulla communitas ſtare poteſt. Et in id impingit, primò, qui dubitat, An habeat poteſtatem præcipiendi Superior? ſecundò, qui reſiſtit conceſſæ. Et quidem de Superioris authoritate diſputare in republica pernitioſum eſt, immò inſtar ſacrilegii. *C. de diverſ. reſcrip. Sacrileg.* Hoc crimine notantur in Germaniâ Boſnii, quòd nulla ad eos Cæſarum Edicta veniant, de quorum æquitate non litigent; at humiliantur à Iureperitis Viennenſibus in Quadrigâ Famæ Regiæ Teſſerâ V. Quibus ſimiles Religioſi deſcribuntur à Divo Benedicto in Cap. V. ſuæ Regulæ his verbis. *Si cum malo animo obedit diſcipulus, & non ſolum ore verum etiam in corde ſi murmuraverit, etſi impleat juſſionem, tamen acceptum jam non erit DEO, qui cor reſpicit murmurantis. Et pro tali facto nullam conſequitur gratiam; imò pœnam murmurantium incurrit, ſi non cum ſatisfactione emendaverit.* Et Ariſtoteles, *Qui dubitat*, ait, *an ſit obediendum Parentibus* (Reges Politici Parentes ſunt) *inſtructione non eget, pœnâ eget.*

360. ☞ Flores nos inſtruunt; ecce Narciſſus ibi nos reddit memores Iuvenis, qui ſe amans periit. *qui enim amat animam ſuam, perdet eam; & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.* Ioan. 12. 25. Porrò Narciſſi, nota eſt univerſis Tragœdia; ſic Ego illam alienis numeris paululum alteratis deſcribo.

Ipſe ſibi vitreis viſus Narciſſus in undis
Seſe amat, & formæ tabet amore ſuæ.
O puer infælix! ſtolido quid adureris igne!
Eſt odium propriâ velle perire face.
Tu Bernarde ſapis, vitreâ cum Sortis in undâ
Te, Mitram, ac Mitræ munia cuncta vides.
O decus inſtabile! ò pleniſſima munia curis!
Ingemis, atq; odio carperis ipſe tui.
Hoc quia Tu crebrò luges, iterumq; iterumque
Incuſas formæ tædia vera tuæ,
Exardeſcit Amor vitæ melioris, & albus
Flos inter liquidas verteris oris aquas.
Atque ita Narciſſus vivis Cæleſtibus Hortis,
Vt nos exemplo ſydera ad alta trahas.

Et quidem ſi rem bene conſiderem. Narciſſus eſt quicumq; præceptorum eſt negligens; & ritu veteri ad mentem meliorem revocandus. Bœti ſepelierũt Narciſſum, & omnibus apud ſarcophagum tranſituris altum ſilentium indixerunt, undè & cadaver ipſum *Taciturnum* vocarunt; & erudierunt nos, quî debeamus Superiori obedire.

361. ☞ Periclitare Animæ tuæ præcordia, Ingenioſe Adoleſcens, & utrùm in corde Narciſſus tuo adhuc vivat examina. Si adhuc vivit & floret Amor proprius, ſi adhuc regnat & imperat voluntas propria, periclitatur Obedientia, omneſq; quæ eidem implantantur virtutes. Exue Narciſſum obſecro; & ſi exuere non potueris, excîde. Ejus ſepulchrum ſit ara Taciturnitatis: quoniam Obedientia tacita optima eſt. S. Benedictus in Reg. Cap. V. *Hæc ipſa Obedientia tunc erit acceptabilis DEO & dulcis Hominibus, ſi quod jubetur, non trepidè, non tardè, non tepidè, aut cum murmure, vel cum reſponſione nolentis efficiatur.*

Digitized by Google

PAVPERTAS.

362 PLura dicturus eram, ſed me Viola diſtrahit, odore, colore, pulchritudine. Quo minor, fragrantior, & odoratior ipſa eſt; ut vel hinc colligere liceat Apoſtolos fuiſſe Horti Chriſtiani Violas, ait enim CHRISTVS Lucæ 9. 48. *Qui minor eſt inter vos omnes, hic major* (& hic melior) *eſt*. Et quidem ut propriis oculis videmus, aut à Bambergenſibus audimus.

Parva quidem Violis naſcendi exordia: cunas
Sub rigido poſuit candida Flora rubo.
Stragula virgultū præſtat, ſed culcitra terra eſt:
Aër cervical; lintea nulla tegunt.
Herbis herba minor depreſſo denique trunco,
Neglecta in longo gramine præda cubat.
Sed (proh!) quãtᵘ odor flori! quæ cinnama ſpargit!
Cinnama Divini naribus apta Iovis
Submiſſæ Bernarde Tuæ hæc sũt ſymbola mẽtis,
Quæ magna eſt aliis, parva ſed ipſa Tibi.
Hunc Tibi producit, Præſul, moderatio Florem,
Qui Mitræ triplicis nomina magna fugis.
Nolentem raptat tamen ad ſublimia virtus,
Hocque alii major, quò Tibi tu minor es.

Te, Te, Mellee Bernarde Viola exprimit, & nos erudit. Hoc illi nomen per antiphraſin, quod violata non ſit; & Tibi illud competit, qui purus es. Color eſt flori triplex, Candidus, Purpureus, Pallidus; ut exactè referat Bernardum meum, Dilectum meum, candidum & rubicundum, electum è millibus. Quod ſit Bernardus candidus habet à lacte Virginis; à CHRISTI ſanguine quod ſit purpureus; à timore DEI quod pallidus. Ejus Obedientia eſt candida & aurea; candida, quia ſincera, rubicunda, quia parata mori potiùs quàm violare præceptum; potiùs ſanguinem fundere, quàm legem divinam temerare: aurea, quia pretioſa. Candida, rubicunda, & aurea eſt Bernardi paupertas. quia ſicut ex nullo colore ad albam datur tranſitus, talis debet eſſe paupertas ut ad nullius rei dominium detur reditus. Debet eſſe rubicunda & pudica; damno enim aliquorum, etiam Eccleſiaſticorum, paupertatem effrontem. Si ſit candida & pudica, erit aurea; nihil enim verâ paupertate pretioſiùs. Eſt etiam mei Bernardi Caſtitas, candida, rubicunda, aurea. Candorem dat puritas, rubórem pudor, conſtantia auri colorem. Hoc metallum dicitur à Chymicis *fixum*, quòd igne conſumi aut mutari non poſſit: & eſt ſymbolum Caſtitatis melliſluæ, quæ aurum fuit, inter juvenilis ætatis ardores & æſtuantes concupiſcentiæ motus, fixa, ſecura, & immutabilis. Hac virtute videntur caruiſſe illi Monachi, quos Sarabaitas, hoc eſt, libidinoſos, Sanctus Benedictus appellat, de quibus cap. I. ait. *Monachorum teterrimum genus eſt Sarabaitarum; qui nullâ Regulâ approbati*, (nec) *experientiâ magiſtrâ, ſicut aurum fornacis* (puri & conſtantes perſeverant; ſed) *ſecundum plumbi naturam molles* (hoc eſt, molles, & voluptati dediti) *adhuc operibus ſervantes ſæculo fidem, mentiri DEO per tonſuram noſcuntur.*

CASTITAS.

363 ET quia mei Melliflui Doctoris ſumma puritas fuit, debet adhuc novo ſymbolo dilucidari. Iuſtus Bernardus fuit; & quia *juſtus, germinat ſicut Lilium, & florebit in æternum ante Dominum*. [Oſeæ 14. 6.] Igitur.

Accipe Virgineum florem, Studioſa Iuventus,
Quem ferunt divo carmina lacte ſatum.
Proiicit Elyſeum formoſus candor odorem,
Sed fuit à purâ gratior ille nive.
Diſſimilis lacti ſi quando infecerit albam
Purpura vel crocus aut cærula gẽma comã;
Mox minor eſt oculis, minor eſt & gratia nari,
Et mala mutatus fert ſua damna color.
Nempè polo genita ſunt hæc benevolentia mentis
Lilia, ſinceræ Virginitatis opes.
Iſta nitent animo, nec mutat forma colorem;
Si mutet, formæ vis quoque odora perit.

Multis Authores Epithetis Lilii pulchritudinem celebrant, ſed Ioanne Friſio (in Lexic. Latinogerman.) obſervante, *Canens*, illud dicitur ab Ovidio. Sed cur *Canens?* quoniam Caſtitatis odor vocalis eſt, & odorifera vox Puritatis. Multum loquitur Bernardi puritas, etiam cùm tacet, cinnama dulciſſima emittit Caſtitas etiam cùm loquitur; periclitatur, latrones inclamat.

364. Sed quid loquitur Caſtitas? Semper timida, *Latrones, Latrones*, Time, time, Adoleſcens, omnes Mundi delicias eſſe fures ſuppone. Nullus eſt vel delicatus cibus, vel

vel dulcis cantus, vel mollis lectus, qui non inſidietur Caſtitati. Latrones fuga; fures abige, redde tuam continentiam ſecuram. Fuge opiparas menſas, ciboſque variâ ſpecie conditos,fuge Syrenarum armoniam, lecti mollitiem; fuge omnia quæ molles affectus ingenerant. Sis cibo regulari contentus; aſſeri,aut ſi relaxatiùs ſtramini accuba; alienus ab omni fœminarum conſortio,age vitam Philoſophicam & ſolitariam,& ſic inſidias poteris ebullientis ætatis ſuperare. Audi Theologum juniorem doctumque. [Negari non poteſt, ait, quin corporis cultus luxuriæ etiam incitamentum eſſe ſoleat: quare diſſuaderi debet, præſertim adoleſcentibus,qui eâ re emolliuntur & effœminantur, à bonis ac virtutibus retrahuntur, ut non raro exindè periculum peccati mortalis immineat.] Layman. lib. 2. tract. 3. cap. 13. num. 11. art. 3.

MORTIFICATIO.

365 ET ſiquidem Mortificationis meminerim, Roſam vobis contemplandam produco. Ipſa inter ſpinas ſuavis eſt,hamatis uncinis cuſtoditur; armatis ſcrupulis protegitur,ne auferri poſſit. Et quidem,ſi rem bene conſiderem, Virtutes omnes Roſæ ſunt, at illis latrones inſidiantur, auferentque, niſi muniantur vepribus Mortificationis.

E duro Roſa nata ſenticeto,
Sævis cingitur hinc & inde ſpinis
Quævis exerit arma,& illa & illa
Quævis dente minax aculeato,
Nudo vulnera pollici minatur.

Mineris igitur Concupiſcentiæ audaci vulnera,Iuvenis ingenioſè, in flore ætatis conſtituta. Nuda eſt, & tamen inſidiatur munitis & armatis virtutibus. Mineris illi vulnera; & ne minæ ſint effectu vacuæ, ad Mortificationis, Virtutis potentiſſimę,protectionem ſubcurre.

366. Et vos Ciſtertienſis Religionis Antiſtites, modò patienter dignitatis moleſtias toleretis,non carebitis Mortificatione.

Abbatum eſt Roſa,Præſulumque norma,
Quem rerum poſuit DEVS potentem,
Paſtorem, Domini praeeſſe ovili,
Curarum Roſa pendula in vepreto eſt.
O quanti hic ſtimuli negotiorum!
O quanti gladii moleſtiarum!
Multarum ô laniena quanta rerum eſt!
Hic quiſquis placidam tenet quietem,
Nec ſævas animi ciens procellas,
Turbat corda ſerena ſubditorum;
Sed vultu retinens Roſæ colorem,
Et verbis retinens Roſæ vaporem,
Lenit ſolicitas amore mentes,
An-non hic Roſa Præſul in vepreto eſt?

Eſt quidem. Miror que hanc veritatem eſſe univerſis notam, & tamen inſulas ab aliquo mortali acceptari. Sunt qui volunt authoritatem recipere,& tamen gravaminibus adnexis dignitate carere. Sed quantus error! Rationi congruit, ut ſuccedat in onere, qui ſubſtituitur in honore. ex Iuris Regulâ LXXVII. ipſa enim inclamat Æquitas, *Non fugietur Onus,ni fugiatur Honos.* Sunt, video, Prælati; qui multa ſpontè ignorant, ut inſcitiâ excuſentur; ſed illos S.Gregorius(*in Regiſtro*)monet,cùm dicit, *Non poteſt eſſe Paſtoris excuſatio ſi lupus oves comedit,Paſtor neſcit.* Non debet ſe voluntarius excœcare Paſtor;ſunt enim multi, qui in ejus oculos pernitioſè conjurant. Vel attendite.

Quem pecorũ Cuſtos oculũ Polyphemus habebat
Pectoris in medio, Solis adinſtar erat.
Pervigil in pecorum paſtus, lippedinis expers,
Acer & in charas ſemper apertus oves.
Argus in Arcadicis ſic olim finibus, uni
Centeno pecudi lumine Paſtor erat.
Attamen unoculum Cyclopem fecit Vlyſſes
Ad ſapidi cæcum pocula plena meri.
Centoculi clauſit modulis Cyllenius Argi
Biſ-quinquagenâ lumina clara face.
Quid narro? Paſtori opus eſt prudentia ſumma;
Indiget auxiliis pluribus ac oculis.
Vnicus eſt oculus tibi? eritq;timendus Vlyſſes:
Centum? Mercurii ſermo timendus erit.

Fingunt Aſtrologi Mercurium eſſe Planetam indifferentis indolis,qui ſe omni genio & ingenio accommodat, & in aſpectu bonorum Planetarum eſt bonus, maluſq;in aſpectu malorum. Sic depictus Adulatorem exprimit, hominem ancipitis naturæ & ingenii,qui non loquitur vera ſed grata. Fugiat hunc cautus & peritus Antiſtes, quoniam vidimus centenos Superiorum oculos violentiâ adulationis excœcari. Virgilius, *Et terram altricem ſævi exſecratur Vlyſſis,* & iſte etiam timendus eſt; non enim ſola Mercurii remiſſio, ſed & nimia Vlyſſis ſeveritas, charitatis Solem, oculum à DEO conceſſum, & pectoribus Prælatorum in-

Digitized by Google

inſertum,poterit excœcare. Aures Superioris prudentis debent claudi & Mercurio & Vlyſſi, Adulationi. aperiendæ Polyphemo Argoque;ſinceritati pectoris,& circumſpectioni moderatæ.

Hoc ſi Tu facias, potes paterno
Charis imperio praeſſe Natis:
At ſi duxeris eſſe negligendum,
Debebis Dominus ſubeſſe ſervo.

Quoniam Antiſtites, qui adulatione & calumniâ reguntur,ſervi ſunt,tametſi nominentur Domini; & quidem non ſervi ſervorum DEI, Adulatio enim & Calumnia DEO non ancillantur;ſed ſervorum Dœmonis,ſunt ſervi potiùs; qui enim in regimine ſuo modum non tenet, imperitat ſubditis ut mancipiis, ſubeſt Paraſitis & Calumniatoribus ut ſervus, & iſti ſunt animæ ſerviles & vænales emptæ à vitiis,poſſeſſæ à Diabolo.

FIDELITAS.

367 SEd hæc miſſa faciamus,non enim libenter audiuntur veritates,ſi crudæ; oculos mentis ad Heliotropium convertamus. Optimus flos eſt, Solis imago, ac ideò fortè Solem ſequens. Porrò ibi oculus, ubi ſcopus;ubi eſt theſaurus tuus,ibi & cor tuum. *Nec minùs admirandum*, ait Varro, *quod ſit in floribus,quos vocant Heliotropia:ab eo quod Solis ortum mane ſpectant, & ejus iter ita ſequuntur ad occaſum,ut eum ſemper ſpectent.* Et quidem CHRISTVS Sol Iuſtitiæ eſt, hujus Solis Heliotropium Bernardus. quem totâ vitâ fuit imitatione ſequutus. Rem altiùs pango.

Flos cui Solis ineſt amor perennis
Exemplar Genii ſagacioris,
Adſis obſequio tuiſque pange
Bernardo è foliis meo coronam,
Tu, puri comes uſque & uſque Phœbi,
Pulchri Syderis impiger Satelles,
Toto pectore, & integris diebus,
Subtilem bibis, igneamque lucem.
Quâ primû revehit quadriga Phœbum,
Tu primos caput explicans ad ignes
Paſſis excipis obvios capillis:
Mox cum Luciferi moventur axes,
Nuſquam degener ipſe deliteſcis.
Sed ſtas pervigil ora in ora figens;
Et quos non potes aſſequi meando,
Spectando ſequeris tuos amores.
Demum cum redeunt opaca terris
Et cæco dominatur umbra peplo
Exoſus tenebras, nigramque noctem,
Ad ſerum caput Heſperum recondis.
Nimirùm ſapientia illa non eſt,
Quam vulgus vocitat ſagacitatem,
Quæ fraudis nebulâ doloque tacta,
Ad verum renuens venire Solem,
Fallaces ſtruit impudenter artes.
Hæc technas male fabricare docta,
Mentes fallere ſimplices, Deûmque
Pulchro Numina pejerare fuco,
Deterſum ingenium vocat Fidemque
Ah! non eſt ſapere hoc ſed eſt perire.
Bernardus tamen optimus Magiſter,
Quod jam pondera calculoſque rerum
Et cunctos numeros fugacis ævi,
Æternam vocat æquus ad libellam,
Ad Solem aſſiduò intuens ſupernum,
Hic verè ſapit atque Chriſtianè.

Ecce Bernardus Chriſtiſequus, cum fidelitate ſummâ vitam & geſta Solis ſui imitatur CHRISTO Iuſtitię Soli,Ego qui ambio eſſe Heliotropio ſimilis,devotiſſimè dico,*Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cælis.* Idem & vos condicite.Et ne careamus verbis,Pſalmiſtæ Regis eruditis utamur. Dicamus Soli noſtro,quem ſequimur, *Ecce ſicut oculi ſervorum in manibus Dominorum ſuorum; ſicut oculi ancillæ in manibus Dominæ ſuæ, ita & oculi noſtri ad*(Solem Iuſtitiæ) *Dominum DEVM noſtrum,donec miſereatur noſtri.* Arbores ſumus Heliotropicæ, & CHRISTVS Sol, hoc eſt, vita;quâ vivimus,movemur, & ſumus. Si Solem non audemus reſpicere (nec mirùm, ſi peccatores oculos ad DEVM elevare non audeant) ad Parelium Mellifluum oculos convertamus. Ipſe ſit nobis Sol, cujus motum tanquam Heliotropia imitemur. *Imitatores mei eſtote*,ait,*ſicut & ego CHRISTI.* Illi promiſimus Regulę Benedictinæ obſervantiam,ipſe nobis DEI nomine vitam æternam compromiſit. & quidem ut Iura docent [Decretal. 6. Reg.75.] *Fruſtra ſibi quis fidem poſtulat ab eo ſervari, cui fidem à ſe præſtitam ſervare recuſat.* Et ſi dubitas,

Virginis Aſtrææ geminatas conſpice lances
Aſpice quàm rigidus libret utraſque tenor.
Bernardi una fidem lanx ventilat,altera penſat,
Quam tua ſit ſtabili pondere firma fides.
Ardua res Iro, fateor, ſed & ardua Craſo,
Diſcutiat quod par lanx utrinſque fidem.

Irus

Irus es, & Crœſus Bernardus Melleus; es Tu
(Crede) fide vacuus, plenus & ille fide.
Et ſiquidem fidei major gravitate Beatus
Eſt Doctor, ſiquidem tu es gravitate minor.
Quid facies? illũ lanx põdere reddidit Olympo,
Prorſus in infernum tu levitate rues.
Lancibus æthereis ſic res librantur: in ipſis
Ima petit levitas, pondus & alta petit.

Bernardo igitur fideli tuo protectori fidelis ſis ejuſdemq; ad meliora chariſmata promovearis exemplo. Fervori perſeverantiam adde, & majorum veſtigia accuratè ſecteris.

PERSEVERANTIA.

368 CVr Te onerabo multis? Producam D. Benedictum, quem ſi bene audias, non indigeas pluribus Præceptoribus. *Ab ipſius (Chriſti)* ait, *nunquam magiſterio diſcedentes, in ejus doctrinâ uſque ad mortem in monaſterio perſeverantes; paſſionibus CHRISTI per patientiam participemur, ut regni ejus mereamur eſſe conſortes.* Perſeverantiam uſq; ad mortem indicit S. Pater, quam tot limitationibus coarctant aliqui, ut vix reſidentiam aliquam videantur reliquere. Peſtem, bellumque excipiunt, & peſtis nomine morbos quoſcumque intelligunt, & belli nomine quaſcumque civiles ſimultates. Non ſic olim Monachi Ciſtertienſis. In Phœnice quem anno hoc M.D.XLVII. edidit Aula Regia, has lineas lego. *Mirabilem DEVM in Sanctis ſuis à ducentis & pluribus annis uſque hodie Spinea Corona oſtendat.* (Eſt autem Spinea Corona devotiſſimum etiamnum Ciſtertienſis Ordinis Cœnobium in Bohemiâ) *Viſuntur enim in areâ Monaſterii vetuſtæ proceræ duæ in latum ſparſæ Tiliæ. Has olim* Ziſska *monaſterium vaſtans ac religioſorum lanienam exercens* (maluerant expectare carnificem, quàm locum profeſſionis deſerere) *idoneas pro patibulis ratus, aliquot illis Monachos cucullis indutos affigi juſſit, quibus ita ſtrangulatis mox arbores* (mirum lectu!) *ſolitam foliorum figuram mutavêre, atque ab eo tempore uſque in præſens, folia cucullo, ſeu prouti vocant caputio ſimillima annis ſingulis producunt; quæ paſſim cum ſummâ ſpectantium admiratione circumferuntur.* Certa res eſt, & quæ non debeat accuratiùs probari; Multa enim illarum fœlicium arborum miraculoſa folia etiam-num gratiâ devotionis aſſervo. Inſculpta ſunt parieti carmina, quæ poſſunt legi in citato Phœnice, undè hæc pauca, ſed digniora tranſſcribo.

ZISSKA, Anagr. KAZISS. *hoc eſt*, Evertis.

ZISSKA, Kaziſs, *verſũ rectũ eſt tibi nomẽ & omen*
Evertis *Latia eſt*, *Lingua Bohema* Kaziſs.
Quingenta evertis *Cænobia, Tẽpla cremaſque;*
Et quodcũq; pium eſt, improbe ZISSKA, kaziſſ.
Sola tui ſceleris bene conſcia pullulat Arbor,
Ævo quam nullo, ZISSKA *ſceleſte,* skaziss.
Annoſæ hæc Tiliæ cappata hæc germina creſcẽt,
Semper nequitiæ ſtigmata ZISSKA *tuæ.*

[Littera Z. apud Bohemos videtur non eſſe duplex, hoc non curo, rem urgeo, & tria tibi contemplanda propono: horum conſtantiam Martyrum, pertinaciam Ziſſkæ, & arborum metamorphôſin.]

369. Converte ad Monachos cruci ſuffixos oculos, & in ipſis admirator ſingula, ſingulos, imiteris. Profeſſi ſunt in Spineâ Coronâ, & tam eminenter ſunt cœleſtem Metaphyſicam docti, ut potuerint Coronam ab Spinis præſcindere; inter iſtas pati dum viverent, & illâ donari poſt mortem. mori maluerunt, quàm clauſtro excedere, facti obedientes Regulæ Matri uſq; ad mortem, mortem autem crucis propter quod DEVS exaltavit illos & donavit illis Martyrum & Teſtium nomen, quod eſt ſuper omne nomen, quid enim ſublimiùs aut dici aut cogitari poteſt, quàm Primæ Veritatis teſtimonium humano teſtimonio evulgare, & ſi liceat ſic loqui, confirmare? Triumphant in Cœlo generoſi iſti Martyres, & pro nobis apud DEVM intercedunt. Veneror in Spineâ-Coronâ Pietatem & Virtutem eximiam, & qui audivi CHRISTVM dicentem, *Cùm exaltatus fuero à Terrâ omnia traham ad me ipſum.* audire videor noſtros Martyres: dicentes. Macti Animo, Obſervantiſſimi Confratres, quibus pepercit Impietas & Ziſskæ gladius; diſcedimus, nec tamen aberimus. Quos deſideriis ſequimini, tandem aliquando adſequemini: quoniam cum exaltati fuerimus à terrâ, à DEO obtinebimus, ut igneo divinæ gratiæ curru ad culmen Sanctitatis priùs, & indè ad Aulam Empyream trahamini.

370. Orate inſtanter Sancti Martyres nã tardo pede ſequimur, & in Cruces veſtras impingentes hæremus. Sancte DEVS, quis hoc in-

Digitized by Google

intelliget! Dominus regnavit à ligno, vos à ligno regnatis:& tamen licet triumphus ſit ſimilis,in Cruce,in Vinculis,in Loco, ſummam ego differentiam reperio. Crux CHRISTI mortua fuit,veſtra viva:arbores enim vegetativâ vitâ præditæ incipiunt mori, cùm excîdi.CHRISTVS ſuffixus fuit clavis,vos funiculis; illius apertæ ſunt manus pedeſque, & veſtra guttura ſunt clauſa: ille in montem mortem ſubiturus conducitur, vos autem martyrii gloria in valle manet. O ſi & me copia maneret temporis, ut omnes iſtas poſſem circumſtantias martyrii celebrare: At quia temporis laboro penuriâ, univerſa perſtringam, & labio aliqua, & reliqua ſilentio venerabor.

371. Singula recogito; & ſic diſcurro: Crux ante paſſionem CHRISTI mortua fuit. Infames univerſos reddebat, & politicè mortui qui infames. At illa ubi CHRISTVM recepit,revixit;quia CHRISTVS vita eſt; & jam etiam nunc vivit, CHRISTVS enim reſurgens à mortuis jam non moritur,mors illi ultra non dominabitur; & ideò æternùm vivit CHRISTVS, vita Crucis, perennat. Hodie in mundo ſunt Cruces, & ſunt Cruces; ſed quia non omnes CHRISTI, ita nec omnes vivæ. Habet Dœmon ſuos martyres, ſuos Mundus, ſuos Caro; omnes ad unum Crucibus ſed ſuffixi; mortuis. Soluſque CHRISTVS ſuos Cruce vivente exaltat. Vivit Chriſtiana Crux, vegetat, viret, floret, fructificat; quoniam irrigata CHRISTI ſanguine, hunc pretioſum liquorem ebibit, & in ſeipſam convertit, ut videatur ipſemet CHRISTVS tranſiiſſe in Crucem, Martyreſq; non ſolùm pendere à Cruce ſed à CHRISTO.

372. Sed cur Tiliam, arborem infructiferam elegit DEVS, ut tam pretioſum fructum ferret? Expendam. Sunt plurimi, qui quærere CHRISTVM dicuntur, & Cruces amplecti non formidant; ſed frugiferas ſemper, & quæ lucrum important. Hi continenter,orant,choro interſunt, rem ſacram agunt, ubi major utilitas, & copioſior diſtributionum liberalitas; ſed has arbores,quæ fructum mundanum important,Cruces CHRISTVS Dominus dicit, ſuas non dicit; ille enim Magno Gregorio judice, tollit Crucem ſuam & CHRISTVM ſequitur, qui cor gerit ſenile, ætatem moribus tranſit, & nulli animum voluptati credit. Qui dum in terra eſt,quo temporaliter liberè imò etiam licitè uti poteſt, aridum mundum non cum fructu modò ſed cum flore etiam deſpicit, & ſoli DEO placere deſiderans, in CHRISTO crucem, & ſolùm in cruce CHRISTVM quærit. Tellus enim quæ arbores tolerat, raro aurum generat; & Crux, quæ lucra terrena importat, raro eſt CHRISTI.

373. Progredior tamen: & cur CHRISTVS clavis, & CHRISTI milites laqueis fuerint honorati inveſtigo.Et reſpondeo,cautelâ Dœmonis triumphati hæc facta. Habuit in cruce Dominus, liberum ſanguinem, liberam vocem; ille quinque cataractis effuſus impinguavit tellurem, ut plurimos proferret Martyres; iſti liberè emiſſa plurimis ſalutem impetravit.Patientis DEI voce perculſa Tellus tremuit, gemitu perterritus Olympus clauſit oculos (Lunam, Solem) ut non ſolùm compateretur patienti, ſed morienti etiam quodammodo commoreretur. Dœmon igitur ille, qui artus regebat Ziſkæ,jacturis propriis cautior redditus,timet à ſanguine, timet à voce, jubetque appendi Martyres, ne ſanguis ſacer terram imbuat,ne ſacræ voces cœlos adeant. Sed fruſtrà: nam ſuffocatus ſanguis etiam clamat ad DEVM, ſuppreſſa vox etiam auditur. Horruit barbari Principis facinus Bohema tellus, & multis internis externiſque concuſſa motibus, vix poſt ducentos annos quieſcit.Fidei lumen deletum,pulcher Eccleſiæ ſplendor eclipſata ſunt; columnæ Monarchiæ,quę ſaxa firmiſſima & fundamentalia videbantur, exciſæ ſunt,& effracta plurimorum fides orbem Germanum perturbavit. Secutæ ſunt tenebræ, ſchiſmata, opinationes, hæreſes, ut videantur non tyranni tantummodò, ſed etiam hæredes eorumdem puniri. Æſopum olim apud Græcos interemptum iniquè, tot miſeriæ publicæ ſequutæ ſunt, ut Aiſopicos aima, in exclamationem tranſiverit; & tot clades horum Monachorum paſſionem, ut ſingularum cauſa Monaſticos aima, poſſit dici. ſed quia imperante Ziſkâ inter plurimos malos,etiam multi bene morati fuerunt, eorum gratiâ hodie DEVS gratiarum theſauros effundit,& Bohemiam pientiſſimis Principibus,Conſiliariis doctiſſimis, Miniſtris ſolertiſſimis,& populo fideliſſimo exornat.

374. Apotheoſin Eliæ 4. Reg. 2. 12. deſcri-

Digitized by Google

ſcripturus Divinus Hiſtoriographus ſic inquit; *Cùm pergerent*(Elias & Eliſæus)*& incedentes ſermocinarentur, ecce currus igneus & equi ignei diviſerunt utrumque, & aſcendit Elias per turbinem in cœlum: Eliſæus autem videbat & clamabat, Pater mi, Pater mi, currus Iſraël,& auriga ejus. Et non vidit eum ampliùs. Apprehenditque veſtimenta ſua,& ſcidit illa in duas partes & levavit pallium Eliæ quod ceciderat ei*. Et Ego optimi Martyres apotheoſin veſtram, ſimilibus verbis deſcribo. Amor divinus ignis eſt, & iſte vos tellure abſtulit, cœlos invexit. Videmus triumphum orphani & derelicti,& in lachrymas ſuffuſi clamamus. [O Patres noſtri,majores noſtri, Prædeceſſores noſtri. O quàm fęlices erimus,ſi nîl faciamus aliud,quàm communis Monaſterii ſpinis coronati Regula, & Majorum cohortentur exempla! Vos eſtis conductores noſtri, & ſi liceat ſic loqui etiam Aurigæ, qui pondus trahitis,nos qui liberè ferimur. hæc enim inter Sanctos ſœculares & religioſos differentia, ut illi ad cœlos eant, iſti ferantur; debent illi ſummo niſu & labore pericula tèrrena fugere; hi tantùm debent velle trahi. Sed Vos cœlitùs poſitos non videmus. at Eliſæi ritu noſtra veſtimenta in binas partes dividemus. Sed quę veſtimenta homines nudi rerum dominio ſolenni profeſſione privati, rerum uſu & poſſeſſione violentiâ militari ſpoliati, habere poſſumus, ut dividamus? incineratum monaſterium incolimus,nihil habemus. At,ut video, poſt incendia, ſtrages, & cineres ſpineam Coronam retinemus. hanc in duas partes dividimus,præcedimus,abſtrahimus alteram retinemus,damus alteram. Coronam cedimus aut præmittimus, ut coronati cœlitùs, noſtrum adventum præſtolemini; retinemus ſpinas, ut compunctione cordis diſſolvamur in lachrymas,quibus delicta diluamus juventutis & ſenectutis ignorantias vitemus.] Viã aperuit D. Benedictus. Sequutus eſt D. Bernardus, Vos utrumque aſſequuti;at vos inſequimur,ut qui ſumus ſpinarum hæredes, coronæ declaremur conſortes. Et quia exemplis juvamur;ſiquidem *ille*,(Lycurgum meum intelligo) *florentes peragebat annos*, *Cùm puer dulcis patriæ penates Liquit*, *& ſolus latuit ſilenti Conditus antro*, nos qui inter bellorum turbines & hæreſeon procellas ſiccos & aridos annos enumeramus,amaræ patriæ pœnas liquidis oculis conſpicimus. & ſilenti conditi clauſtro,ignoti mundo, DEO & vobis noti ſtudioſè latemus. Et ſiquidem Ille idem,*Inter urticas,rigidoſque ſentes Vicit altricem ſcelerum juvẽtam; Inde conſcripſit documenta vitæ Pulchra beatæ*. Et nos in nidum Coronam ſpineam elegimus, ut inter aculeos & uncinos lubricum fervorem domaremus. Et dum excẽplo veſtro ad altiora dirigimur, factis potiùs quàm linguâ opere potiùs quàm ſtylo prædicamus. Ille,*Æream turpis Claris figuram,Et nemus ſtravit Veneri dicatum; Atque Baptiſtæ poſuit ſacrato Monte ſacellum*, idola omnia, quæ in cordibus voluptas erexerat, proſternimus, & cogitationes omnes malas, quibus noſter ſylveſcebat animus, eradicamus. Cruci CHRISTI univerſas ſuffigimus noſq; totos Voci clamanti in deſerto, Verbi Divini Echoni, & vobis, qui nobis eſtis Præcurſores, etiam atque etiam commendamus. Elias raptus in cœlum pallio non eguit, illud in terris relictum elevavit diſcipulus, illoque in duas partes diviſit undas opulentas Iordanis. Vos exaltati ad cœlos, ſtolâ gloriæ coronati non egetis cucullis,& illas perenni miraculo reliquiſtis in ramis. Illas devotâ mente carpimus; in illis exoſculamur veſtra merita, & veſtram memoriam recolimus. Iordanis exponitur *Iudicii fluvius*; & illum pede ſecuro & ſicco, pauci tranſeunt. Summus igitur exubias veſtras;quas repræſentant folia ſingula;veſtrum induimus habitum,ùtinam in illo veſtros mores; iſti enim,& non ille, veros Monachos faciunt. Ad mortis fluvium venimus ſolenniter & eccleſiaſticè, & veſtro favore ſuffulti jubemus dividi concupiſcentias à pectore,voluptates à corde, ſuggeſtiones ab animo; aquas ab aquis. Sed non ſunt diviſæ. Mortui politicè naturaliter vivimus, & tentationibus duplicatis vexamur,& dicimus. Vbi eſt DEVS Eliæ etiam nunc? ubi Eliſæi ſpiritus? ubi potentia Benedicti & Bernardi? ubi Spinenſium Martyrum efficacia? ubi habitûs Religioſi poteſtas? Quid? Profitemur Sanctorum vitam, ſacris cappis induimur, nec tamen vetus Adam ſeparatur. Ploramus,lugemus,ingemiſcimus; & tamen in hac lachrymarum valle miſcentur tempeſtuoſa tranquillis, ſordidis munda,malis bona,aquæ aquis. Sed fluctuando ad alterum Iordanem venîmus, ad naturalem nempe mortem, quæ rerum univerſarum ter-

Digitized by Google

terminus. Hîc religioſus habitus, quem à vobis hæreditario accepimus, quem decenter coluimus,& vitâ religioſa ornavimus, vel leviſſimo ultimi anhelitûs motu dividit terrena à cœleſtibus,caduca ab ęternis,ima à ſummis,aquas ab aquis. Tunc Iordanis humanus dividitur,dividitur homo. manet corpus, animus evolat:illud conditur terrâ,iſte empyreo reconditur: *Iamque fœlici reſidens Olympo, inter ardentes Cherubin catervas Spectat,& dulci reficit clientum* Corda *liquore*. Et ubi *Cherubim* interlego,*Religioſos* intelligo; nam,qui in clauſtro regulariter vivunt, ſunt *Angeli*; qui ſeveriorem ſectantur diſciplinam,*Archangeli*; qui latere deſiderant, *Virtutes*; qui exemplo alios conducunt, *Principes*; qui authoritate præſunt,*Principatus*;qui eò mortificationis efficacia aſcenderunt, ut ſint ſuarum paſſionum domini, ſapientes ſunt,& quia dominabuntur Syderibus, *Dominationes* nominatur. Qui DEO ſemper præſentes,cœleſtia meditantur, *Throni* Divinitatis ſunt, in quibus Divinus requieſcit ſpiritus. Cùm contemplationis alis altiùs ſe ſubrigunt,ſunt *Cherubini*, & cùm vehementiùs ardent, *Seraphini*.

375. Ardent & ardent omnes (Tyranni & Martyres)ſed diviſis incendiis. Ardet furore Ziſka ſuoſque ſcandalo veſano ſuccendit. Ardent templa; ardent aræ; ardent monachi. Et quia DEVS juſtus eſt, etiam nunc ardent. Martyres in empyreo, in ſtyge Tyranni: illi flammis amoris, iſti æternis ſuppliciis,quibus etiam adduntur temporanea,ut utrobiq; corpore & animâ ſint miſeri. Et ne à Ziſka abeã; qui multas hæreticorum myriades præmiſit ad inferos, qui omnibus offuit, nulli profuit; per ducentos annos jacuerat Czaſlawiæ, ut videri poſſit præſcripſiſſe, nec poſſe ad tribunal vocari. At,ſic diſponente Iuſto DEO ſub annum M. DC. XXXV. ejus nefarios cineres videmus à quodam Polono Carmelitâ exhumari,ad forum ferri,infami rogo adjudicari;& iterum converti in cineres. Vt doceantur Monarchæ, ſe non poſſe delirare impunè: nam ſi hodie univerſi adulentur,orietur Sol alter die craſtinâ, & acuet calamos & linguas imò & manus multorum,quas hodie cohibet timor, quas tunc præcipitabit irritatio.

EXEMPLVM.

376 ERgo, ſiquidem Ziſkæ ſupplicium *diſcere juſtitiam & non contemnere Divos, admonet*, è Tiliâ ad Amomum veniamus. Regia planta illud eſt,quam tardiùs oculo,citiùs percipias nare. *Chriſti bonus odor ſumus*, 2. Corinth. 2. 15. *Fragrando medetur Amomum*; Bernardus erga ſubditos Amomũ fuit; & tu quiſquis habes ſubditos exemplo illius Amomum eſto. Eſt Amomum herba ſaporis venenoſi, & odoris ſuaviſſimi, & ſymbolum Sanctę Converſationis,cujus odor exemplumque medetur laboranti Animo, & ſi mordeatur,detractoribus nocet. Sanctorum enim bonum odorem debemus ſequi aut aſſequi,non illos dente viperino mordere;quia ſi Pietas non ſcandalizat, venenum fugimus unde theriacen deberemus. Multa dicturus eram, ſed malo doctiores audire. Tibi Antiſtes, Tibi Paterfamilias, Tibi quicumque ſis, qui præſides, loquitur quidam numeroſus ſpiritus; ſic ait,

Quidquid odoriferis captat Pancheus arenis
Quidve per halantes olfacit Indus agros,
Hoc olet, & totum naſo largitur amomum,
Fragranti folio, germine, flore potens.
Imò Machaonias inter præſtantior herbas,
Hac valet in morbos qualibet herba minus,
Nempe exẽplaris,Pater, hæc ſunt germina vitæ:
Eſſe odor exempli Pæonis herba ſolent.
Aſflet avernalem Cocyti lerna mephitim,
Et fera tartaream ſpargat hyæna luem;
Hæc mox afflatas bene olendo corriget auras,
Hæc prope cõceptam ſupprimit herba necem.
Implantato tuis Pater hanc feliciter hortis:
Hæc animi, hæc oculi certa medela mali eſt.
Exẽplis trahimur, ſequimur ſed verba monẽtis,
Regula in exemplo, quæ viret, illa viget
Regula in exemplo, quæ viget, illa viret.

CONCLVSIO.

377 HIs floribus, his virtutibus lectis, collectiſque pectus ornate(Pietatis ſtudioſi Auditores)& Animæ veſtrę erunt florum faſciculi digni DEO. Tunc eritis curæ Superis, & ab omni diſcrimine eximemini. Hoſtes habetis plurimos:ſed ſi ſurrexerit aliquando homo vetus, Adam antiquus, perſequens novum hominem, & quærens animam ve-

veſtram ad perdendum eam: erit anima veſtra cuſtodita in faſciculo florum viventium apud Dominum Dᴇᴜᴍ veſtrum. 1.*Reg.*25.29.

DIXI.

Vſus varia Scriptorum authoritate ſequutus ſum liberè devotionem & genium nulli obſtrictus & carmina aut propria intermiſcui, aut aliena ad meum conceptum reformavi; habet enim ſuam laudem è luce tenebras, & è tenebris eruere diem. Proderit & alteram Orationem ſubſcribere, quæ poſſit Philoſophorum mentes in Animalium hiſtoriâ peregrinâ inſtituere, & voluntates reformare.

PHILOSOPHIA SENSITIVA.

378 HAbuerint alii Indicas Animantes eaſque ſumptu prodigo gratiâ Majeſtatis nutriverint; aluerint alii Provinciales beſtiolas recreationis intuitu; nos reſpicimus altiùs, cùm omnes illas, quas vel Provinciæ noſtræ generant, vel remotæ tranſmittunt, contemplamur non jam vanam gloriam recreationem aut luxum, ſed inſtructionem quærimus. Egrediamur igitur, Orthodoxi Chriſtiani, à noſtræ negligentię carceribus, apprehendamus arcus ſagittaſque; vivaſque & fugientes virtutes, ad Montem, qui Cʜʀɪѕᴛᴠѕ eſt, venaturi aſcendamus.

379. ☞ An-ne ſcitis collineare in ſcopum? Si non ſcitis, attendite. Mira dicturus ſum. *Nunquam ſcopum pertinget, qui in ſcopum collineat;* Quid eſt ergo facturus, ut illum perforet? *Oportet, ut qui ſcopum tangere voluerit, dirigat telum altiùs.* Res eſt comperta, & quæ probatione non indiget; nam projectorum gravitas ſemper illa humiliat & in terram impellit.

Hinc ad mores. Te Dᴇᴜᴍ amare ais & mortale peccatum patraturum non eſſe, at venialia non curas. Et ego tibi timeo, ne fortè minùs facias quàm velis. nam ſi ſola mortalia vitare & fugere proponis, voluntas ſuccedet propoſito humilior & depreſſior, quæ omnia non vitet. Altiùs igitur intende mentis aciem: omnia, etiam venialia, vitare animosè propone. Et ſi te premat aut gravet concupiſcentiæ pondus, nec poſſis propoſitum punctum pertingere, ſaltem tanges ſcopum, qui in omnis mortalis culpæ liberâ carentiâ conſiſtit. Abeant igitur, qui obloquuntur religioſorum Ordinum ſeveritati; nam ſcopus omnium Legiſlatorum charitas, hæc eſt, Decalogi perfecta & exacta obſervatio: & ne infra illam ſerpant Animi, jubentur ſupra illam vota & mores dirigere.

380. ☞ Sagitta, quam ejaculari debet Animus, Amor eſt; ſcopus eſt hieroglyphicus Taurus, inter aram & aratrum medius, Aᴅ Vᴛʀᴠᴍǫᴠᴇ Pᴀʀᴀᴛᴠѕ, volens, ſi placeat Dᴇᴏ ſacrificari; & ſi adhuc populo Dᴇɪ ſit neceſſarius, non refugiens laborem. Hinc incipio intelligere peregrinam neſcio quam circumſtantiam, quæ ab Eccleſiâ in Apparitione Archangeli Michaëlis recenſetur. *Cùm quidam ex illis, ut taurum configeret, ſagittam emiſiſſet, retorta ſagitta* (mira res!) *in ipſum recidit ſagittarium. Quæ res cùm præſentes ac deinceps cæteros tanto timore affeciſſet, ut ad eam ſpeluncam propiùs accedere nemo auderet; Sipontini Epiſcopum conſulunt, qui indicto trium dierum jejunio & oratione, rem à DEO reſpondit quæri oportere. Poſt triduum Michaël Archangelus Epiſcopum monet, in ſuâ tutelâ eſſe eum locum &c.* Audiſti (Orthodoxe Chriſtiane) toto niſu, toto amore & deſiderio in reſignationē voluntatis collimas. Dum vis eſſe ad utrumque paratus, hoc eſt, vel pati vel agere, ſi placeat Dᴇᴏ; te vulneratum ſentis, & ſagittam reſiliiſſe cauſaris. Sed ne time. Eſto jaculatoria oratio tua, quæ in cœlos miſſa

Digitized by Google

retorto itinere præcordia tua tranſverberaverit,eſto cor tuum contriverit,& lancinaverit;macte animo,quoniam ſignis effectibuſque DIVI noſcuntur tutelares. Dicebat Vates Ethnicus,

Phœbus adeſt, ſonuere lyræ, ſonuere pharetra:
Signa DEVM noſco per ſua, Phœbus adeſt.

Et ad illius imitationem reſumebat Chriſtianus,

Divus adeſt Michaël, ad Cor rediere ſagittæ;
Signa illum noſco per ſua, Divus adeſt.
Ejus tutela tandem commiſſus, Olympum
Prædives meritis ingredieris ovans.

Nec diffide promiſſis; aut enim Clientes ſuos ille in cœlos inferet, aut fatebitur fruſtra ſibi dictum à DEO, *Archangele Michaël, conſtitui te Principem ſuper omnes animas ſuſcipiendas.* [in Antiph. ad laud.] Si ſub Michaële meres, cœlitùs ſuſcipiendus es; & ſi cœlitùs ſuſcipiendus non es, ſub eo non mores. Si meres, jaculatoriæ orationis ad cor tuum reduces, transfigent arcum ipſum(voluntatem intelligo)à quo fuerunt exploſæ.

381. Hinc incipio percipere obſcuram Evangelii periodum. Matthæi 10. 12. *Intrantes autem in domum, ſalutate eam dicentes. Pax huic domui. Et ſiquidem fuerit domus illa digna, veniet pax veſtra ſuper eam; ſi autem non fuerit digna, pax veſtra revertetur ad vos.* Nam ſalutatio ejuſmodi eſt quædam jaculatoria Oratio,quam ab Archangelo Michaële dirigi,vel inde ſcimus, quòd emiſſa revertatur ad nos: ut dum virtutes ſelectiſſimas venari volumus, nos Pietas Divina venetur.

Hæc Auditores Optimi, eſt magna venatrix coram Domino, ſub cujus hodie patrocinio pulcherrimas virtutes venabimur. Me ſequiminor, & præparatis imitationis potentiſſimis jaculis ſylvas mellifluas penetrate.

ORATIO XVII.

De Virtutibus Naturalibus & Supernaturalibus, quas docemur à Brutis & floruerunt in D. BERNARDO.

Habita fuit coram noſtris Diſcipulis, ejuſdem Sanctiſſimi Confeſſoris die: ſed quia virtutes generales conceptibus variis exornat, poterit Divis quibuſcumque appropriari.

EXemplis vis. 416. quod ſumitur à debiliore, fortius. Argumentum à minori ad majus. 382. *Omnia, quæ jubemur credere, habent ſimilitudines & umbras naturales.* 382. *Pax in cellâ.* 387. *Chriſtus Via, Veritas, Vita.* 389. *Bernardus Catulus.* 383. 391. *Abbas eſt Paſtor: Monachi oves.* 399. *Horarum aliæ ſunt Gygantes, & aliæ Pygmææ.* 401. *Excommunicationis neceſſitas.* 399.
VIRTVTES. Caſtitas. 385. *Multa pulcherrima juvenes inſidiantur Bernardo; ſed ille puritatem conſervat.* 385. *Paupertas. Dantur pauperes divitiis; & pauperes ſpiritu.* 386. 399. *Obedientia.* 388. *An differat à Paupertate?* 389. *an etiam à Puſillanimitate?* 391. *Summa Obedientiæ exemplum.* 392. *Bernardus obediens ultra mortem.* 393. *Prophetia de D. Bernardo.* 383. *Peregrinationes judicatæ.* 393. *Prudentia.* 394. 397. *Vana ſine viribus ira.* 394. *Cur infulas ſibi oblatas noluerit acceptare Bernardus?* 395. *Temperantia.* 396. *Fortitudo.* 398. *Regularis militia.* 399. *Charitas.* 400. *Religio, Pœnitentia, Doctrina.* 402. *Miſericordia.* 403. *Pietas.* 404. *Amicitia.* 405. *Generoſitas. Vrbanitas & Liberalitas.* 406. *Premõſtrati locum ad Monaſterium erigendum donavit Norberto Bernardus. Artes liberales. Grammatica, Rhetorica, Poetica, Muſica, Arithmetica,*

Ar-

Digitized by Google

Architectura.407.408.Dialectica.409.Phyſica.410.Aſtronomia. Supernaturalis Cœli Sol, Luna, Stellæ, &c. 411. Medicina. 412. Omnem Medicorum & Pharmacorum uſum deteſtatur Bernardus.412.413. Abſtinentia optima Medicina eſt.413. Bernardus in vepribus diminuit ſanguinem. Bernardus in ſtagno docet contraria contrariis curari.414. Iuris prudentia.Iuris naturalis definitio ex Vlpiano.Quo intelligi modo illa debeat.415.Politica.417.Monarchia.417.Ariſtocratia.418. Democratia. 418. Rex aculeo caret. 417. Qualis ſit Politica Benedictina? 419. Humilitas. 420. Theologia.421.Fides.422.Spes.426.Charitas.428. Euchariſtia veneratio. 429.430. Chriſti ſub ſacramentalibus ſpeciebus præſentiam fatetur Terra. 430. Aqua. 431. Aër. 432. Ignis. 433. & irrationalia animalia.434.Animantes myſtica.435.

BRVTA. Nos inſtruunt. An docuerint nos Iuris prudentiam. 415. Homo myſticus, ſeu Reſpublica.390.Catulus ſymbolum fuit Bernardi à num.383. ad 409.& etiam Dominici.410. Vnicornis Græcè Rhinoceros Virgines diligit, à Virginibus capitur. 385. Arminius mavult mori, quàm fœdari. 385.Leo ſummè obediens.392.an ſummè fortis.398. an poſſit interimi à Cane? 425.Pagurus prudens. 394. Agni robur. 398. Elephas conjugalem caſtitatem docet: rarò & tunc pudicè vacat veneri. 385.eſt religioſum animal.ſe lavat,ut ſolem exorientem ſalutet.402. Sub Elephante à ſe occiſo occubuit Machabeus.405. diſcit diverſas linguas Elephas.407. item Muſicam. occiditur à Regis Albaniæ Cane. 405. Summa Ocotochtli liberalitas, & urbanitas.406. Equus Arithmeticus.407.Canes Vrſi & Equi numeroſè tripudiant.407. Canes dialectici.409. Medici.413.docent Eloquentiam Demoſthenem.435. Oryges Aſtrologi.410. Purgationes didicimus à Cane,Apro, Vrſo,diminutionem ſanguinis ab Hippopotamo; dietam à Lupo;balneum ab Elephante.413. Aſina Balaamo loquitur.423.Bos ſymbolum Apoſtolicum docet.424. & Euchariſtiam veneratur. 434. Agnus DEI.435. Evangeliſtæ ſymbolis animalium expreſſi. 435.

AVES. Arminius, an ſit avis? 385. Apodes, nunquam deſcendunt ad terras, nido omni carent. quomodo in aëre ova excludant. 386. An verè careant pedibus? 387. 417. Aquila jejunat. 396.Pullos ſæpe dimittit cur? 403.eſt Ioannis Evangeliſtæ ſymbolum.435.Caſare eſt biceps.396. Diceros,avis providentiſſima.400.Vultur(Quebranta-hueſſos)pullos alienos nutrit.403.Ciconia. Cur à pietate nomen habeat? 404. Caſiæ aves,utiles ſine gravamine. 405. Pſittaci, Picæ, Corvi, Graci.407. Turdulus B.MARIAM captus invocat.407. Pſittacus S.Thomam. 426. Hirundines docent Architecturam.407. A Perrillo ligero,& Cuculo docemur muſicam.407. Gallinæ diriguntur Sciographiâ.410.Columbæ ſimplices.396. Medicinam nos docent.413. Sacramentales ſpecies auferunt & reſtituunt.434. Manucodiotæ ſuo Regi fideliſſimæ.417. Grues amant Democratiam. 418.Merope capite deorſum pendente ſurſum evolat.420.Avium ſpes.407.426.Miluus ab umbra noſcitur,fugiturque. 410.

BESTIOLÆ IMPERFECTÆ. Apes virgines ſunt, ſine coitu multiplicantur. 382. ſciunt Geometriam.407.vermes, à carne exorti patre carent.382. Centipedes. 388. Serpens prudentiæ ſymbolum. 396. Serpens Ioana & Serpens Tentlazcortzauqui jejunant. 395. Reperiuntur id genus animalia in viſceribus ſolidorum lapidum.397.Locuſtæ.405. Formicæ Ariſtocratiâ delectantur. 418.Muſcæ petulantia punitur.434.

PERSONÆ. DEVS in rebus minoribus mirabilior eſt.382. Chriſtus.386.393.398. MARIA Dei-mater.anag.Diameter.408.invocatur ab avibus.407.Mariæ lac ſugitur à D.Bernardo.382. dicto Cythariſtâ Mariæ.408.Auguſtinus.382.Ang.Manrique.383.411.Afonſus,I.Luſit.Rex.383. Alcide,aliàs Aleis S.Bernardi mater.383.Alex.III.386.397.402.Æneas.404.Alexãder Magnus 405.Ammonius.407.Anacletus.410.Aldrouandus.417.436.D.Antonius.429.Albienſes hæretici. 431.Alderſpachium Ord.Ciſt.Monaſt.433.Ariſtoteles.Aquinilus.436. Benedictus.393.394.397. 399.400.414.416.Bernardus cognatus Luſit.Regum.383. Barcino.392.Baſilius.409.436. Bernardus Abb.ad S.Anaſtaſium.412.Balaan Proph.423.Claræ-vallenſes.386.402.Chriſtophorus d'Acoſta.407.Chryſippus.416.Carolus Cluſius.417.Cæſareus.409.430.431.433.435.436. David.382.383.Dominus Catulus.410.Damaſcius.436.Emanuel de Portugal.407.Eug.Papa 412. Ezechiel.435.Goliath.Holofernes.Horatius.Iudith.Iabella.382.Gozevinus Ciſt.Ab.393. Henricus Luſit.Comes.383.Horæ.401. Hieron.436.Innoc.404.Io.Euſeb.Nierẽberg.laudatus.436. Matthæus Angelus.Marcus Leo.Lucas Bos.Ioãnes Aquila.435.Lupus de Vega.436.Molucæ inſulæ.417.

Nero. 404. *Norbertus Cæleſtis fiſtula.* 408. *Ovidius.* 405. 426. *Paulus.* 382. 416. 422. *Proteus* 386. *Petrus Leo.* 405. *Pythagoras.* 407. *Pigafeta.* 417. *Petrus capite deorſum cælos involat.* 420. *Filius Columbæ dicitur.* 435. *Plato.* 428. *Siſara.* 382. *Solis filia.* 401. *Sol orbis Chriſtiani.* 404. *Spes Dea.* 426. *Torquatus.* 382. *Triſmegiſtus.* 402. *S. Thomas invocatur à Pſittaco.* 427. *VVido dedit Bernardo Præmonſtratum.* 406. *Vlpianus.* 415.

382 MActi Animo Adoleſcẽtes ingenioſi, omnes labores habent finem, & noſtrum curſum tametſi laborioſum, requies manet. Iam metam videmus à longè; & hæreamus tantiſper, ſiquidem Mellei nos Doctoris aſſiſtentia & præſentia moratur. Cras reſumemus curſum, ad terminum optatum, ante menſem ut ſpero, venturi. Speculati ſumus Animam Vegetativam, & Senſitivam, contemplaturi ſumus Rationalem; & Bernardus, qui multa, nos docuit, qui brutorum notitiâ & hiſtoriâ uti poſſimus aut debeamus, docebit. Oportet ita alienas contemplari animas, ut noſtras reformemus: & quia DEVS eximias virtutes in ſenſitivis Subſtantiis adumbravit, quas in cor ſuum noſter Divus tranſcripſit, oportet irrationales ita contemplari naturas, ut reformetur noſtra ratio. Solet Pater ſenioris filii exorbitantias correcturus proponere in exemplar junioris excellentes virtutes; ſuadet enim fortiſſimè perſonę debilioris exemplum. Nam & Conſtantiam generoſam & animi invicti eminentiam non tam docent Torquatus & Horatius, quàm fœmina quæ triumphavit Pyrrhum; puellus, qui [1. Reg. 17.] lapide dejecit Goliathum; Iuditha, quæ [Iudith. 13.] pugione decapitavit Holofernem; & Iahella, quæ [Iudic. 4.] clavo confixit caput Siſaræ. Et, ſi ad noſtras pios oculos convertamus Hiſtorias, videbimus magis mirari Eccleſiam cùm teneras Virginis ſuſcipit triũphatrices, quàm cum robuſtos Duces, & Herôas bellicoſos. *DEVM*, dicit, *inter cætera potentiæ ſuæ miracula etiam in ſexu fragili victoriam martyrii contuliſſe*, ut pudeat nos timere nomen gladii, cujus ictum non horruerunt Adoleſcentes teneræ. Argumentum eſt hoc, quod *à minori ad majus* vocant Logici; & quidem, ni careamus ratione, fortiſſimum. Sed ut fortiùs concludam, non jam debilem Virgines, ſed adhuc debiliora fundamenta præmittant; non jam ſubſtantias utentes ratione tenellâ, ſed merè ſenſibiles, utentes nullâ. Occaſio duplex præbet argumento materiam, non & vos heſternis lectionibus eruditi ſubſtantias ſenſitivas cognoſcitis & doctrinam uberiorem ambitis; & Bernardus, quem hodie proponit Eccleſia, compendium quoddam fuit ſenſibilium virtutum, & prærogativarum animalium. Nec Ego unicus primus-ve, qui ab hiſtoriâ animalium ad ſupernaturalium myſteriorum notitiam animos elevavi, nam & Paulus generalius argumentum adſumit, & inviſibilia DEI ab eis quæ facta ſunt intelligi debere perſuadet; & Auguſtinus 3. de mir. ſcripturæ Divinæ cap. 2. ut Incarnationis credibilitatem demonſtret, à Philoſophiâ animali fortiſſimum argumentum deſumit. *Ex naturâ*, ait, *naturaliter naturam accepit, qua cooperante Spiritu ex maternâ quamvis ſolâ carne vera carnis ſubſtantiam humana contulit. Quam rem* [ne] *ſine exemplo naturæ alicujus velut novam dimittamus, multa animalia abſque parentum coitu gigni probamus. Qualiter Apes ſine patribus fœtu matris in corpore tantummodò creſcunt, & multa iſtiuſmodi Volatilia, ſed & multæ Aves abſque maribus ova gignere poſſunt. Et talem conceptum etiam in multis piſcium generibus eſſe, Philoſophi ajunt. In ſolâ quoque carne ſine patre vermis naſcitur, cui Dominus per Prophetam ſe ſimilem dicit. Quod ergo in multis rebus conſueto more Dominus operatur, quid natura contrarium dicendum eſt, ſi quando ipſe voluit, ut in Virginali utero Spiritûs ſancti diſpenſatione filius ſine virili coitu naſceretur?* Igitur & nos à ſenſibili Philoſophiâ ad intelligibilem, à reali ad moralem, à naturali ad ſupernaturalem procedamus: & ut diſcurrere liceat ſecuriùs, illam, illam, cujus lacte labia noſtri Divi honorantur, accedamus devoti, oremuſque ut nobis gratiam impetret, quâ naturam ſupernaturaliter, irrationalia rationabiliter, & incapacia meriti meritoriè contemplari poſſimus. inveniemus propitia, ſi cernui & in terram provoluti dixerimus, AVE MARIA.

Al-

Digitized by Google

383 ALcide (placet hoc potiùs nomen, quàm Aleidæ: paritura enim Melleum Herculem, meritò Alcide nominabitur) Virago quidem nobiliſſima, & ut Authores noſtri volunt [Manrique Annal.Ciſt.ann.1105. cap.1. num.4.] Henrico Luſitanorum Comiti, Afonſi Luſitanorum Primi Regis parenti, tertio gradu conſanguinitatis conjuncta, dum eſſet gravida in ſomnis viſa ſibi eſt non virum aut infantem circumdare, ſed catellum pulcherrimum, corpore toto candidum, dorſo ſubrufum. Et viſionis novitate perculſa virum pium & religioſum adiit, & cauſam ſuæ turbationis expoſuit, at *coninuò ille* [libr.2. cap.1.] *Prophetiæ Spiritum concipiens, quod David de Sanctis Prædicatoribus Domini Pſalm. 67. dicit, Lingua canum tuorum ex inimicis; trepidanti & anxiæ reſpondit. Ne timeas, optimi catuli mater eris, qui domûs DEI cuſtos futurus ſit, magnoſque pro eâ contra inimicos fidei editurus latratus; erit enim egregius Prædicator, & tanquam bonus canis gratiâ linguæ medicinalis, in multis multos morbos curaturus eſt animarum.* Hanc olim & hodie etiam ponderationem perſequuti ſunt cõcionatores optimi, & tam ſublimibus ornaverunt conceptibus, ut tetigiſſe ſatis ſit, nec neceſſarium repetere ab aliis grandiùs dicta, aut aliò dirigere interpretationem myſterioſam.

384. Siſte gradum nobiliſſima Alcide, ſemel loquutus fuerat DEVS, & duo Propheta REX audivit; nam DEI verba ſunt myſteriis gravida, & poſſunt multifariam exponi. Audiviſti unam expoſitionem, bonam, veram; dabo alteram, novam quidem, ſed Mellifluæ tuæ ſobolis actibus correſpondentem. *Ne timeas, Alcide*, inquam, *inveniſti gratiam apud DEVM, Ecce concepiſti & paries catulum ſagaciſſimum, qui omnes ſylvas percurret, moraleſque prærogativas, quas velut in umbrâ theſaurizant creaturæ ſenſitivæ, ſummo ingenio venabitur, ſummâ diligentiâ perficiet. Catulum, qui ſuâ venatione nutrietur, & quia alimentum tranſit in aliti ſubſtantiam, ſibi ipſi omnium ingenia generoſa, & omnium mirabiles virtutes adquiret.* Hoc dixi Alcide; & quia vos ipsâ devotione ſuſpendo, ut oculi viam credulitati aperiant, omnes & ſingulos ad myſticam hanc venationem invito.

BERNARDI CASTITAS.

385 PRinceps noſtri Melliflui Catuli venatoria expeditio tres virtutes adepta, Caſtitatem, Paupertatem, Obedientiamque; poſtulat, ut primo loco deſcribatur. Admiratus Elephantis caſtitatem voluit illam venari, at mutato conſilio altiorem & eminentiorem elegit. Singulis tribus annis Elephas vacat Veneri, & hoc in loco ſecreto & obſcuro, undè meruit in ſymbolum Pudicitiæ proponi. Sed hæc elephantina Caſtitas eſt conjugalis, non virginea; & ad eos pertinet, qui vinculo matrimoniali obſtricti, alteri perſonæ tenentur. Caſti dicuntur iſti, ſi prolium deſiderio, ſerò & honeſtè candorem naturalem maculent; at iſtæ naturales maculæ, licèt mores non tangant, melleo Bernardo diſplicent, qui vitam candidiorem adfectat. Igitur Elephantem pertranſiens, invenit Vnicornem, caſti pudoris ſtudioſum, de quo Facultas Medica Viennenſis in celebri illâ Famæ Regiæ Quadrigâ,

Rhinoceros ſi fors furiali ſæviat irâ,
Et paret in reliquas funera mille feras.
Bellua ſanguineas cicurat tamen acrior iras,
Virginis in gremio dum recubare queat.

Et Sanctiſſimo exemplo Virginem, in cujus gremio Virgo ipſe recubaret, quæſivit, ut mitiſſimus eſſet. Invenit optimam Bernardus, & ejuſdem puriſſimo lactatus ubere dulciſſimus & ſuaviſſimus fuit. Si hunc Doctorem Mellifluum imiteris,

Tranſcendas (Lector) quamvis Buſiridis iras,
Sis licèt & duris durior ipſe feris.
Te tamẽ haud ſævũ mea dicẽt carmina: ſcis cur?
Virginis in gremio nam tua ſceptra cubant.

Magnâ horum monſtrorum mole meus Bernardus perterritus offendit animalculum, mirabilis naturæ & ingenii, cui apud Hiſpanos *Arminno* nomen, cujus pelle puriſſimâ veſtes ſuffulciunt Cæſares, Reges, Principes cùm augurantur. Vidit generoſam animulam *malentem mori, quàm fædari*, hæc Bernardo ſummopere placuit animoſitas, hæc ita Iure-peritorum Viennenſium Facultati, ut in Quadrigâ Famæ Regiæ anno 1626. evulgatâ cœlo donaverint, & in volucrem verterint. Teſſera le-

Digitized by Google

legali VII.ſic ſcribunt. *Pro Ludomeria*. Aliquando debet magis velle mori,quàm peccare. *ff. Quod me. Cauſa I.*

Eſt Avis, Arminia veteres quam nomine dicũt,
Aëreas meritò nobilis inter aves.
Hæc potiùs dirâ patitur ſe morte necari,
Oblita quam cœno tecta ſubire ſemel.
Quid ſed ad hæc ſcelerũ jã ſordibus obruto dices?
Tot ſpatiis quod te parvula vincat Avis?
Norma quid officii, quæ dant dictamina leges?
Quid Sacroſancta tua Regula mentis ait?
Ore ſiles video; gemit alto pectore; fundunt
Et lachrymas oculi largiter ambo tui.
Parcite, ſed (poſſet ſi dicere diceret) uno
Præ vitio, decies ſi moriâre, ſapis.

Sapuit ante Te meus Mellifluus Bernardus. millies mortem ſubire malens, quàm leviuſculâ maculâ infici. Teſtis eſt mihi ſumma juvenis puritas, immaculata caſtitas. Veſtis pulchra illa,ſed confuſa adoleſcens,quæ dum ſui corporis copiam exhiberet ut frueretur alieno,à *latrones,latrones*,inclamatur fugatur. Vnam vidit,multas timuit Bernardus;in multas enim partes tranſit, quæcumque integritas, ſi frangitur; & in multas corruit culpas quæcumq;conſtantia, ſi labitur:abyſſus enim abyſſum invocat, culpa culpam, & peccatum peccatum.Multa equidem poſſem ſubjungere; ſed quia ipſamet materia poſtulat brevitatem, reponam antiquum Poëtam, à quo præcipua ſummâ brevitate cantantur.

Mente clarum & facie
Donis ornatum gratia
Trahebant hunc ad vitia.
Mundus, Caro, Dæmonia.
Hunc introducens Domina,
Cameræ ſuæ limina
Nec promiſſis nec munera
Potuit ſecum flectere.
Porrò mulier alia
Nuda carnis præſentiâ
Nocte ſoli ſe obtulit,
Sed pudorem non abſtulit.
Vnius noctis ſpatio
Venit altera tertiò,
Quam ſentiens, quid exigit,
Latrones *clamans abigit.*

Sed neque hic ipſe Hymnographus omnia complectitur, quæ apud Authores varios in vitâ Bernardi leguntur, hæc tamen pauca tetigiſſe ſit ſatis.

BERNARDI PAVPERTAS.

386 HAnc igitur virtutem venatus,oculos ſubrigit, & contemplatur volucres cęlum petentes. An-ne vult eſſe in aëre accipiter, qui in ſylvâ venatorius fuit catulus? Non puto. Caret alis, nec vult ſe vento credere, humilitatem amat, & omnem elationem contemnit. At vult è regione inferiore pendentium cœlo volucrum concertationes meditari. Forte & venari oculis,ſi aliquid conſentaneum obſervet. Inter ipſamet nubes contemplatur Apodem, & ideâ ſummæ paupertatis adlicitur. Avis eſt hæc terrenæ contagionis expers. caret nido, in quo ſuos pullos alat; caret ſaxo, in quo quieſcat; caret ramo, cui inſiſtat; & pedibus quibus illum apprehendat. Tantâ ipſa delectatur inopiâ, ut tergo maſculi debeat femella ova componere & fovere, mavultque tanto labore regulas obſervare naturæ, quàm vel tangere terram. Hanc cœli incolam volucrem, intuitus meus Bernardus, ſummas imaginationis eſſe vires oſtendit,ut Proteus aliquis in Apodem *ſtatim* vertitur. Ciſtertium venit & voto ſtabilitatis emiſſo proprios enervat pedes, & cœlo pendens; nec vult videre ſœcularem regionem, nec pedes habere morales, aut illam adeundi licentiam. Omnia in mundo relinquens ſibi reſervat cœlum,terram,cedit Nivardo;qui & ipſam ut cœleſtia poſſideret,contempſit.Pullis ſuis eſt Apus,pater niduſque, illos ſuſtentat dorſo, alis elevat, & in cœlum, quod patria eorumdem eſt,ſtudioſè conducit. Et ſuis filiis Bernardus, non ſolùm pater, ſed & nidus; nobis ut Pelicânus pectus aperit, non ut ſanguine nutriat, eſſet enim id leve indicium charitatis eximiæ, ſed ut cor illius inhabitemus. ut tandem ſic labore noſtro, nos omnes ad patriam cœleſtem conducat. Hinc patet quàm verè dictum olim ſit, *ab aliis Prælatis etiam Sanctis filios in cælum conduci,à Bernardo conferri; ſub aliis perire non ſolere, ſub Bernardo nec poſſe*. Fundatur conſolatorium hoc Axioma verbis Alexandri Papæ III. in Epiſtolâ ad Claræ vallenſes. Ipſe enim Bernardo meo devotiſſimus Pontifex, *Non poteratis,ait, ſed nec deinceps; DEO authore, poteritis à gratiâ Sanctitatis apparere degeneres, quod Sancti Patris conſtat eſſe hæredes, cui & gratia Spiritualis abundat ad meritum, & operum efficacia*

Digitized by Google

tia non defuit ad exemplum. Fundatur verbis Exordii ordinis Ciſtertienſis Cap.XX.libr.II. ubi dicitur, *quòd Melleus Doctor, fidelibus præcipuè ſui Ordinis Fratribus pro variis incommoditatibus ad ſe clamantibus deeſſe non poſſit*. Lego, & gaudioſâ voce, Fœlicem neceſſitatem quæ ſine detrimento libertatis cogit in Empyreum: pronuntio.

Hinc etiam patet, quàm vere declamatum à CHRISTO *Beatos pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*. Quod de Apodibus phyſicè & de Religioſis, etiam cęleſtibus Apodibus, verificatur. Pauperrimæ quidem illę ſunt; ſed quia terram deſpiciūt, cęleſtem regionem inhabitant ubi nec terra nec terrenis blanditiis indigent. Quibus per omnia ſimiles Religioſi, mundum & omnia in ipſo terrena reliquentes, in cœlis agunt, quæ ideò cellæ ſunt dictæ quod cognatæ ſint cœlis. nam quamdiu Monachi in cellis ſunt, virtualiter in cœlis ſunt, ita enim ſe habent in carne paſſibili, ac ſi carne carerent; ita in cœcitate naturali, ac ſi ſupernaturali gloriæ lumine donati eſſent; ſunt enim in quietâ & pacificâ multarum gratiarum poſſeſſione, in quibus latet beatitudo ut in pignore, & ut alii loquuntur, ut in ſemine.

387. Et quidem pacificam poſſeſſionem dixere, quæ vel ſine contrario, aut cum debili. Inter neſcio, quæ breviſſima Evangelia Monaſtica, meus Mellifluus Bernardus, id quà catulus latrat, id quà Prædicator acclamat; videlicet, *Pax eſt in cellâ, foris autem plurima bella.* quoniam quamdiu manet Religioſus in clauſtro, urbium & tentationum, quæ per ipſas graſſantur, immemor etiam ipſę videntur ejuſdem immemores, & emortuæ aut ſopitæ. Cæterùm ubi primùm curioſitatis ſpeculativæ pedibus à cellâ egreditur, & delicta juventutis otioſa recogitat, videtur cœlos deſeruiſſe, cecidiſſe in terras, volutari in luto, & carere pedibus quibus reſurgat aut evadat. De Bernardi eximia paupertate, quam Apodes iſtæ repræſentant, hæc in hymno antiquiſſimo lego,

Fugit honorem ſæculi,
Clavi decus & populi,
Sedem Metropolitani
Rhemis & Mediolani.
Eccleſia Lingonenſis
Necnon Cathalaunenſis,
Fieri Præſul reſpuit;
Sed paupertatem maluit.

Scio totam hanc Apodum jam à tot ſœculis præſcitam hiſtoriam, firmatam ipſo nomine, ab Aldrovando & multis aliis Authoribus confirmatam, in litem veritatis vocari à paucis dubiæ fidei Authoribus, qui has hirundines ipſas, quas vocavimus Apodes, habere pedes, & ſæpè captas examinataſq; contendunt; unamque mortuam Rudolpho II. Imperatori datam.

388. At fortè hæc omnia veracitate laborant, fortè duo ſunt hirundinum ætheris incolarum genera, & aliæ carent pedibus aliæ non carent. Maneat penes curioſos exactior rei inquiſitio & diſcuſſio; ad mores tranſeo:

BERNARDI OBEDIENTIA.

Religioſos ſimul Apodes & Centipedes debere eſſe definio; debent enim carere pedibus, quibus contra obedientiæ limites ad exequutionem proprię voluntatis procedant; debent habere centenos, ut viam mandatorum currant, ut cum Obedientia illos trahit poſt ſe, in unguentorum ejus odorem alacres & feſtini percurrant.

389. Et ſiquidem Paupertas ad Obedientiæ conſiderationem nos conduxit, laudo tranſitum, & non nihil de Obedientiâ ſubjungo. Laudo tranſitum quidem ob argumenti conſonantiam; nam ſi benè res ipſa examinatur. Paupertatem Obedientiamq; eſſe unicam virtutem reperies. qui enim caret divitiis & fortunæ impedimentis pauper dicitur; qui propria voluntate obediens. Alienam domum Religioſus inhabitat (imò ut pluribus placet, alienas veſtes induit, alienū panem comedit) quoniam pauper omninò eſt, & incapax proprietatis dominii. At obediens nobiliorem obſervat paupertatē, caret oculis auribuſque, tenetur enim nec plus velle videre aut audire quàm permittunt monaſterii regulę; caret linguâ tenetur enim cùm juſſa ſilentii poſtulat obſervantia, tacere. Caret manibus, nihil enim poteſt dare aut recipere ſine Superiorum imperio; caret pedibus, non enim vel paſſum contra legem movere poteſt, undè Superioris impulſu, non tam conducitur, quàm confertur. Si liceat perſcrutari ipſam animam, qui benè obedit, caret mente, ut diſcutiat & re-

pli-

plicet contra legem propoſitam. caret voluntate propriâ, & movetur alienâ; caret vitâ, quia jam non vivit ipſe, ſed in eo CHRISTVS, qui eſt Via Veritas & Vita. nimirùm vita vera, hoc eſt vita ſupernaturalis, & via ad gloriam empyream. Et ſiquidem omnes noſtræ ſenſibiles & intellectuales actiones procedunt ab animâ ab ſpiritu, verus obediens ille eſt, qui caret omnibus divitiis & poteſtatibus enumeratis, vel ut verbo omnia reſumam & repetam, qui eſt pauper ſpiritu. & ſecundo lucis radio illumino illam CHRISTI ſententiam, quâ *Pauperum ſpiritu (hoc eſt, bene obedientium) eſſe regnum cælorum* affirmat.

390. Habemus hujus veritatis præclarum in ſacrâ ſcripturâ teſtimonium; adoleſcenti enim volenti vitam ingredi & regnum cœlorum poſſidere, obedientia eſt propoſita; eidem enim, ut ſit pauper ſpiritu, ut careat voluntate propriâ. ut ſervet alienæ voluntatis mandata, fuit indictum: at volenti perfectiùs vivere, ut ſit pauper corpore ut vendat omnia & in eleemoſynas erogetconſultũ fuit; ut diſcamus paupertatem corporis ſeu rerum temporalium inopiam eſſe utilem vitæ Chriſtianæ, ſeu ad melius; at ſpiritûs paupertatẽ & obediẽtiam eſſe neceſſariam ſimpliciter, quoniam nec homo myſticus, ſeu Reſpublica, poteſt ſubſiſtere obedientiâ ſublatâ: nec homo phyſicus, in quo etiam ſenſuum & potentiarum eſt Reſpublica, poteſt ſalutem conſequi, ni careat voluntate voluntas, & omnia ſequantur imperium & dictamen rationis.

391. Hanc igitur cœlo dignam virtutem, noſter cœleſtis Catulus fœliciſſimè venatus eſt. Illam à Leone didicit, qui tametſi fortiſſimus, obedientiſſimus ipſe eſt. A Leone? Vtique. Ergo, ceſſat communis vulgi imprudentis obloquutio Obedientiam Puſillanimitatis ſobolem opinantis. Ceſſat quidem, nam Obedientia virtus eſt generoſa & à Fortitudine nata. In toto etenim homine nihil propriâ voluntate imperioſius, & hanc ipſam verus obediens ſubigit, hanc flectit; & ſi tam dura ſit, ut flecti non velit, etiam frangit.

392. Porrò Leonum obedientiam notæ & celebres Hiſtoriæ referunt, quas prolixè recenſere non vacat, at inter ipſas ſeligam unicam, quam admirata eſt Barcino, Princeps in Cataloniâ civitas; & dignam credo, quæ æternæ memoriæ mandetur. In hac igitur Vrbe Leonis à ſuo Magiſtro per publicam plateam conducti dorſum manu aut baculo percuſſit audaculus juvenis; ſenſit injuriam beſtia (injuria ſemper vulnere acerbior) & habitura vindictam irruit in aggreſſorem. *Teta*; hiſpanico idiomate, hoc eſt, *Siſte, ſiſte*, magiſter imperioſus inclamat, obediit Leo, at quia exſerverat iras, tantâ vi ſuum furorem compeſcuit, tantâ virtute manum (*grampam* vocant) dilaniaturam invaſorem cohibuit, ut contriverit cor, mortuuſq; apud puerum ceciderit. O generoſam obedientiam! An-non Barcinonenſis iſte Leo ſimillimus Leoni de tribu Iuda, leoni victori, qui factus eſt obediens Patri uſque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod & DEVS exaltavit illum & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen?

393. Hanc igitur meus Bernardus paupertatem ſpiritûs, hanc obedientiam eminentem, à Leone Lybio brutorum Monarchâ humanitùs, hanc à Leone Evangelico Intellectualium Subſtantiarum Principe divinitùs venatus, coluit diligentiſſimè dum viveret; & ut Leonis à me expenſam obedientiam excederet aut etiam perficeret; factus eſt Bernardus obediens uſq; ad mortem. quod quia rarum & lectione digniſſimum, ex libro II. Exordii Ordinis Ciſtertienſis Cap. XX. hunc pono.

Dominus Gozevinus Ciſtertienſis Abbas, ait citatus Scriptor, *qui cum aliis pluribus Abbatibus ſui ordinis ad exſequias viri DEI venerat, conſiderans tantam importunitatem tumultuantis populi, & ex præſentibus futura coniiciens vehementer timere cæpit, ne ſi crebreſcentibus ſignis tam intolerabilis illuc populorum turba concurreret, eorum improbitate diſciplina periret Ordinis, & Sancta Religionis fervor in eodem loco tepeſceret* (mira & audaciſſima Pietas) *ne ſigna ulteriùs faceret inhibuit. Sed cum* (ad Philipp. 2.) *dicat Apoſtolus de Domino IESV, quia factus eſt obediens uſque ad mortem; & ipſius exemplo Legiſlator noſter, Sanctiſſimus Benedictus, obedientiam nobis uſq; ad mortem in Regulâ proponat; Sancta & verè humilis Anima Patris noſtri mortali Homini etiam poſt mortem carnis, obediens fuit; nam ſigna quæ tunc radiare cæperant, ita ceſſavere, ut ex illâ die & deinceps nunquam publica miracula facere viſus ſit, licèt aliquibus fidelibus pre-*

Digitized by Google

præcipuè ſui Ordinis Fratribus, *pro variis incommoditatibus ad ſe clamantibus huc uſq; hodie deeſſe non poſſit*. O quam multa hîc de Peregrinationum periculoſâ devotione! ô quàm multa de periculis peregrinantium! de fragili illorum, qui inviſuntur, ſecuritate! de Gozevini zelo, & animoſitate! de Bernardi exemplo! ô quam multa de aliis circumſtantiis occurrunt! ſed quia ſingula ſuam horam & concionem requirerent, nec venatio digreſſiones perpetitur, perſequor meum intentum, & quo me meus conducit Catulus, attentus explorator progredior. Venati ſumus ſubſtantiales virtutes, accidentales perquiramus.

BERNARDI PRVDENTIA.

394 AVt fallor aut latrator ſtrenuus, Sanctus ab utero, veſtigia nova inſequitur & olfactûs virtute novam ibi latentem virtutem explorat. Audio ſtrepitum, attendo at ecce Pagurus egreditur Prudentiæ ſymbolum, quem natura docuit vanam ſine viribus iram. Oppreſſiones, & ſi liceat ſic loqui injuſtitias tolerat, & quamdiu debilis, pugnandi occaſiones ſubterfugit; temperat iram, furorem cohibet, & muto quidem ſilentio ait, *cùm accepero tempus*, *oppreſſiones has ego*, *has ego injuſtitias judicabo*. Hujus Animantis ingenium expreſſit S. Benedictus in ſuæ Regulæ primo, ubi ſuadet Monacho ut ſuæ fragilitatis memor militet ſub regulâ & Abbate, ne cùm debilis eſt, ſi in arenam ſolitariam deſcendat, debeat neceſſariò ſubcumbere; at expertis concedit ut poſſint Poteſtates ſtygias ad ſingulare certamen provocare. nempè illis, *qui non converſionis fervore novitio*, [eò plùs animoſo aut præcipiti, quò minùs experto] *ſed monaſterii probatione diuturnâ didicerunt contra Diabolum multorum ſolatio* (hoc eſt ad labium S. Patris, *adjutorio*) *jam docti pugnare*; *& bene inſtructi fraternâ ex acie ad ſingularem pugnam heremi*, *ſecuri jam ſine conſolatione alterius*, *ſolâ manu vel brachio contra vitia carnis vel cogitationum DEO auxiliante pugnare ſufficiunt*. Et quoniam oppoſita juxta ſe poſita clariùs eluceſcunt, qui prudentem Cœnobitarum expoſuerat timorem, & prudentem Eremitarum commendarat audaciam, Sarabaitarum imprudentiam gravibus verbis deteſtatur. Hoc illos vocat nomine, qui ad certamen ſingulare provocant Dœmonem, aut egrediuntur provocati, antequam experientiâ didicerint ſe habere vires competentes. Iſti ſunt, ait Sanctus Legiſlator, *qui nullâ regulâ approbati*, (nec) *experientiâ Magiſtri* (aut Superioris) *ſicut aurum fornacis* (examinat) *ſed in plumbi naturâ molliti*, *adhuc operibus ſervantes ſæculo fidem*, *mentiri DEO per tonſuram noſcuntur*.

395. Palurum à Divo Benedicto expreſſum, à ſe in venatione detectum, meus Bernardus vidit, ebibitque; & quia ſciebat etiam in moralibus fortiorem eſſe virtutem unitam diviſâ, intra ſuam Claram-vallem & Abbatialis dignitatis modeſtiam ſe continuit, & Epiſcopatus oblatos recuſavit, non enim voluit ſolus pugnare quoſque ſub Regulâ & Abbate longâ experientiâ doceretur; ut mirum ſit tantâ facilitate hodie reperiri Epiſcopos, Eccleſiæ militantis Duces & Principes, cùm videamus Bernardi mei ſententiâ ut tali militiæ præſit, tantum onus ſuſtineat, & cum tenebrarum Principibus [Multi ſunt qui belli tempore, multi qui pacis Pontificum bonam voluntatem impediunt] ſingulariter pugnet, eſſe impotentem & inſufficientem Bernardum.

BERNARDI TEMPERANTIA.

396 AT ſubjuncturum plura me diſtrahunt aliæ deformes animantes, quæ in variæ lectionis ſylvâ, latratu mei Catelli excitantur. Hinc alarum remigio ſe ſubrigit Iovis ales, volucer generoſus; indè duo Serpentes proreptant, & ut figura docet, alter à vulgo *Serpens Ioannæ*, alter *Teutlazcortzauqui* nominatur. Et omnes temperantiam nos monent. Aquila, Iovis ales, [de ſummâ ago; ſunt enim multæ imperfectiorum Aquilarum ſpecies] carne abſtinet, ut pudor ſit dari homines volucres, qui DEO à fulminibus ſerviant, & tamen ſint carnales, & carnis vorandæ defenſores. Ioannæ-ſerpens obſervat quadrageſimam, & quia longiorem noſtrâ Bernardum docuit, cavendum, ne noſtra Quadrageſima ſolos habeat quadraginta dies. Et alter ſerpens jejunat anno integro; & eſt confuſioni Religioſis, qui tertiò dietim comedere aliquando præſumunt, cùm ipſe comedat ſemel annuatim.

At nos, inquies, nonnunquam pane & aquâ ieiunamus; & concedo, reſpondeo tamen generoſam hanc abſtinentiam eſſe, ni ſuperaretur Cephalo, qui non iam pane & aquâ, ſed terrâ & aquâ parciſſimè ſumptis ieiunat. Eſtote igitur, Prudentes ſicut Serpentes, ſimplices ſicut Columbæ, duplices ſicut Aquilæ. Serpentum prudentia in multis virtutibus relucet, in abſtinentiâ eminet, quod vidimus. Sed, quia vana gloria ſe frequenter inſinuat, nolite vos ieiunare ſicut hypocritæ triſtes, ſed procedite ſicut Columbæ, ſimpliciter, ſincerè, confidenter; procedite, ut Aquilæ, dupliciter, cautè, diſtinctè. Duo Cæſareę Pictor dedit capita, duas linguas, duo roſtra, ut poſſit altera lingua comedere, altera ieiunare. Ergo Cæſareæ Aquilæ exemplo duas linguas Religioſus habeto; vel ſaltem unam, quæ comedendo ieiunet, & ieiunando comedat. Habebit, ſi iuxta regulas prudentiæ comedat, ſobriè, piè; ſine ullo qualitatis aut etiam quantitatis exceſſu. Et quia hac virtute (velit, nolit) ſuperandus à brutis multis eſt, alteram addat, quæ in ratione conſiſtat. Comedat & ieiunet mente; lectione ſacrâ cor reficiat, crucem eſſe menſam ſupponat, crucem menſam opiparam reputet; vocatus ad prandium, ut ad equuleum vadat, ſed vadat; vocatus ad mortificationem, ut ad opiparum convivium, ut ad nuptias, ut ad recreationem feſtinet.

397. Et quidem tantæ eſſe abſtinentiæ aliqua bruta, ut illa admiratione, nō verò imitatione debeamus proſequi, hiſtoriæ celeberrimæ affirmant: legimus enim reperta in ſaxorum duriſſimorum cordibus, ubi ſine omni cibo, ſine omni potu, vixiſſe manifeſtum eſt. Et ſi oculos aperire volueritis, quid aliud Religioſus eſt, quàm rationalis animans inter quatuor muros ſe continens. Non igitur indiget opiparis cibis, nec longè quæſitis alimentis, ſed ſicut animal natum in viſceribus lapidis, debet eſſe Eduliis, quæ clauſura ſubminiſtrat, contentus. Hoc ad miraculum doctè Divus Benedictus exponit, cùm à menſâ & veſtitu Monachi omnia peregrina proſcribit, vultque ſingulos in victu & amictu, rebus eſſe Monaſterii contentos. Vnde in Bernardo hæc virtus generoſa ita eminuit, ut in ejuſdem Canonizatione legamus, *In afflictione corporis ſui, adeò ſibi mundum ſeque mundo reddidit crucifixum, ut confidamus Martyrum quoque eum merita obtinere Sanctorum; quem confeſſionis ordine & parſimoniâ vitæ tam longum conſtat duxiſſe martyrium.*

BERNARDI FORTITVDO.

398 Temperantiam ſequitur Fortitudo. Cùm nomen illuſtriſſimæ virtutis auditis Leonem concipitis; opinione vulgari ſymbolum Fortitudinis creditum. At omnia audietis aliter. Me judice, non eſt actus fortitudinis mortem inferre, ſed ſubire, cùm judicatur neceſſarium. Nam & Eccleſia tot Milites enumerat quot Martyres, non quod fidei inimicos occiderint, ſed quod mortem in veritatis defenſionem fortiſſimè perpeſſi ſint. Agnum igitur vobis propono in ſummę exēplum fortitudinis; quem Sacer textus, ut ſummum CHRISTI robur, & virtutem commendet, etiam ob oculos univerſorum ponit, *Tanquam Agnus ad occiſionem ductus eſt*, ait; & iterum, *Tanquam Agnus coram tondente ſe obmutuit, nec aperuit os ſuum.* Aperi oculos, recognoſce CHRISTI Domini univerſas victorias; an-ne ulla major, quàm viciſſe Dœmona, chirographum noſtrę damnationis fregiſſe, abſtuliſſe peccata, hominem à ſervitute redemiſſe? Deſideras noſſe victorem? Ecce illum tibi oſtendit Præcurſor. Et jam non dicit: *Ecce Leo*, ſed *Ecce Agnus DEI; ecce qui tollit peccata mundi.* Agnus igitur Leone, ſi non robuſtior, fortior eſt.

399. Porrò D. Benedictus ſuos Monachos *milites* vocat, diſciplinam regularem *militiam*, & fortiſſimos credidit, nam capite primo ait, *Ad Cœnobitarum fortiſſimum genus diſponendum adjuvante Domino veniamus.* Et tamen capite immediatè ſequente Abbatem inſtruit, & ſic ait, *Detrimenta gregis ſibi commiſſi non patiatur, verùm etiam in augmentatione boni gregis gaudeat.* Ecce quod priùs vocarat *Militiam*, jam dicit *Gregem*, conſequenter Animas *Oves*, & Monachos dicturus *Agnos*. An-non Agni, opinione D. Benedicti, fortiſſimi? quia fortiſſimi eo judice illi Monachi ſunt; & ipſi, ſunt Agni. Aut quid aliud ſignificat illa fortiſſima periodus, quâ claudit Caput LXX. nimirum,

Si

Digitized by Google

Si contumax fuerit de monaſterio expellatur: quàm hæc, *Si Agnus noluerit eſſe, expungatur à grege?* Vel qui dubitet mecum Caput illud percurrat. *Siquis autem Frater*, ait Legiſlator, *pro quâvis minimâ causâ ab Abbate vel à quovis priore ſuo* (hoc eſt, *ſeniore ſe*) *corripiatur quolibet modo*; *vel ſi leviter ſenſerit animum prioris cujuſcumq; contra ſe iratum vel commotum quamvis modicè*; *mox ſine morâ tamdiu proſtratus in terrâ ante pedes ejus jaceat*, (& tanquam agnus coram tondente ſe obmuteſcat, nec aperiat, ut contrà obloquatur, os ſuũ) *ſatisfaciens*, *uſq; dum benedictione ſanetur illa commotio*. Et quia prævidebat fore aliquos, qui malent Leones, quàm Agnelli videri, ſubjungit, *Quod ſiquis contempſerit facere* (quod ſi aliquis Agnus eſſe non velit) *de monaſterio expellatur*. & rationem exhibet Capite XXVIII. *Ne una ovis morbida*, *omnem gregem contaminet*. Sed idipſum altiùs ponderaturo eſt diſtractioni prodigium quod ſpeculor.

BERNARDI ERGA PROXIMOS CHARITAS.

400 ECce ibi una Avis (*Diceros* dicitur) terram fodit, nec timet ſupervenientem canem. Sed cur foſſulam illam tantâ apertam diligentiâ, tam cautè obtegit, nec periculum, quod poſſet timere, moratur? Venenũ ipſa, aut habebat aut reperit, & ne aliquod animans in illud incidat & inficiatur, illud ſepelit. Et eſt exemplo Religioſis, ut Benedictinæ Regulæ LXVII. Caput diligenter obſervent. *Siquidem fortè ſubripuerit*, ait lex, *viſus aut auditus malæ rei, aut otioſi ſermonis* (hæc enim ſunt venena, quæ inficere ſolent Religioſos, alto illud ſilentio aut etiam oblivione ſepeliat) *nec præſumat quiſquam alio* (alii) *referre*, *quæcumq; foris Monaſterium viderit aut audierit*, *quia* (ſi aliquis in hoc venenum incidat & inficiatur) *plurima deſtructio* (morum) *eſt*. Et quidem inter Benedictinos Religioſos noſter Mellifluus Divus, Diceros fuit; ita modeſtus, ita mortificatus, ut extra monaſterium ſpontè cœcutiret, ne quid alii otioſum narrandum aut dicendum haberet.

HORARVM MORALIS DIFFERENTIA.

401 AN ſumus laſſi, & volumus ab inceptâ venatione deſiſtere? hora eſt elapſa, video: ſed horæ non ſunt omnes ęquales. Memini Solis olim filias, *Horas* dicimus, ſemel in theatrum productas inæquales: juſtæ nimirùm magnitudinis aliquas, nonnullas gygantæas, pygmæas alias. Priores illæ Horæ negotiorum ſunt dictæ, obſervandum enim exactè tempus eſt, ſi negotia tractantur. At Orationis & Devotionis horæ pygmææ ſunt, ſemper enim à noſtro tepóre abbreviantur. Sed recreationis horæ indeterminatæ magnitudinis, ſemper poſitæ ſunt inter Gygantes. Nos igitur ſic noſtram temperemus, ut eſſe recreationis dicamus, & ſi communem menſuram exceſſiſſe putemus, non ideò turbemur aut hæreamus. Hora venationis hæc eſt, nec horologiis adligatur Venatio.

BERNARDI RELIGIO, POENITENTIA, DOCTRINA.

402 MElleus noſter Canis progreditur, & eſſentiales & cardinales prærogativas virtuteſq; venatus ad Elephantem, quem priùs pertranſierat revertitur, & nobis illum obiicit conſiderandum. Rationis impos ille, at confuſioni pluribus, qui ſe putant cultiſſimâ præditos. In ipſo commendatur Religio. Adorat cęlum, Solem exorientem ſalutat, at priùs ſe baptizat in alicujus clariſſimi fluminis latice. Sancte DEVS, quis hanc ferocem beſtiam docuit puritatem ad cultum cęleſtem prærequiri, & pura ſanctaq; debere tractari purè & ſanctè? Videtur Natura rerum parens præter Religionem, multas etiam alias in ipsâ prærogativas adumbraſſe. Et pręcipuè Pœnitentiam poſt culpam; nam ſi contra Magiſtros aut ſubitaneâ irâ aut natali fervore Elephantes deliquerint, emittunt lachrymas, & jejunio ſe macerant. Amant literas, volunt libenter doceri. & tanto doctrinæ deſiderio feruntur, ut viſus fuerit Elephas ſub dubiâ Lunæ luce, repetere lectionem à ſuo Magiſtro exceptam, ne fortè die ſequente erraret defectu diligentiæ & ſtudii. Hæc omnia nos docet hoc animal. Hæc omnia hujus umbræ & mortuæ ſimilitudinis prototypon vivum Ber-

Digitized by Google

nardus, magnus à Religione, Magnus à Mortificatione, Magnus à Scientiâ. Vir verè Triſmegiſtus, ter Magnus. Tantâ DEVM mentis puritate & attentione coluit, ut ingreſſurus chorum corpori valediceret, omneſque negotiorum importunas occupationes relinqueret, ſolam ſecum Animam duceret, quæ DEVM laudaret. In mortificatione tantus fuit ut ſenſu carere videretur. Oleum legimus pro aquâ bibiſſe, & crudum ſangimen pro butyro [libr. 1. cap. 7.] tantus in literarum ſtudio, ut hodie ab ſtylo laudetur, & ſcripturis, ſacris naturaliter uſus credatur. In Bullâ Canonizationis Alexander, *Reduximus ad memoriam noſtram Beati viri Sanctam & Venerabilem vitam qualiter ipſe ſingularis gratiæ prærogativâ ſuffultus, non ſolum in ſeipſo Sanctitate ac religione præfulſerit, ſed etiam in univerſâ Eccleſiâ DEI Fidei & Doctrinæ lumine radiarit*. Et in Epiſtolâ ejuſdem Pontificis, ad univerſos Ordinis Ciſtertienſis Abbates; *Vitam & Sanctitatem Beatiſſimi Confeſſoris recordatione ſollicitâ memorantes; quomodo ſcilicet & in ſeipſo religionis & Sanctimeniæ prærogativâ magnificus; & univerſæ Eccleſiæ DEI, ſpecialiter autem Ordini veſtro, fide & doctrinâ, utilis extiterit, & copioſiſſimè fructuoſus.* Et in Epiſtolâ ad Clarevallenſes; *Vitâ igitur ejuſdem beatiſſimi Confeſſoris ad memoriam revocatâ, quomodo ſcilicet fide & religione atque doctrinâ præfulſerit, quantoque in Eccleſiâ DEI perſpicuæ claritatis lumine radiarit &c.* Vbi, ut videtis, à devoto Pontifice paucis lineis Sancti Viri Religio, Sanctitas, Doctrinaque commendantur & inculcantur.

BERNARDI MISERICORDIA.

403 SEd & Miſericordiam à quopiam Vulturum genere; quos *Quebranta-hueſſos* vocamus, didicit. Nam ſi iſte filios ab Aquilâ dimiſſos excipit & enutrit, multos Bernardus Benedicti Divinę Aquilæ (qui Solem DEVM conſpexit) filios, qui vel nidum profeſſionis deſeruerant, aut fuerant ab eodem excluſi, ſummâ charitate recepit, ſummâ fœlicitate nutrivit.

Sed cur pullos à nido ſuo proſcribit Aquila? Illa conſtanti obtutu Solem reſpicit, & ſuos pullos examinat, & quia ſpurios judicat qui ſolem intueri non audent, à nido eiicit. Ejus exemplo Benedictus, quia erat Aquila, in uno ſolis radio totum Mundum collectum conſpexit; ſciebat ſe habere filios ſpurios & legitimos; & quia diſcernere ipſos debuit, ſcripſit Regulam diſcretione præcipuam. Qui bene obedit, Solem CHRISTVM in ſingulis actibus reſpicit, & eſt filius legitimus: at inobediens & incorrigibilis Monachus, cœcus eſt & Benedictinę Aquilę filius ſpurius. Hunc illa è nido proiicit Regulæ Cap. 28. 29. 65. 71. At iſta Reſolutio novam parturit difficultatem: Inquiris enim, Cur Bernardus cooptet in filios, qui à Benedicto ſunt exhæredes declarati? Et reſpondeo à DEO miſericordiam ſuperexaltari judicio, & poſſe etiam ab Homine, ubi aliqua probabilis ſpes lucrandi animas relucere videatur. Præcipit Vrban. VIII. dimiſſos recipi, ſi ſit emendationis exſpectatio; quod ipſum fecit ſumma Bernardi ſuavitas, tametſi ad minus vi Regulæ Benedictinæ teneretur.

BERNARDI PIETAS.

404 ET ſiquidem de charitate parentum erga filios non nihil diximus, aliquid etiam de Pietate filiorum erga ſuos Parentes dicamus. Ciconiam video, avem notiſſimam Hebræis à Pietate vocatam, quæ parentes decrepitos dorſo ſubrigit, in nidum elevat, & in ſenectute ſuſtentat. De Pontifice Chriſtianorum Parente ſic Manriquus [Annal. Ciſtertienſ. ann. 1131. cap. 1. num. 1.] *Cælum ſcandens* (Bernardus) *& humeris ſuſtentans; Solem Chriſtiani Orbis, Innocentium nimirùm CHRISTI Vicarium,* (Orthodoxorum Patrem) *ſolus replet hiſtoriam ſuorum temporum; nec Ciſtertienſem modò, ſed Eccleſiaſticam*. Conſonat Manrique Pontifici, qui in Canonizationis Bullâ ſæpiùs allegandâ, ſic ait. *Specialiter autem Sacroſanctam Romanam Eccleſiam, cui authore DEO præſidemus, ita quondam ſub gravis perſequutionis turbine laborantem, tam vitæ merito, quàm data ſibi cælitùs ſapientiæ ſtudio SVSTENTAVIT, ut dignè quidem & nobis & omnibus ejuſdem Eccleſiæ filiis in memoriâ habendus ſit, & devotione perpetuâ venerandus.* Appoſitè Poëta ſubtilis de Nerone.

Aſſimilem Æneæ laudabit Roma Neronem;
Suſtulit hic Matrem, ſuſtulit ille Patrem.

Lu-

Ludit nominis æquivocatione quòd matrem Nero de medio ſuſtulerit, at ſtando ſignificationis unitati, ſic inquam,

Aſſimilem Æneæ Bernardum Eccleſia laudat;
Suſtulit hic matrem, ſuſtulit ille patrem.

Nimirùm ille Anchiſem, hic Romanam Eccleſiam, uterque piè, uterq; humeris, & uterq; fęliciter. Ille parentem ſuum à flammis Græcorum violentiâ ſœvientibus, audacter eripuit, iſte parentem ſuam à ſchiſmaticis rogis, quos incenderat adulatio, & ambitio, & fovebant potētium conſanguineorum caro & ſanguis, videlicet malentium ſub Nepotum ſpecie & authoritate græcari, quàm Eccleſiæ Latinæ quietem & tranquillitatem providere. Sed quia procelloſa hæc Chriſtiani Orbis tempeſtas à conſpiratione, quæ amicitiæ umbra eſt ſpuria, exordium ſumpſit, non nihil de verâ & falsâ amicitiâ dicamus.

BERNARDI AMICITIA.

405 DE ipsâ equidem multa poſſemus ediſſerere multa legere. Acutè & veraciter Naſo.

Cùm fueris fælix, multos numerabis amicos,
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

At quia certa amicitia in re incertâ cernitur. dedit DEVS Caſias & Bernardum, hunc inter homines, & illas inter aves. Non videntur illæ niſi cùm neceſſariæ ſunt; ne ſint ulli moleſtæ, cùm prodeſſe non poſſunt, latitant. Natæ ſunt, ut locuſtas aut fugitent aut devorent, & cùm ab iſtis terra affligitur, adſunt; cùm iſtæ receſſerunt, recedunt. Et Bernardus in clauſtro latitans, ſolùm tunc in civitatibus fuit viſus, cùm communis Eccleſiæ neceſſitates aut utilitas ejus præſentiam poſtulavit.

BERNARDI GENEROSITAS.

SEd hæc ipſa tetigiſſe ſufficiat, ditiſſima enim eſt Natura, & nos temporis inopiâ laboramus. Ad heroïcas actiones & virtutes me vocat ille Machabeus, qui ſub Elephante à ſe occiſo ſuccubuit, ſcio tamen Albanię Regem canem Magno Alexandro donaviſſe, qui occidit Leonem & in eâdem arenâ Elephantem, noſtri canis imaginē in Eccleſię Romanę amphiteatro Petrum Leonem Antipapam, Hæreſimque ferociſſimam beſtiam vincentis.

BERNARDI VRBANITAS ET LIBERALITAS.

406 VErum arborem illam occupat parvula Tigris, latratu melliflui Catuli excitata, ſed & ipſa reſpondet, & rugitûs conſonantis ſpecie, auræ videtur adulari. Quæ tamen ipſa eſt? Rem teneo, Animantem cognoſco, *Ocotochtli* vocatur; in parvo corde & pectore ſummæ generoſitatis exemplum. Cervum ipſa fugitivum invaſit, & dejecit; nunc privati immemor, bono publico invigilat. Conventum animalium cogit, univerſa ad convivium invitat, mavultque epulum dediſſe quam habuiſſe; deſcendet ipſa poſt modum & reliquiis famem ſuam ſaturabit. Quis hic non videat Vrbanitatis ſummæ, Liberalitatis eximię, & generoſitatis eminentis exemplum? Quis non intuetur vivam noſtri Confeſſoris imaginem, noſtri Divi excellentis exemplar? O quoties ipſe vicit feroces beſtias bono publico! ô quoties quæſivit, adquiſivit, divitias bono alieno! etiam cùm ipſe poſſet videri indigus, aut fortè eſſet! Videatur Epiſtola 252. ad Præmonſtrati Abbatem poſt obitum Norberti ſcripta, in quâ inter alia, *Primò quidem locus ipſe Præmonſtrati, in quo degitis, fuit, & noſtro munere habuiſtis. Nam nobis frater VVido* (hoc nomen primi incolæ loci, quem B. Bernardus converterat) *per manum Epiſcopi anteà tradiderat.* Ecce liberalitatem & urbanitatem Bernardi; adlaborat, adquirit, donat, mavultque rebus neceſſariis carere, quam ut Præmonſtratenſes careant. Multa alia in favorem aliorum plurium præſtitit; ſed quoniam homines libentiùs beneficia recipimus quàm fatemur, illa quæ occurrunt ne videamur aliorum ingratitudinem carpere, taceamus.

BERNARDI SCIENTIÆ LIBERALES.

407 LIteras profitemur, illas profeſſus fuit Ordo Benedictinus, & ſub initium tanto applauſu, ut Monaſteria fuerint Academiæ, & eò Adoleſcentes miſſi virtutem & doctrinam docendi, oculis igitur academicis videamus Animalium Scholaſticam turbam, quam Mellifluus meus Catulus nobis imitandam proponit. Alogæ dicuntur Animan-

mantes, quod ſermocinari non poſſint, & tamen Pſittacos,Picas,Corvos,Gracos,Turdos, & multas alias volucres quotidie audîmus, varias hominum linguas imitantes. Habui amicum qui inter alias Aviculas cepit Turdulum,qui laqueorum impatiens Beatam invocabat MARIAM, & Aucupis favente devotione, etiam, quæ invocabatur, favit. Fortè fuerat domeſticus, & iterum reverſus in campum. Elephantes aliquos didiciſſe Grammaticam Latinam,Græcam, Barbaram, Chriſtopherus d'Acoſtâ ſcribit. Ammonii Sophiſtæ Iumentum,referente Damaſcio ita delectabatur carmine, ut fœnum & avenam relinqueret potiùs,quàm à carmina recitante diſcederet. Arithmeticam videbatur ſcire Equus ille, qui fuit admirationi ſub annum milleſimum & ſexcenteſimum toti Angliæ,qui,ut habui à Principe Emmanuële de Portugal,ſi cretâ delineares numerum in tabulâ & quantum valeret inquireres,reſpondebat illicò pede, totidem ictus percutiendo.Geometriam videntur didiciſſe Apes,quæ ſuos fabricantes hexagonos tantâ curioſitate & induſtriâ, ut deſperandum ſit fore hominem, qui poſſit artem imitari. Hirundines Architecturam docent. Naturæ inſtinctu ſciunt debere ligna craſſiora ſupponi, ſuperponi leviora; lutum parant, & muros ſuæ domûs circularis incruſtant. Ad numeros Muſicos tripudiantes Canes quotidie, etiam nonnunquam Vrſos, Equos, Elephantes & alias beſtias ferociores videmus. Muſicam Avium non recenſeo, eſt enim alterius omninò ordinis, nec quæ poſſit ad numeros & menſuras reduci. Figuralem, ut vocant, ab hominibus diſcunt Pſittaci, & omnes illæ aves,quæ loquelam.Vidi canem, qui ſuo Domino ſerviebat à cuſtodiâ & à muſicâ; defendebat invaſum, & cantanti adlatrabat armonicè. Sed hæc omnia potiùs arguunt docentium patientiam & improbam perſeverantiam, quàm diſcentium, ingenium. Ad bruta venio, quæ Muſicam docere poſſunt. Illam Pythagoras dicitur à Fabro-ferrario didiciſſe, & malleorum alterno delectatus ſtrepitu, ponderaſſe ferra,& proportiones inveniſſe.Et quidem ſi audiviſſet illud animal, quod per ironiam Hiſpani *Perrollo ligero* vocant, tardum, indocile, non eguiſſet Pythagoras alio magiſtro. Sex ipſum, vel etiam plures, voces intonat, & naturali ſpiritûs langueſcentis remiſſione deſcendentes;non aliter ac ſi Cantor quidẽ ex noſtris diceret, *La,Sol,Fa,Mi,Re,Vt.* Et quia delectat auditores varietas, Cuculus duo ſemper puncta inſonat,ſed majore diſtantiâ,quæ videntur eſſe ſub initium *La, Fa,* ſub finem cùm eſt fatigatus *Sol, Mi.*

408. Has omnes Scientias aut ſaltem Facultatem umbras,expreſſit in Brutis Natura, aut Homo ſuâ induſtriâ & aſſiduo labore imaginavit;at omnes has Facultates & Scientias ad miraculum bene ſcivit noſter Mellifluus Catulus Grammaticus, Arithmeticus, Geometra, Architectus, & Muſicus. Nam grammatibus Α & Ω (in quibus omnes literæ & omnes comprehenduntur ſcientiæ, quæ una formalitas ſunt ſimpliciſſima & diviniſſima, tametſi binæ & diſtinctæ videantur) diligentiſſimè ſtuduit; & in eorumdem cognitione & notitiâ quotidie profecit. Scivit loqui linguis Hominum & Angelorum, ſemelque Spiræ, ad Rhenum, iterum Affligenii in Brabantiâ, & ſæpiùs alibi, quòd Angelica verba reſumpſerit,& dixerit,AVE MARIA, meruit à ſalutatâ Angelorum Reginâ, etiam reſalutari. Si Poëta dicitur,qui ad regulas & pedes loquitur, omnes periodi Divi mei Confeſſoris ſunt carmina. omnes ad rationis limam, omnes ad veritatis & ſummę Sapientię regulas ſcriptæ ſunt. ſinguli Doctores, qui cum plauſu leguntur Melleos libros ejus percurrunt;ut faciliùs ſit adinvenire Cygnum nigrum,quàm Concionem bonam,ſine conceptibus Bernardi. Dedit operam ſublimiori Arithmeticæ, & oſtendit decipi Ariſtotelem Zenonemque, cùm putant Vnitatem additam numero facere majus. DEVS enim unus eſt,trinus eſt, nec in ipſo eſt plus eſſe trinum, quàm unum, nec plus eſt alterum quàm utrumque. Hæc eſt nova Arithmetica, ſed quam fides docet, & ſuâ eloquentiâ dilucidat & firmat Bernardus. In Geometriâ multum ille profecit. Scit DEVM eſſe ſphæram, cujus centrum ubique eſt, & nullibi circumferentia:ſcit quod MARIA, Angelorum Regina in hac ſphærâ ſit DIAMETER, anagrammaticè,DEI-MATER.Et tandem quis audebit negare illi Scientiam Architectonicã, qui vel materialitér videat tot ab ipſo, DEO & Ordini erectas Eccleſias, vel ſpiritualiter tot animas ædificatas? Sublimioris & doctioris Vitruvii eſt Animos ædificare, quàm muros

ros; & utrumque repertum in Bernardo, ſed eminentiùs illud prius. In Bulla Canonizationis Alexander, *Fructum verò, quem in domo Domini & verbo operatus eſt, & exemplo, nullus ferè terminus Sanctæ Chriſtianitatis ignorat, cùm uſque ad exteras quoque barbaras nationes Sanæ Religionis inſtituta tranſmiſerit, atque Monaſteriorum fundationem extenderit, & infinitam multitudinem peccatorum per viæ ſæcularis latitudinem incedentium ad ſpiritualis vitæ rectitudinem revocarit*. Qui ſiquidem Cythariſta MARIAE ab Eccleſiâ Romanâ dicitur, non debet, muſices imperitus videri. Dedit Deus eodem tempore Chriſtiano Orbi Bernardum & Norbertum; illum V. Matris Cythariſtam, hunc Fiſtulam cœleſtem (ſic eum ipſemet Bernardus Epiſt. 56. nominat) ut morum conſonantiâ & virtutum armoniâ raperent animos univerſorum.

BERNARDI DIALECTICA.

409 POſt liberales locum habent ingenioſiores illæ, Scientiæ, quas Scholaſticas vocamus (nimirùm, Dialectica, quam didiciſtis, Theologia, quam diſcetis) & inquiritur, An illas noſter Catulus fuerit in hac myſticâ venatione lucratus?

Pro dialecticâ habeo Baſilium in Hexamer. *Rationis quidem expers eſt canis*, ait, *æquivalentem tamē rationi ſenſum habet. Quæ——— deſidentes mundi ſapientes vix invenerunt (ſyllogiſmorum, inquam, plexus) ea ſe à naturâ doctum oſtendit canis. Veſtigium enim feræ perſcrutans, ubi invenerit illud multiformiter ſciſſum; digreſſiones quocumque divertentes ſingulatim rimatus, tantùm non ſyllogiſticam vocem, per ea quæ facit edit; Aut hac, inquit, fera divertit, aut in hanc partem; Atqui neque hac, neque illac; Reliquum igitur ipſam hac digreſſam eſſe. Et ſic per deſtructionem falſorum, verum invenit*. Ecce, Canes aſſerente Baſilio inſtinctu ſunt Dialectico prædíti, & noſter excellentiore modo, nam ut alibi expoſuiſſe me memini [num. 212.] Scholas ingreſſus Philoſophicas ita argumentabatur, ut nemo poſſet Dialecticæ ejuſdem reſiſtere. Multa hujus optimi Argumentatoris ratiocinia perierunt, & unum referam, quod Belvacenſis Epiſcopi diligentiæ debemus. *DEVS*, ait, *nobis facit hoc argumentum; reſpondete. Propono vobis legem & mandata, dicens, Hæc mandata, & hanc legem dedi vobis. Aſſumit tranſgreſſionem, & concludit condemnationem. Sic ergo argumentabitur contra Hominem, legem tibi tradidi, tu prævaricator fuiſti; ergo damnationem promeruiſti à juſto Iudice; ergo damnaberis.* Hæc omnia jam alibi dicta & expoſita, nunc tantummodò attacta.

BERNARDI PHYSICA.

410 VEnio ad Phyſicam: hujus præcipuç partes ſunt Aſtronomia, Sciographia, Aſtrologia, Medicina, quas omnes hodie in ipſiſmet Brutis, quæ ſumus venati, admirabimur.

Aſtronomiâ delector, & admiror illam reperiri in Oryge, efferâ animante in Ægypto, quæ obſervat ſydera, & Syrii ortum attendit. Sciographia per ſolis umbram, quæ aguntur ſuperiùs, diiudicat; & cum volitat Milvus, inviſum hoſtem in umbrâ Gallina contemplata implumem ſuam familiam convocat, clypeatq; alarum patrocinio & ſtrepitu. Et quidem noſter Divinus Catulus Aſtronomicus eſt. Iactat ſe Firmamentum, quod habeat duos Stelligeros Canes, nec tamen illos ipſi invidebit Empyreum illuſtrioribus nobilitatum. Nam Bernardus & Dominicus duæ ſyderum & virtutum conſtellationes ſunt, imaginibus Canum expreſſæ. Sanè Bernardus Canis cœleſtis fuit, non ſolùm quòd obſervaretur in cœlo, ſed quòd illud etiam à tellure obſervaret, imò & ſervaret: in cœlum enim audet ille, qui in incolas, & in donandos cœlo auſi ſunt multi, quos Bernardus ſuâ virtute fugavit. Antichriſtum Divus meus non vidit, ſed ubi umbram ejus Anacletum intuitus, Gallinæ inſtar cçpit timere ſub cœlum involantem accipitrem, pullos protegere, & ſchiſmatis periculoſi tempore Eccleſiam periclitantem defenſare.

411. Tunc cognovimus quod ſint Caniculares dies (ſic vocant eos Aſtronomi, quibus Sol conjungitur orienti Cani) conceſſi cœlitùs, ut omnes mali vapores nimio calore conſumantur. *Bernardus Oriens* [in Annalibus Ciſtertienſibus ad ann. 1131. cap. 1. num. 1. ait Manrique] *humeris ſuſtentans Solem Chriſtiani orbis Innocentium, nimirum CHRISTI Vicarium*. & hanc cœleſtem conjunctionem ſe-

Digitized by Google

ſequuti ſunt caniculares dies,calidi & torridi, qui ſchiſma totum; ſchiſmaticos, hæreticos, ambiguos;tanquam nocivas exhalationes terræ conſumpſerunt.

BERNARDI MEDICINA.

412 ET ſiqui mali adhuc remanſerunt humores, illos ſalutifera Bernardi lingua elinget. de ipſo enim prophetiâ conſultus Senior ſic Parenti,anxiæ, *Optimi Catuli mater eris.------ Erit enim egregius Prædicator, & tanquam bonus canis gratiâ linguæ medicinalis in multis morbos curaturus eſt animarum.* Animarum quidem, non corporum; nimia enim horum cura inſinuat neglectum illarum. Vnde in antiquo Rhythmo,

Hic verus DEI Catulus,
Solicitus & ſedulus,
Domum ejus cuſtodiens,
Ab eâ fel eiiciens.
Latratu fugans impios,
Fidei adverſarios,
Linguâ languores auferens,
Donum ſaluti conferens.

nimirum ſpiritualis, aut etiam nonnunquam corporeæ in ordine ad ſpiritualem; nam merè corpoream parvi fecit, ipſe enim totâ vitâ aſpernatus eſt Medicos & Medicinas, omneſque artificioſas conditiones; & omnia id genus medicamenta vel fomenta, indecentia Religioſo affirmavit. Exſtat ejus Epiſtola 321.ad Monachos S.Anaſtaſii in Vrbe,à quibus per Abbatem ejuſdem domûs Petrum Bernardum, qui poſteà Eugenius Papa III. fuit, corporeæ ſalutis materiâ conſultus, ſic ait: *Cæterùm unum quidem à me petit Abbas veſter venerabilis, quod mihi minimè bonum videretur. Credo autem quod & ego ſpiritum DEI habeam,*(nota bene) *& conſilium DEI in hoc. Scio equidem, quod in regione habitatis infirmâ, & multi quidem ex vobis laborant infirmitatibus. Sed mementote quis* [2. Corinth. 12.] *dixerit; Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus CHRISTI.* Et: *Cùm infirmor,inquit,tunc fortior ſum. Compatior utique, & multum ego compatior infirmitati corporum, ſed timenda multò magis, ampliùſque cavenda infirmitas animarum.* Et ſtatim clariùs ſeveriùſq; conſilium DEI quod ſcit, & Spiritum DEI quem habet,profundit & exponit. *Propterea*,ait,*minimè competit Religioni veſtræ Medicinas quærere corporales*, & ne fortè aliquis nimis vitæ hujus prolongationi intentus hoc conſilium reſpueret, ſubjungit; *ſed neque expedit ſaluti.* & merito, extraordinaria enim male notarum ſpecierum violentia à Medico cœco applicata raro prodeſt,frequentiſſimè nocet. Nec debet Medici ingenio confidi,quoniam ut ſuadet experientia,oculatiſſimus Medicus cęcutiens eſt. Hinc progreditur, & morale ratiocinium ſubjungit. *Nam de vilibus quidem herbis,& quæ pauperes deceant, interdum aliquid ſumere tolerabile* (Non ergo neceſſarium) *eſt, & hoc aliquando* (non ergo ſemper) *ſolet fieri. At verò ſpecies* (pharmaca) *emere, quærere Medicos,accipere potiones,Religioni indecens eſt, & contrarium*(nota & hoc)*puritati:maximè autem Ordinis noſtri neque honeſtati congruit neque puritati. Hæc omnia*[Matth.6.] *Gentes inquirunt.*

413. Sed quia non omnem Medicinarum uſum meus Bernardus condemnat, ſed ſpecioſum & prætioſum,qualem ſuis ille permiſerit, utiliter inquiri poterit. Et ego exiſtimarem medicinas fortè illum non interdixiſſe naturales,ſimplices;communes; quas ipſęmet Animantes nos docent. Et quia omnes evacuationes ſunt immundæ, à purgatione, quę omnibus ſordidior videtur,exordium ſumens,illam duplicem eſſe reperio;alteram naturalem, cùm potio bibitur; violentam alteram, cùm quà egeri deberet, ingeritur. Illam abſolutè *purgationem* vocamus,hanc hiſpanicè *ayude*, hoc eſt, *auxilium*. Prioris uſum nos diverſæ animantes docuerunt,nam purgationis causâ Columba Turcica(vel ut Hiſpanus loquitur *Torcaz*)laurum edit, helxinem(herba eſt nota) domeſtica: Gramen, imò ſegetes, aut herbam qualemcumque canes: Apri hederam: Vrſi Mandragoram: & ſi habere poſſint,formicas. Poſterioris uſum etiam varium à Ciconiâ Ægyptia didicimus. Diminutionem ſãguinis docuit nos Hippopotamus;qui cùm morbo laborat, ſpinetum aut harundinetum invadit, & carnem ſuam his lanceolis aperiēs, tamdiu ſuſtinet, quamdiu iudicat morbi ſui gravivati congruere, & ſtatim lutum adiens vulnera ingenioſè reſtringit. Et quia optima Medicina, ea quæ facillima eſt Abſtinentia; propoſuit DEVS, inſtruendo homini Lupum, voraciſſimam beſtiam, in exemplum; qui ut in

Digitized by Google

in adagio hiſpano eſt, *come aſta infirmat, y ayuna aſta ſanat* nimirùm, *qui ad morbum uſq; comedit, & uſq; ad valetudinis recuperationem jejunat*. Balnea docuit nos Elephas, qui artis natatoriæ imperitus aquas ingreditur caloris temperandi gratiâ.

414. Omnia hæc Bernardus phyſicè, ſed cum moderatione concedit ſuis, non ſibi: ſibi enim omnia indulſit moraliter. Quem, ut in ſingulis imitari poſſimus, ſingula breviter conſideremus.

Primò igitur, qui ſeriò vult virtuti incumbere, debet ſe à peccatis confeſſione generali purgare: fruſtra enim adlaboraret ſaluti, ſiquis retineret in pectore mortiferas infirmitatis cauſas. Diminutionem ſanguinis ille ab Hippopotamo Divino (Benedictum intelligo) qui luxuriantis ſanguinis diminuturus impetum, vepretum irruit, & innatavit aëri aculeorum ſuſpenſus uncinis, quouſq; ille omnis ſanguis, à quo periclitabatur, periit. A cibis tantâ ſeveritate abſtinuit, ut & ſtomachum ipſum corruperit, fueritque ob hanc cauſam graviſſimas infirmitates paſſus. Aquas calidas thermaſque, indecentes Regulæ Capite XXXVI. judicat Benedictus, & cum illo Bernardus; at iſte cùm concupiſcentiæ ardor licentiùs æſtuabat, nec poſſet aliter temperari, ſtagnum frigidiſſimum ingreſſus more medico contraria contrariis curavit.

BERNARDI IVRISPRVDENTIA.

415 HOc eſt veræ Medicinæ Theorema, quod & Iuriſperiti ad tribunalia transtulerunt, iudicantes peccata eſſe animi civiles morbos, & curari debere medicinis contrariis; Sic iubent ut calumniæ revocatione, iniuriæ veniæ impetratione, furta reſtitutione, debita ſolutione extinguantur, profitenturq; ſcientiam, quam gloriantur à Brutis didiciſſe. Vlpianus lege primâ de iuſtitiâ & iure. *Ius naturale eſt* (magna attentione indigeo, eſt enim mirabilis hæc Iuriſprudentis expoſitio) *quod natura omnia docuit. Nam Ius iſtud non Humani generis proprium, ſed omnium Animalium, quæ in terrâ, quæ in mari naſcuntur, avium quoq; commune eſt. Hinc deſcendit maris atq; fœminæ coniunctio, quam nos matrimonium appellamus: hinc liberorum procreatio, hinc educatio. Videmus etiam cætera quoq; animalia, feras etiam, iſtius Iuriſperitiâ cenſeri*. Hanc periodum prudentiſſimam & reconditiore ſapientiâ plenam iudicarunt Trebonius & ſocii, illamq; dignam, quæ ſub ipſum initium Inſtitutionum Iuſtinianearum poneretur. Quam tamen ineptiſſimam cenſuerunt Theologi, & nos etiam cum illis. Scio ab aliquibus ſolere in bonum ſenſum obtorqueri, & illorum exemplo ſtando præiudiciis poſitis, Vlpiani mentem ſic expono. [Ius naturale illud eſt, cuius Natura umbram quamdam omnia animalia docuit; quam ab ipſis docemur. Quoniam huius Iuris materia non eſt humani generis propria ſed omnium omninò animalium, quæ vel aquam innatant, vel fatigant tellurem, vel aërem pectunt. Hinc deſcendit maris & fœminæ coniunctio, quam nos matrimonium vocamus, ubi nobis pudori debent eſſe irrationalia innumera, quæ materialem illam connubii fidem, quam nec promiſerunt nec cognoſcunt acta à Naturâ religiosè obſervant: cùm tamen illam nos notam devotam etiam, adulterinis nonnunquam conſortiis maculemus. Hinc filiorum procreatio & educatio, in quibus modum bruta tenent, exorbitamus nos, nam vel nimiùm proles noſtras deſpicimus, aut nimiùm illas peramamus. Quam ob rem concludendum omninò animalium etiam ferorum operationes, eſſe ſimiles actionum humanarum materiæ, adeòq; materialiter poſſe Iuriſperitiæ, diviniſſimæ ſcientiæ, accenſeri.] Hæc Vlpianus, ſi dicere non voluit, ſaltem debuit.

416. Addam verba Chryſippi, quibus ſternam Pontem, ut ex Iuriſprudentiâ ad Politicam Scientiam Regibus dignam tranſeamus. *Lex*, ait Stoicus hic Philoſophus, *eſt omnium divinarum & humanarum rerum Regina. Oportet autem eam eſſe Præſidem & bonis & malis: & Principem & Ducem eſſe, & ſecundum hoc regulam eſſe iuſtorum & iniuſtorum; & eorum quæ natura civilia ſunt animantium*. Et paucis verbis totius Iuris fundamentum expoſuit. Non enim iuridica & prudens lex eſt, quædam *Defendens corvum, & vexans cenſura columbam*, ſed ut æqua ſit, debet æqualis eſſe, bonis, malis. Debet eſſe lex rerum divinarum & humanarum rectrix; non quod divinarum rerum regimen abrogatura ſit, ſed quod debeat humanas res divinarum inſtar gubernare, ut fiat voluntas tua DEVS ſicut

Digitized by Google

ſicut in cœlo & in terrâ. Superior enim aſſerente D. Benedicto Regul. *nihil extra* (contra) *præceptum Domini debet aut docere aut conſtituere vel jubere: ſed juſſio ejus vel doctrina fermentum divinæ juſtitiæ in diſcipulorum* (omnes ſubditi diſcipuli ſunt) *mentibus conſpergatur*. Lex etiam eſſe debet Princeps & Dux; fruſtra enim Principem habeas, qui Duce careas; porrò *Principis exemplo totus componitur orbis*, adeòque Princeps debet eſſe ſubditorum Dux, præeſſe vitâ, & præcurrere exemplo; & ut D. Benedictus loquitur, *omnia bona & ſancta factis ampliùs, quàm verbis oſtendere----Omnia quæ diſcipulis ſuis docuerit eſſe contraria, in ſuis factis indicet non agenda* (1.Corinth.9.) *ne aliis prædicans, ipſe reprobus inveniatur*. Sed quo Leges modo debent comprehendere animalia? non quidem, ut illa moraliter gubernent, aut dirigant, ſed ut eorum exemplo humanas operationes regant. Animantium civilium ideas nobis ob oculos ponit Chryſippus,& ſub initium ſuæ Hiſtoriæ enumerat & recenſet Ariſtoteles, & præcipuè Grues, Apes, Formicas.

BERNARDI POLITICA.

417 Porrò genera Politices ſunt Monarchia,Ariſtocratia,Democratia;quæ docemur à Brutis, quæ Civilia Chryſippus nominavit.

Monarchia eſt Apum ſatis nota, & nunquam ſatis laudata Reſpublica; Regem unicum habent, in hoc ab ipſis diſtinctum, quòd aculeo careat. ut doceantur Superiores & Principes non dediſſe DEVM hominibus authoritatem ad deſtructionem, nec debere præeſſe, qui prodeſſe non poteſt. Sed quoniam alvearia ob oculos habemus quotidie, exempla remotiora petamus.

Manucodiatæ ſunt aviculæ ex hirundinum genere, quas malè Pigafeta & Carolus Cluſius contra Aldrovandum cum Apodibus volunt confundere. Ipſæ igitur Inſulas Molucas inhabitant, & Regem habent: erga quem tanto amore & fidelitate feruntur, ut ſi contingat eum occidi & in terram cadere, omnes omnes ſe cum ipſo dimittant, malintque vel capi vel occîdi, quàm Regem ſuum etiam mortuum deſerere. Hæ ſunt perfectæ Monarchiæ inſtitutiones. O Chriſtiani fideles,fruſtra gloriamini tam divino vocabulo, ſi fontem deſpicitis, unde illud habetis. Virginum,qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, Agnus Rex, illi Manucodiatarum exemplo ſequuntur Agnum quocumque ierit. Orthodoxorum CHRISTVS REX. illum ſequi, & nunquam deſerere debemus. At ipſe amore ictus in manus inimicorum cecidit; ſputis inficitur, flagellatur, coronatur ſpinis, & tandem crucifigitur! Dimittamus igitur alas contemplationis noſtræ, compatiamur, condoleamus, & configamur cruci; quoniam, ſi fideles ſimus patienti, experiemur & fidelem triumphantem. Si concoronemur ſpinis, reponetur nobis in cœlo corona juſtitiæ, quam dabit illâ die juſtus Iudex iis, qui diligunt eum. In Religione regulari habemus Monachorum Patrem Ducemque Benedictum; hunc omnium Religioſorum Regem, divini Numinis jaculo ſaucium, & per humilitatis duodecim gradus corruentem, comitemur; malimuſque cum ipſo concipi aut conduci, quàm ſine ipſo vanè glorioſè & periculoſè exaltari. Sit nobis Prorex, Regis Benedicti vicarius, melleus noſter Confeſſor; volat in cœlum, convolemus. dicamuſque. Quis nos ſeparabit à charitate & amore Bernardi? Ille unicus qui Bernardum à CHRISTO brachiis & amplexibus mutuis nexus eſt, ſanguinis pretioſiſſimi liquore confortatus; quem tandem DEO unitum per gloriam diſſolvere nec poterit fortuna,nec periculum, nec fames, nec gladius.

418. Ariſtocratiam nos docuére Formicæ,docuêre & Elephantes. Illæ & iſti obediunt Senioribus, & majoribus cedunt. Et Grues non ſine admiratione D. Ambroſii, Democratiâ reguntur; componunt popularem Rempublicam, cujus curæ communes, & æqualiter diſtributæ per omnes. Nulla inter eas maxima, nulla minima; omnes cenſentur æquè dignæ, æquè nobiles; unde quæ ſuo ordine litterario eſt Princeps,ſuccedit ultimæ cùm dignoſcitur laſſa.

419. Ecce Bruta diſtincta in Placita. Alii de placitis Philoſophorum ſcripſerint, ego egi de Brutorum placitis,ſectis,hæreſibus,politicis. At,ut meliùs inſtituaris, inquiris,Quâne ex iſtis Politicis erexerit Benedictus, approbarit Bernardus,nos ſervemus? An Reſpublica noſtra ſit Monarchica, Ariſtocratica, an ve-

verò Democratica? vel ſi latinæ voces placeant, An ſubſit uni Capiti? An obediat Melioribus? An tandem impetu populari regatur? Et reſpondeo, florũ faſciculum pulchriorẽ horto; in ipſo enim collectæ omnes vegetativæ divitiæ, quas Natura per varias areolas ſparſit. Addo Rempublicam Benedictinam eſſe politicum quemdam faſciculum: comprehendentem omnes Monarchiæ, Ariſtocratiæ & Democratiæ perfectiones: nam in ipsâ omnes ſunt, & ſingulæ aliarum conſortio temperantur. Monarchia in Abbate relucet; ſolus imperat, omnes obediunt. Ariſtocratia in ordinibus Congregationis, in Senum & Infantum cura, in obedientiâ privatâ, & in omnibus aliis, in quibus Senioribus Iuniores D. Benedictus ſubordinat, conceditque illis jubendi, & imperandi, & imperandi anthoritatem. Tandem Democratia in præbendo conſilio, in eligendo Abbate, in admittendis & incorporandis Novitiis, in alienandis bonis, & in materiis aliis; in quibus univerſorum voces ſunt æquales, & ſecundùm noſtri ævi mores deciſivæ.

BERNARDI HVMILITAS.

420 CONducit ad humilitatis cuſtodiam hæc æqualitas, nec aliter ſervari poſſet. & tamen virtus ipſa eſt, ſine quâ nemo ſcandit ad cœlum. Rara prærogativa! Hominem deprimendo exaltat, diminuendo auget, & contemnendo extollit: ſed quæ non careat umbrâ, aut ſi velis exemplo. Se reponit Merope & ait, Ego ſum rudis quædam CHRISTI Domini imago, diſcite igitur à me quia mitis ſum, & humilis corde. Mirabilis ingenii ipſa eſt, capite deorſum pendente, & pedibus ſurſum elatis, labenti ſimilis, ſe in aſtra ſubrigit, & ultra nubes remotiſſimas tollit. Sic olim S. Petrus empyreum ſcanſurus inverſo membrorum ordine pendente capite, elatis pedibus incepit alas humilitatis, & earumdem virtutem explorare. Vide Meropem: lapſuram crederes, & tamen ipſa cœlum adit. Vide Petrum; & mole ſuâ judicabis caſurum, & tamen hoc lapſu ſubrigitur, & ſupra cœlos exaltatur. Omnia diverſimodè judicant oculi carnales & terreni: diverſimodè ſpirituales. Iuſti, qui viſi ſunt oculis inſipientium mori, in perpetuum vivunt: qui humilitatis impetu cadere videntur, adſurgunt. Ideò duodecim nos docuit deſcendere gradus Benedictus, & Melleus poſt ipſum Bernardus, ut habeamus ſcalam, quâ ſupra Empyreum, quod undecimum eſt, ſcandamus. Videamuſque facie ad faciem, quem ſuperſtites Fide cognovimus, Spe ambivimus, & Charitate amavimus.

BERNARDI THEOLOGIA.

421 ECce ipſa tractationis conſequentia nos demum invexit, & DEVM propoſuit contemplandum. An in ſupernaturalem rerum divinarum notitiam nos manuducent Animantes? Cur non, ſi conſideremus actiones illarum elevatas. nec videbitur mirum, ſi expoſituri hominum ſupernaturales actus, elevatas brutorum operationes contemplemur: ſiquidem nec homo ipſe illos elicit aut elicere poteſt, ſi virtute Animam elevante & adjuvante careat.

BERNARDI FIDES.

422 FIdes prima & baſis omnium virtutum eminentium, vita habituum cœleſtium & ſupernaturalium, non cadit ſub humanum meritum nec naturalibus laboribus adquiri poteſt. *Eſt autem fides, ut definit Apoſtolus Paulus, ſubſtantia*(ſubſiſtentia fundamentum, baſis; aut ſaltem conditio ſine quâ non)*rerum, quas ſperamus; & index*(fortè & judex)*rerum, quas non videmus. Credere & videre quis non debet, quòd ea quæ DEVS promiſit, potens ſit ut promiſſa ſunt, facillimè prævenire. Hæc* (fides) *nobis inviſibilia ante oculos ponit, ut ad hanc ingreſſi, & diaboli, poteſtatum hujus mundi, & harum tenebrarum*(lenocinia) *univerſa deſeramus, & DEO cum fiduciâ proximemus*: ait epiſt. 5. Hieronymus. Et Auguſtinus ſuper Ioannem, qui credere debeamus exponit: *Noli intelligere ut credas*, ait, *ſed crede ut intelligas. Intellectus merces fidei eſt.*

423. Et idipſum nos docent animalia divinitùs recta, & miraculosè vocalia. Celeberrima eſt Aſinę illius hiſtoria, quę *Num.* 22. ſuum Dominum Prophetam Balaamum alloquuta non intellexit quæ dixit, ſed dixit, quæ intelligeret alius. Sic & ego, quia cùm in honore eram non intellexi, & gratiâ baptiſmali perditâ comparatus ſum jumentis inſipienti-

bus & ſimilis factus ſum illis, loquor myſteria fidei,quæ non intelligo; Dico DEVM trinum & unum quod non capio; Verbum eſſe filium unicum, filiationiſque proprietatem tertiæ perſonæ nego, negandi rationem vix invenio, & tamen conſtantem intellectum captivo, quia ſtat mihi pro ratione ipſa fides. Sic in plurimis aliis, & loquor & diſcurro.At eadem, quæ dico nec intelligo, intelligent alii;nimirum, cœlites univerſi gloriæ lumine & intellectu ſupernaturali intuitivo donati. Nolo ego intelligere ut credam, volo potiùs credere ut intelligam. & ſpero hæc eadem quæ credo nec intelligo, me olim in cęlo intellecturum, quoniam ſupernaturalis intellectus lumen, quo donandum me in empyreo confido, merces fidei eſt.

424. Non eſt Aſinâ intelligentior bos, & tamen legimus ruſticum à bove doctum. Erat ille ſuæ ſalutis negligens fidei articulorum incurius, ſymboli Apoſtolici neſcius; at lingua bovis angelico miniſterio mota incepit illi Apoſtolicum ſymbolum dicere & proponere; nec ceſſavit quouſque totum complevit, quaſi ægrè ferret illum imperitiorem bruto, velletque ſuo illum labio & exemplo docere.

425. Sed cur alia animalia propono; univerſa ſuperat, fide Canis, univerſa vincit fidelitate,unde fortè Bernardus ſymbolo Catuli præfiguratur, quod fideliſſimus Domino fuerit. In Canonizationis Bullâ dicitur, *quòd in univerſâ DEI Eccleſiâ Fidei & Doctrinæ lumine radiarit.* Et quidem meritò componitur doctrina cum fide;non enim hæc leviter à viro docto admiſſa, nec illa infans in homine fide pleno credi poteſt. Conſultò *plenum fide* melleum Bernardum dixero,quem in Epiſtolâ ad Clarçvallenſes Alexander III.ſic eſſe vocandum me docuit, ait enim,*illum Eccleſiæ DEI pro plenitudine devotionis & fidei exſtitiſſe, gratioſum*. Habemus igitur Mellifluum Præcurſorem,plenum fide, plenum fidelitate; ejus veſtigia accuratè premamus.

BERNARDI SPES.

426 FIdem ſequitur Spes,& eſt virtus affectuoſiſſima, quam *libr.* 1. *de Ponto. eleg.* 6. Ovidius Naſo luculenter deſcripſit. Sic ait,

Hæc Dea cū fugerent ſceleratas Numina terras,
In Diis inviſâ ſola remanſit Humo.
Hæc facit, ut vivat foſſor quoq; cōpede vinctus,
Liberaque à ferro crura futura putet.
Hæc facit, ut, videat cùm terras undiq; nullas
Naufragus, in mediis brachia jactet aquis.
Sæpè aliquem ſolers medicorum cura reliquit,
Nec ſpes huic vanâ deficiente cadit.
Carcere dicuntur clauſi ſperare ſalutem,
Atq; aliquis pendens in cruce vota facit.

Et quidem, ſi intelligatur bene, bene. Fides enim non eſt humana & naturalis prærogativa, ſed ſupernaturalis & divina, adeòq; poteſt *Dia*,& ſolet *Dea* vocari; quæ infidas & ſceleratas terras, animas videlicet terrenas & fide carentes fugitat, & in ſolâ illâ animâ, cui Deorum pluralitas inviſa, reſidet: in illâ,quæ unicum ſolummodò DEVM colit; quæ enim peccare auſa,tot idola & Deos ſubrigit,quot peccata committit. Homo, cui dictum, *In labore vultûs tui veſcêris pane tuo*, dum peregrinatur in mundo, agricola & ruſticus eſt: virtutes debet colere, & tamen concupiſcentiæ compedibus vincitur, & ſperat fore, ut aliquando etiam in terrâ pondera vinculorum diminuat, fore, ut in cœlo illis omninò careat. Ab ſpe habet in peccatorum Oceano naufragus, quod audeat, manus extollere in cœlum, & veniam à Domino implorare. Et ab eâdem moribundus virtute, ſi contingat confeſſario carere, nec poſſit ſacramenta recipere, habet ut poſſit æternam ſalutem ſperando, actum contritionis elicere. Virtus hæc eſt, quæ nec à corpore ſolutas animas & carceribus expiatoriis detentas deſerit, ſed potiùs inter medias carceris purgatorii flammas ſalutem & gloriam pollicetur;facitque ut vota & deſideria,quę libertate propriâ non poſſunt (quoniam purgantes animæ carent merendi libertate) crucis merito, ſanguinis pretio ab Eccleſiâ Romanâ per indulgentias applicato,& confirment & ſubſtruant.

Sed & hujus eminentiſſimæ virtutis habemus umbram aliquā in animalibus. Audiatur Aquinilus. Pſittacum,ait,ab Accipitre raptū, & unguium acie ſaucium,aut qui ſic olim fuerat doctus,aut quia ſuam volebat DEVS oſtentare potentiam, cœpiſſe inclamare & invocare D.Thomam & ſtatim (res rara!) cecidiſſe mortuum accipitrem, manſiſſe liberum volucrem Thomæ devotum.

427.Et

Digitized by Google

427. ❧ Et cùm hæc ego lego, ſpe ſuccendor, & oculos ſuſpiriaque immixtos ſpe, plena fiduciâ, in cœlum tollo, & ſic diſcurro. Ille ego volucer, hoſpes terrenæ & aëreæ regionis, qui caduca & vana ſectando ut pſittacus ſublimia loquor, quæ non intelligo, cùm maximè intelligere videor, ab Accipitre ſtygio interceptus, jam lacer, jam ſaucius, motu alieno conducor, & cedens concupiſcentiarum impetui periclitor. Te Thoma Apoſtole, Te Thoma Angelice, invoco, inclamo, imploro; DEVM audacter accedo, & confidenter adloquor; ſic inquam, Interceſſio nos quæſumus Domine, unîus, alteriuſque B. Thomæ commendet, ut quod noſtris meritis non valemus, eorum patrocinio aſſequamur. Et quia Bernardus meus utrique ſimilis, Apoſtolicus & Angelicus fuit, infirmitatem meam, & accipitris orcini potentiam DEVS benignè reſpice, & mala omnia, quæ juſtè mererer, D. Bernardi invocatione inclinatus averte.

BERNARDI CHARITAS.

428 Regina omnium virtutum Charitas, ſupernaturalium omnium vita; & ipſa unica, quæ coronatur; ſine quâ reliquæ non ſunt vivæ virtutes, ſed embryones informes, aut virtutum defunctarum cadavera. Embryones quidem, ſi extra gratiam; cadavera autem, ſi gratiam, quâ vivebant, perdiderint. Et ſanè eximia fuit Melliflui mei Bernardi Charitas, quam his elogiis celebrat Ciſtertienſis Eccleſia. *Domine*, ait in Miſsâ, *prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis* (quod ſi præventus, meritò *Sanctus ab utero* vocatur) *poſuiſti in capite ejus coronam de lapide pretioſo* (nimirùm, coronam juſtitiæ, quam repromiſit DEVS timentibus ſe,) *Vitam petiit* (videlicet, virtutum vitam, charitatem & gratiam) *& tribuiſti ei longitudinem dierum in ſæculum & in ſæculum ſæculi* (id eſt, charitatem inamiſſibilem, gloriæ firmatam lumine, vitam æternam) dediſti ut eſſet in hac vitâ, *charitate vulneratus*, amore ſaucius, cœleſtium dilectione compunctus; *caſtitate dealbatus*, obedientiâ protectus, paupertate munitus, & in altera *Verbo* primæ *Vitæ laureatus & ſublimatus in gloriâ* ſempiternâ. Porrò Charitatis, cui congratulamur in Bernardo, cui timemus in nobis, contritione & lachrymis amiſſa adquiritur, peccato perditur. Sed quid iſtud? Ignorantia Auguſtino, & delirium Platoni. *Omnem peccantem eſſe, ignorantem*, dixit ille; & iſte [libr. 2. de legib.] *Cùm diſceſſerit homo à charitate ſummi DEI, à ſeipſo diſcedere*; hoc eſt, eſſe extra ſe, nec ſui compotem, nec ſuarum operationum eſſe dominum, ſuo non uti arbitrio, ſed tyrannide alienâ gubernari. Igitur, ſi univerſi peccatores delirant, à brutis quî, amare DEVM debuerint & debeant, edoceantur.

EVCHARISTIA.

429 Vulgatiſſima occurrit hiſtoria, ſed fortiſſima. Nam cùm D. Antonius hæretici compeſcere pertinacium non poſſet, fuit uſus magiſterio beſtiæ, ſi fortè meliùs ab illâ doceretur delirus. Fame preſſæ avenam, hordeum, fœnumque, ordinis equini delicias, hæretica contumacia proponit, & Antonius Euchariſticum panem; at beſtia quæ ſuper omnia creata cibos, habuit DEVM ſupra cibos, docuitq; homines illum amare ſuper omnia. nam contemnendo avenam fœnumque, ad pedes Antonii proſtrata dux fuit Domino ſuo, & quî deberet venerari Euchariſtiam oſtendit.

Hæc audis homo, & aliquid præponis DEO? Sit tibi magiſterio iſta animans, doceariſq; omnia licet chariſſima contemni debere & relinqui, ne cultus divinus contemnatur.

430. ❧ Sed quia Euchariſtię cultum, quem omnes inſectantur Sectarii, propoſui; aliqua conſonantia ſubjungo, ut illum ardentiùs & devotiùs curemus.

Terra ſæpiſſimè concionata, inter elementa primo eſt mihi loco recenſenda, primo explicanda. Later, aſſerente ex Arnoldo Cæſario, *dialog. lib. 9. cap.* 14. pondere hoſtiæ conſecratæ ſigillatur, & ut ſolet ære cera formari, characteres hoſtiæ & linguâ tacitâ pronuntiavit magni eſſe ponderis ſacramentum, quod in lapide imprimere veſtigia potuit. Sed cur antiquiora proponimus? tertiò tremuit terra, ante quindecim annos, & terræmotus, quem Salmanticæ ſenſimus, & univerſalem audivimus, cauſam didicimus Matriti, quando igni ſunt mandati tres Iudæi, quos, dum Crucifixum igni mandabant, terra perterrita & tertiò con-

concuſſa commonuit, ne ſuum Redemptorem contemnerent.

431. Aqua etiam ſe reponit, & quia telluris ſocia, non vult aut tacere aut taceri, ubi terra celebrat Euchariſtiam. Quoſdam olim grandium miraculorum Cuſſores, ait Cæſarius (*libr.9.cap.12.*) Albienſem promoturos hæreſin, diabolicâ potentiâ ſuffultos, ſuper aquas deambulaſſe, nec merſos. Acceſſiſſe Sacerdotem Catholicum, dœmonem adjuraſſe, aquam hoſtiâ conſecratâ tetigiſſe, mareque, quod ut plumbum pſeudoapoſtolos illos ſuſtentabat, ad priſtinum fluorem reverſum, illos non ſecus ac plumbeos devoraſſe, & litus tenētes Euchariſticam poteſtatem monuiſſe.

432. Aër circumveniens terram conqueritur non dari locum tempuſque, ut & audiri poſſit, uberiùs ſua argumenta proponeret. Verùm notari vult ſacroſanctis ſpeciebus ſacerdotum negligentiâ, aut fortè petulantiâ, ex altari cadentibus, ſe non præbuiſſe in terram aditum, ſed illas impulſu felici promotas, ad locum eminentiorem promoviſſe. [*Ibid.cap.*15.]

433. Ignis etiam creatorem ſuum in hoſtiâ conſecratâ, dum integras Eccleſias abſumeret, tangere non fuit auſus. Multa & varia in ferè ſingulis civitatibus recenſentur miracula, in quibus reliquis omnibus rebus combuſtis illæſæ manſerunt hoſtię ſacramentales. Communiſſima & frequentiſſima materia eſt, & poteſt præter Cæſarii *libr.9.cap.16.* multorum etiam teſtimonio firmari; & quia mater eſt filii gloriæ particeps, recenſendum eſt illud miraculum, quod Samariæ apud Alderſpachium ſummâ devotione & annuâ peregrinatione colitur. Nam cùm totus ille pagus arſerit, & ignis ne uni quidem ſtramini pepercerit ventiq; ardentes faculas ſpargendo ignem communicarint, & omnes arbores deleverint, quæ Eccleſiolam ligneam D. Virgini ſacram ornabant; hanc inter flammas hodie ſervatam admiramur, & in lapideo, eoque magnifico templo, grandi cultu exornatam videmus; docemurque elementa ipſa tametſi inanima DEVM filium in Euchariſtiâ DEI Matrem in templis, & ſtatuis divinitùs juſſa venerari.

434. Porrò quantâ debeat Miſſa reverentiâ, quantâ animi & ſenſuum tranquillitate celebrari, præter elementa etiam Animalia nos docent. Muſca grandis & petulans dum Ciſtertienſi Religioſo, coram Epiſcopo Theoderico, celebranti moleſtæ diſtractionis eſt cauſa, divinitùs occiſa decidit. [Cæſar. *libr.9. cap.*10.] doctura puniendos omninò, qui ſacerdotibus ſunt impedimento, ne rem ſacram agant, nimirùm à DEO juſto judice qui ſententiam evulgat, cùm ne quidem animantibus parcit. Columbam tertiò ſacras ſpecies, abſtuliſſe è manibus, indignè celebrantis, eiq; jam tandem ad DEVM converſo reſtituiſſe, cum devotâ admiratione perlegimus [apud Cæſar. *libr.2.cap.*5.] maluiſſe boves pungi & verberibus excipi, quàm pyxidem ſacramentalem premere; apes Euchariſtico pani ex cerâ formaviſſe elegantem Eccleſiam, aliàque intercurrentiam [*libr.9.cap.*7.*&* 8.] quæ omnia ſunt nobis monitioni fortiſſimæ, ut toto corde & animo colamus eum, qui voluit ab ipſiſ-met beſtiis adorari virtualiter; non enim ipſæ ratione, aut intellectu præditæ, ſed ita in hujuſmodi prodigiis actæ, ut præditæ ratione videantur.

CONCLVSIO.

435 NOs igitur ne dedignemur irrationale magiſterium, nam & horologiis tametſi ratione non utentibus prudenter gubernamur, quod ſciamus magnâ illa ratione confici, & arte eximiâ gubernari. Non puduit Demoſthenem unam literam à Cane diſcere, nec Herophilum multas ab aliis animantibus; nos duas ab irrationabilibus ſubſtantiis ſummâ ratione & ſcientiâ gubernatis diſcamus, nimirùm, Α & Ω; *Principium ſine principio, Finem ſine fine*; cauſam rerum ultimam. Hanc nos etiam veritatem edoceat Agnus DEI, qui abſtulit peccata mundi. hanc nos Petrus filius columbæ, hanc omnes Petri Succeſſores. Hanc animantes illæ, quæ triumphalem DEI currum trahunt, viſæ olim ab Ezechiele, & reviſæ à Ioanne; nimirùm, Matthæus Angelus, Marcus Leo, Lucas Bos, Ioannes Aquila. qui ſuis ſcriptis exornarunt Eccleſiam & ſuis nos docuerunt virtutibus, compoſuerunt exemplis. Et ut tempora conjungam temporibus, & ad meum Mellifluum Bernardum revertar, hanc eandem ipſe veritatem nos doceat. Oremus ergo DEVM, ut ſicut docemur, & diſcamus; ut ita vivamus

in

Digitized by Google

in hoc ſœculo ne nobis olim ſit opprobrio fuiſſe negligentiores animantibus. Quòd ſi tandem fecerimus, & à ſingulis fuerimus aliquam eminentiam, prærogativam aut virtutem venati, aperietur via ut venemur & gloriam; quam tandem aliquando nobis conceſſerit omnipotens, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. DIXI.

436. ☞ *Multas & varias hiſtorias habuiſti, in hac Evangelicâ Oratione, mi Lector, omnes bonâ fide propoſitas, omnes non ſine acumine ad morum inſtructionem tranſlatas. Habui illas è diverſis, hiſque probatiſſimis Authoribus, inter quos primas defero Patri Ioanni Euſebio Nierembergio, cui puto injuriam factam, dum à Lupo de Vega componitur cum Ariſtotele. Lupus quidem in libro, qui* La Vega del Parnaſo, *inſcribitur, ſic ait.*

Pero a penas ceſó, quando dixeron
Quantos ſu voz oyeron,
Que Euſebio Nierembergio la dictaba,
O que el miſmo Ariſtoteles hablaba.

Et tamen me judice Nierembergius tantus non eſſet, ſi æqualis Ariſtoteli eſſet. Hodie in Europâ Ariſtotele doctiores plurimi, & æquales Nierembergio pauci. Sed Hominem diligo & veneror, lineam non addo. Videatur interim ejus Proluſio Hiſtoriæ Naturali præpoſita, & præcipuè ſub finem à §. XI. Citavi prætereà aliqua ex Ovidio; Baſilio; Hieronymo, Auguſtino, Benedicto, Bernardo; Iuſtiniano, Vlpiano, Trebonio, Cæſario, Manrique, Chriſtophoro d' Acoſta, Damaſcio, Aldrovando Pigafeta, Aquinilo, Carolo Cluſio, & aliis, quæ, ſi vacet, poteris recognoſcere.

437. ☞ PORRO *Melliflui Doctoris virtutes, quas enumero & celebro, nec characteriſticæ, nec notionales ſunt, ſed communes omnibus, aut ferè, incolis regionis Empyreæ, & cuilibet cæleſti Civi, ſummâ facilitate paucis mutatis applicabiles ſine acuminis aut conceptûs jacturâ. Modum inſinuo, ſingulæ Virtutes, poterunt actibus & hiſtoriâ illius Sancti, qui celebratur, confirmari; & ſi adhibeatur diligentia, tanta poteſt in ſingulis rerum copia inveniri, ut aut poſſit magnum librum ſcribere, aut concionari toto anno. Brevitatem ego ſectatus ſum, ſed tuo majori bono, ut faciliùs poſſis noſtrum penetrare conceptum, illumque uberiùs illuſtrare.*

PHILOSOPHIA HVMANA.

438 TERNIS Natura Animam [SERENISSIME REX] ornavit dotibus; quas qui auferat, Animam auferat; quas qui ponat, creaturam nobilem & eminentem ponat; quas qui meditetur, multa addiſcat, quæ moribus formandis proſint. Dotes illæ, de quibus loquor, ſunt *Memoria, Intellectus, Voluntas*; ſimplex ſubſtantia; ſed tamen ternæ rationales virtutes, quas non debeas realiter ab eſſentiâ diſtinguere cum D. Thomâ, nec ex naturâ rei cum Scoto, nec ratione cum Iunioribus; ſed expreſſione & mero nomine cum Divis Auguſtino & Bernardo, aſſerendo eamdem Animæ realitatem, prout cognoſcit nominari Intellectum, prout recogitat præterita, Memoriam; & prout diligit, Voluntatem. Oportet Virum prudentem, ſicut Oculis & Auribus, Manibus & Pedibus, ita etiam & carere virtualiter aliquando Intellectu, aliquando Memoriâ, aliquando Voluntate & Affectu; ſed quia hæc ipſa carentia genio humano vim infert, difficillimè ſuaderi ſolet. Illam breviter expoſiturus ſum, Te MI REX SERENISSIME, ſi meus Intellectus videatur eſſe obtuſus memoria acuta (ita ut ille ſit acuminum expers, & hęc notitiarum retinendarum incapax) interim faveto ſincerę voluntati. Suadere volo, ut mente careas, ut careas affectibus, ut careas rerum plurimarum memoriâ; quoniam diſſimulatio eſt quædam voluntaria ignorantia, libera oblivio, ſpontaneus deſpectus; & tamen regnare nequit, qui diſſimulare non poteſt.

ORA-

ORATIO XVIII.

De Subſtantia & Potentiis Animæ Rationalis.

NOn dantur in cælo orbes reales, & veri; non dantur in terrâ veræ injuriæ. 440. *memoriæ magnitudo & libertas.* 441. *Debemus obliviſci injuriarum; Græcorum.* 442. *Romanorum.* 443. *Chaldæorum & aliorum exemplo.* 443. 444. *Ob condonatas injurias celebrantur, Ninus, Amaſis.* 443. *Ptolemæus.* 444. 447. 450. *Epaminondas.* 445. *Philippus.* 446. *Darius. Ageſilaus.* 448. *Dromichetes.* 449. *Getarum Rex.* 448. *Helenus Caſſander, Demetrius.* 450. 451. *Iulius Cæſar.* 452. *Octavius Auguſtus.* 453. *Lycurgus.* 454. *Trajanus.* 455. *& multi alii.*

De memoriæ carentiâ morali damnabili. 456. *An liceat omnium injuriarum obliviſci?* 457. *De Intellectûs & Voluntatis carentiâ laudabili.* 458. *Obedientia animam potentiis ingenitis expoliat, & alienis inveſtit.* 459. *Reſignationis veræ ſpecimen.* 460. *An damnari poſſit, qui alii ſubditus? An aliquando debeat homo ſuam voluntatem ſequi?* 461. *De Memoriâ virtuali.* 462. *De Intellectu virtuali.* 463. *Intellectus duplex. Prudentia duplex.* 463. *De voluntate virtuali. De ignorantiâ vincibili.* 464.

439 COram Rege Hungaro loquuturus, à Te poſtulo verba [Virgo Optima, Mater Maxima, Patrona & Protectrix Hungariæ] oroque; ut quę dediſti Mundo Verbum incarnatum, mihi non neges verba plena ſpiritu. De vitâ tractaturus ſum, & Tu es Vita dulcis, dulcedo vivida, & ſpes certa, quâ tranquillitas humana fundatur. Gratiâ caremus, [Angelorum Regina, gratiâ plena] illam à DEO impetra, & nobis generosè concede.

De Amniſtiâ.

440 DVm de catholicâ injuriarum oblivíſcere Monaſterii diſſeritur, de privatâ in Monaſterio agamus; ſuadeamuſq; Amniſtiam, quà publicam, quà privatam, ſummè eſſe neceſſariam Hominibus, qui volunt vivere tranquillè & ſanctè. Dicunt Aſtrologi cœleſtium Planetarum orbes & circulos duci, pingi, ſupponi, ſed non dari, & ideò ſyſthemata vocari *Hypotheſes*, quarum eſſentia tota à ſuppoſitione dependet, quâ ſublatâ illam perire neceſſarium eſt. Et ego, cùm rem Politicam accuratiùs examino, reor injurias eſſe non realitates, ſed hypotheſes; pendere à ſuppoſitione eorum, qui volunt videri aggravati; & illas negatâ hypotheſi in rerum naturâ non eſſe. Concludo: Injurias vocatum iri fatuos & erraticos ignes, peregrinos planetas, nubes chymœricas, exhalationes fictas, Entia vel rationis vel lingue. Certum eſt enim mente concipi, variis nominibus ſignificari, & nihilominùs eſſe nihil aut ferè. Quod nihil eſt, ſciri non debere ſubſcribo; adeòque Amniſtiam, virtutem omninò neceſſariam commendo. Generoſos homines alloquor & ſic diſcurro.

441. Toto Humana voluntas cœlo diſſidet ab Appetitu materiali; iſte enim ad unum determinatus eſt: illa poteſt adnuere & renuere, velle & nolle. In hac bicorni indifferentiâ ſita eſt Humanæ Majeſtatis libertas, Divinitatis nobiliſſima ſimilitudo; nam cùm omnes creaturæ ſenſibiles, uni objecto ancillentur, ſola humana Voluntas poteſt velle & non velle. [An Intellectus Voluntate ignobilior? An non & ipſe liber eſt, & ſcire & neſcire, cognoſcere, & ignoſcere, ediſcere & dediſcere poteſt? Si hæc non poſſit, determinatus ad unum eſt, nec dignus, qui cùm ſervus ſit, liberam præcedat Voluntatem. Porrò hæc cùm peccato conſentit, libertate ſe privat, & peccato ancillatur; & Intellectus etiam ſervit, nî fuerit arbitrii libertate donatus. DEO ſervire regnare eſt, quoniam ſancti habent potentias liberas, & in hoc diſtinguuntur à peccatoribus, qui habent captivas, aut potiùs à captivis habentur. Injuriam Tibi Petrus intulit,

Digitized by Google

lit,eum amare non vis,& contumeliæ oblivi-ſci non potes; & oſtendis te iam eſſe Principis ſtygii mancipium, & libertate perditâ incurriſſe ſervitutem & liberam neceſſitatem. Ad mentem, redeas, incipias DEO ſervire, & illicò experieris utriuſque potentiæ libertatem;nam & amare poteris,quem perſequeris;& mandare oblivioni iniuriam,cuius nunc memoriâ vexaris. Laudentur à memoriæ magnitudine plurimi, ego condolebo laudatis; fortitudinis enim & pertinax reminiſcentia crux eſt rationalis creaturæ, in quâ præteritâ, etiam cùm abſunt,patitur. Meâ ſententiâ, laudanda omninò eſt non Memoriæ magnitudo, ſed libertas, quæ eſt quidam Divinitatis radius, nam & DEVS, tametſi nihil phyſicè neſcire poſſit, moraliter multa non noſcit, hoc eſt,ignoſcit.qui cùm parcit oranti,tametſi verè & realiter eum in ſe peccaviſſe cognoſcat, ita omnimodè habet, ac ſi hoc quod ignoſcit,non noſceret.

442.☛Sed quia Divina admiranda ab omnibus, nec à paucis imitanda dicuntur, dabo Homines, ſimiles nobis, mortales, fragiles, paſſibiles, qui ideò ab Hiſtoricis non poſſunt mandari oblivioni, quòd habuerint memoriam liberam, potuerintque cùm expediebat meminiſſe; & cùm expediebat oblivioni mandaſſe.

Occurrit primò Athenienſium lex publica, quâ decretum, alio in Barbaros modo, alio in Sympatriotas pugnandum: Videlicet contra illos etiam ultra victoriam,contra iſtos victoriâ tenus. Sed qui barbari? qui Sympatriotæ? Porrò iſti, qui in eodem ſolo nati (virtualiter naſcuntur etiam ſervi) qui non Barbari, & Barbari qui contumaces. Superbis DEVS reſiſtit, Humilibus verò dat gratiam: & quicumq;Homo prudens debet præ ſe ferre divinam imaginem,adeòq;parcere ſubiectis,& debellare ſuperbos. Oppugnare & vincere voluerunt homines; quòd ſi victi, nondum vellent pârêre,expungendos ab hominum cenſu iudicarunt; inhumana enim barbaries eſt nolle ignoſcere victori, ignoſcere victis parato. Pugnarunt & vicerunt conterminas nationes Athenienſes, fortiores humanitate,& urbanitate quàm gladio; hic enim corpora ſolet ſubigere,at clementia etiam ſubigit animos. Inter alios Græcos, æternus eſt Callicratidas, qui ſociis captivos vendendos arbitrantibus, dixit ſe imperante nullum Græcum vendendum. Liberos poſtridie dimiſit, & qui ferro interceperat corpora non animos, humanitate uſus dimiſit corpora & animos corporibus pretioſiores retinuit; manſerunt enim qui dimiſſi, ſtrictiùs devincti dimiſſori, quàm victori & poſſeſſori fuerant, cùm vinculis detinebantur.

443.☛Græcos imitati Romani, barbaros diſtinxerunt ab Amicis, quaſi barbarus omninò eſſet, qui Populi rerum Domini amicus non eſſet: nec ulli volenti ſubeſſe, aſſiſtentiam & favorem negarunt.

Si ad Chaldæorum & Ægyptiorum monumenta convertam oculos, reperiam voluntariæ oblivionis præclariſſima exempla; quoniam Ninus Barzanem Armeniæ Regem vicit, cepit; & malens amicum habere quàm mancipium, humiliato generoſus ignovit; vitâ & regno donavit, & auctum favore & muneribus in Armeniam dimiſit.

Timebat Apries, Amaſis Regis Ægyptiorùm præſentiam, & cùm putabat ſe reperturum hominem iniuriarum memorem, immemorem fuit veneratus, virum omninò clementiſſimum, qui voluit neſcire quo ille infortunio urbem illatus eſſet, iuſſitque non tanquam captivum, ſed tanquam hoſpitem & amicum tractari.

Syrorum etiam REX Adadus, qui triginta Reges contra Achabum Samaritanum Regem conſcripſerat, & adverſò marte pugnans victus & captus fuerat, cùm veniam peteret, meruit frater haberi, honorificentiſſimè appellari, in currum triumphalem ſufferri, reddi gloriæ particeps, incolumis ſuis fortunis reddi, imò & dimitti in patriam.

444.☛Hodie etiam Regem, Ptolemæum cognoſcimus, non tam propter multos Ægyptios, quibus ius pronuntiavit, quàm propter unum & ſolum Achæi Regis Parentem, quem in vinculis ſuperbum habuit, tamen humilem ſine lytro, aut pretio ſervitutis dimiſit.

Manaſſem Iudæorum Regem prælio captũ ubi cognovit Babyloniorũ REX, maluit urbanitate,quàm ferro devincire,urbe donavit,voluitq;ut regio cultu honoraretur à Chaldæis.

445☛Epaminondas à clementiâ notiſſimus, cùm intellexiſſet gregarium quempiam militem hominem captivum grandi pecuniâ di-

Digitized by Google

dimiſiſſe, *Redde mihi*, inquit, *ſcutum, tibi ipſe patri-que tuo cauponam eme*. Quaſi diceret, [Non ſunt ſcuta militaria ut ſcuta lucremur, & trapezitas cum hoſtibus victis agamus. Quibus indignis, vita dari non debet, nec dignis vendi: Negatur enim, cùm venditur, quæ gratis dari debebatur.]

446. ☙ Athamaniam ſubiugavit Philippus, at quibus ipſam armis? Primis velitationibus aliquot intercepit, humaniſſimè tractavit, liberaliſſimè dimiſit. Qui ex hoſtibus præcones virtutis, & clementiæ facti, ſuaſerunt Athamanibus ne ſe opponerent Regi, quem eſſent electuri, ſi ſaperent. Adeòque ille, qui armis non poterat, totam clementiâ provinciam ſubiugavit.

447. ☙ Laudamus etiam in Demade victo conſtantiam, in Philippo victore prudentiam; poſt Chæronenſe prælium triumphatori & elato, auſus eſt ille dicere, [An-non te pudet REX Therſiten agere, cùm Agamemnonem debeas.] Cui tacitus Philippus, multum dixit animum remittendo, ſe hominem cogitando, & univerſos Athenienſes ad Chæroneam captos dimittendo.

Vt prædeceſſores ſuos à liberalitate commendatos, Ptolemæus Philadelphus excederet, plus quam centum millia captivorum à ſe victa dimiſit; & ne contra ſuos milites, qui illa ceperant, ageret, ære illa ſuo redemit, & gratuitò dimiſit.

448. ☙ Multa in Darium geſſerat Alcibiades, & Phœnices interceptum Methocum Alcibiadis filium ad illum vinctum tranſmiſerunt. At Darius contra Phœnicum expectationem Methoco omnia timenti, nulla ſperanti, ſalutem conceſſit, libertatem reddidit, & honoribus eximiis, utpotè magni Militis filium, locupletavit.

Spartiates etiam Ageſilaus erga captivos humaniſſimus fuit, non permittebat vel viliſſimum improbè à ſuis tractari; ægrotis etiam medicinas; ne à feris devorarentur, qui caſtra ſequi non poſſent, qui illos defenderent, milites conſignabat.

Magnum Romanorum numerum bello captum Pyrrhus dimiſit liberum, & Romanus Populus, ne ab hoſte humanitate vinceretur, æqualem aut fortè maiorem hoſti reddidit. Quin & ipſum, Vrbem appropinquantem admonuerunt ut à veneno caveret, eum nobilem & generoſum hoſtem appellarunt, & vitâ digniſſimum cenſuerunt.

449. ☙ His adnumerare ſolent Dromichetem natione Scytham, & inter barbaros humaniſſimum Principem, qui plura ſubiugavit clementiâ, quàm prædeceſſores olim ſui, ferâ crudelitate.

Cùm Lyſimachum Regem prælio cepiſſet barbarus Getarũ REX, non ſuas illi divitias, ſed ſuam paupertatem & moderationẽ oſtendit; & tametſi ſummo illũ lithro reſtituere poſſet, & fortè tali pretio indigeret, gratis dimiſit, monuitq; ne in poſterum bellum gereret iis, à quibus victus multa poſſet timere, nihil à victis ſperare. In quo quidẽ Thrace barbaro, generoſam animi moderationẽ, paupertatẽ voluntariam; divitiarum contemptũ, erga hoſtem victũ liberalitatẽ cõtemplor; confundorq; cùm videã Europæos cultiſſimos olim homines eſſe hodie barbaros, & barbaros eſſe cultiſſimos.

450. ☙ Helenum Pyrrhi filium cum Epirotis in ſuam poteſtatem redactum, & gregarii militis inclementiâ ſpoliatum, & ſordidis veſtibus indutum, cultu & honore reſtituto Antigonus in Epirum remiſit.

Caſſander ad Salaminem navali prælio Athenienſes evicit, & quos hoſtes ceperat, amicos fidei pretio remiſit; & ab illis laudem & gloriam priùs, & demum regionem recepit.

Ptolemæus etiam & Demetrius inter ſe non propter prædam & ſpolia, ſed propter victoriæ meram dignitatem pugnarunt. Et ſibi mutuo captivos; naves, & interceptas divitias reddiderũt; indignum Viro magno credẽtes, fortunas ex alieno infortunio cumulare.

451. ☙ Erga plurimos benigna fuit eiuſdem Demetrii potentia; erga Cillem ſub Ptolemæo, exercituum Ducem; erga Leontichum & Menelaum Ptolemæi filium, fratrem; erga Piſidem Theſpium; erga innumeros alios. Sed quia ſæpe contingit Viros magnos & generoſos in puſillanimûm manus incidere Demetrius in Seleuci poteſtatem devenit, & qui tot victos Principes libertate donarat, ſemel adverſo marte pugnans & à Seleuco captus, in carcere, tametſi benigno, perpetuo tamen detentus interiit, & gentes omnes contra Seleuci crudelitatem excitavit.

452. ☙ Ad Cæſares Romanos venio, & ſummam in Iulio clementiam, cum ſummâ virtute coniunctam admiratus exiſtimo, eum bel-

Digitized by Google

bellâ geſſiſſe, ut haberet, quibus ignoſceret. Ptolemæum Alexandrinum Regem, quem non ignorabat contra ſe ſtatim arma ſumpturum, miſſum fecit gratuitò. Lucium Domitium (Imperatorem poſteà) à Senatu proſcriptum, & in ſuam poteſtatem redactum dimiſit, nec prohibuit ut iret ad Pompeium. Omnium tandem victor, in urbem regreſſus, omnibus, qui contra ſe arma tulerant, nimirùm generosè victis, generoſiùs ignovit.

453. ☞Succeſſit Iulio Octavius, non minor animo, nec inferior fortunâ. Citiùs Antonianis ſalutem conceſſit, quàm illi implorare ſint auſi. Iulium, Antonii filium non tantùm incolumitate, ſed & Sacerdotio, Præturâ, Conſulatu, Provinciis donavit, & matrimonio interpoſito in affinitatem recepit. Sed cur plura commemorem? Sufficiat unus & ſolus Cinna, ut prædicet Auguſti clementiam. Hic enim, cùm inimicus eſſet, interceptus, omnium votis cruci dandus, ſervatur, ut amicus eſſet: ſed & ipſe abuſus amicitiâ, & poſteà in caput Auguſti conſpirās, de conjuratione manifeſtè convictus, indignus qui viveret, ſecundo favore ſervatur, ſcilicet à dicente. *Olim, ô Cinna, tibi inimico & hoſti, nunc inſidiatori & parricidæ veniam tribuo. Renovemus igitur amicitiam, & inter nos certemus, utrùm meliore ego fide, bis ſalutem dederim, an tu acceperis.* Quo Cinna eximiæ benignitatis argumento confuſus, optimus & fideliſſimus ſuo ſervatori fuit; timens ne ſi contrarium faceret, & lapides in ſe converteret.

454. ☞Sub hæc tempora in aliquorum opinione, aut fortè multis annis antè, Lycurgus Lacedœmoniorum Princeps fuit, & à clementiâ celeber; illum enim, qui ſibi oculum eruerat, jam jam à populo perdendum, ſervans, ex malo cive, bonum reddidit. Parthis, barbaro & inhumano hominum generi, à quibus ſi vinceretur clementiam deſperare deberet, clementiſſimus fuit. Vorionem, Phraatis Regis filium, captivum habuit, tractavit ut filium, ſine lythro; imò auctum muneribus dimiſit in patriam. Herodem, qui fortiſſimis copiis Antonio contra Octavium auxiliatus fuerat intercepit; nec tamen ut hoſtem, ſed ut intimum amicum habuit. Et multis aliis teſtimoniis clementiæ, meruit à poſteris in exemplum proponi. [Sed hîc circa perſonas & tēpora, adhuc ſcrupulus me manet.]

455. ☞Et, ne nimius ſim in diverſis hiſtoriis recenſendis, Trajanus noſter agmen claudat, qui Decebalum, Dacorum Regem, quem in campo vicerat, in urbe extulit, & auctum, millenis favoribus regno reſtituit. Antiochum etiam Comagenæ Regem victum, captumque ſummo eſt honore proſequutus, & vectigalibus ampliſſimis donavit: ejuſque filios, qui ad Bologeſium Parthorum Regem fugerant, Romam accitos, liberaliſſimè etiam habuit.

456. ☞Ergo tot illuſtrium Heroum excellentiſſimis exemplis ambitioni ſupereſſe diſcamus, nec abuti fortunâ velimus, ſed fragilitatis noſtræ ſemper memores, quid erga nos vellemus fieri, inimico redacto in potentiam faciamus. Solet DEUS infauſtis temperare fœlicia; vel aliàs noſtræ illa prudentiæ committere, ut ſaltem meditatione temperemus.

Non id Alexandri Pater ignoraſſe videtur,
Qui ſub idem tempus nuncia cùm acciperet.
Enatæ prolis, parti-que ex hoſte triumphi,
O utinam quiquam triſte ſequatur ait.
Tu quoq; fac timeas; & quæ jucunda videntur,
O Lector, fieri mox mala poſſe puta.

Quod ſi hac injuriarum voluntariâ oblivione, animam tuam ornaveris, ſi inimicis ignoveris, dignus eris, qui nobiſcum poſſis DEUM adloqui, & dicere, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Nec eſt incuſanda impotentia; quoniam oblivio eſt libera, & qui voluit ignoſcere, etiā potuit.

De Memoriæ carentiâ morali damnabili.

SIcut injuriarum oblivio commendatur, ſic etiam & favorum condemnatur oblivio; oportet enim ſemper recogitare quos receperis, ne ab aliquo dicaris ingratus. Sed neq; omnium injuriarum laudabiliter oblivíſci poterimus, earum enim quę intulimus debet haberi clariſſima memoria, ut læſæ juſtitiæ ſatisfiat. Vnde colligo nos duplici eoque ſtrictiſſimo teneri titulo, DEI habere memoriam; nam & ab ipſo ſumma beneficia recepimus, & in ipſum grandes culpas commiſimus, è quibus illa gratias, & iſtæ pęnitentiam poſtulant.

457. ☞Sed neq; omnis injuriæ ſumus domini, nec poſſumus immemores eſſe: multæ enim ſunt DEO, ſunt Reipublicæ illatæ, quas ſi condonaremus, eſſemus improbi, &

Digitized by Google

ſupremæ Majeſtati infideles. Intra prudentiæ terminos ſe debet continere clementia,ut virtus ſit;quos ſi exceſſerit,vituperanda.Ipſa aut eſt amicitia,aut amicitiæ affinis,cũ tamen hujus affectibus non liceat progredi ultra aras. Non licet Iudici reo convicto ignoſcere, ſententiæ clementioris prætextu, nam cùm debeat juxta leges jus dicere, crimen incurreret; ſi criminoſum contra leges abſolveret. Non licet carcerum Prætori, vi detentos dimittere; nec Lictori ab indicto homicidio abſtinere; omnia enim tempus habent, & miniſtri hujuſcemodi non ſerviunt Reipublicæ ab arbitriis,ſed ſolùm ab exſequutionibus.

458. Occurrit multiplex Hiſtoria, quam non vacat in præſentiarum recenſere; nemo enim ignorat multos in ſacris literis, quòd contra DEI præceptum voluerint clementes haberi, fuiſſe punitos. Et nemo etiam neſcit in Hiſtoriâ plurimos plexos fuiſſe, quòd reis contra publicam legem aut pepercerint, aut fugere in alias regiones permiſerint. In quorum tamen actibus clementiam laudo, & inobedientiam condemno.

De Intellectûs & Voluntatis carentiâ laudabili.

MVlta exempla producere poſſem, quæ illuſtrarent intentum; quia Catholicis legibus obſtrictis Obediẽtiam propono,quam deſcribo: *Virtualem carentiam mentis & libertatis.* Quoniam, qui hoc obſtringitur voto, ita ſe habet ac ſi careret mente, quâ diſcurreret; ac ſi etiam voluntate,quâ decerneret; adeòq; debet alieno gubernari conſilio, regi etiam alienâ voluntate.

459. Porrò Obedientiam privare hominem mente propriâ, donare alienâ, *Sermone de Epiph.* inſinuavit Bernardus. *Si vis eſſe ſapiens,* ait, *eſto obediens. Sic enim ſcriptum eſt. Concupiſcis Sapientiam? ſerva mandata, Dominus dabit illam tibi.* Ac ſi diceret. [Hominum eſt opinari, conjectari, non ſapere, difficultates intuitivè cognoſcere, Angelicum & Divinum eſt.] Exue te igitur mente propriâ, ut doneris Angelica: ſpolia te naturali lumine, ut poſſis illuſtrari divino. Et ſiquidem obedire eſt non videre, ſed tantùm audire, eſto obediens, obedientibus enim ut poſſint veritatem mente alienâ cognoſcere, divinitùs conceſſum eſt. Fortè errare poterit in legum latione Superior;tu errare in legum obedientiâ nõ poteris, ni manifeſtus ſit alterius error, & in legem ſublimiorem impingat. [Sed & tunc ſapiens eris; ſi legi nobiliori obedias.]

460. Eamdem etiam Obedientiam privare hominem Voluntatis arbitrio expreſſit feliciſſimè & fortiſſimè Climacus, gradu IV. ubi ait, *Obedientia, eſt perfecta abnegatio propriæ Animæ, & proprii Corporis, mors Voluntaria, vita ſine ſolicitudine, navigatio ſine damno, ſepultura voluntatis, vita humilitatis, & quaſi ſiquis dormiendo iter faciat.* Idemque addit, *vivere in obedientiâ nihil aliud eſſe, quàm ſuum onus aliorum humeris imponere, natare, ſuper aliorum ulnas, & ſuſtentari in aquis, ne mergamur, ſed ſine periculo hoc grande pelagus hujus vitæ tranſeamus, & quidem breviſſimâ navigatione.* Subſcribit Bernardus ſuper Cantica; & *Bonus obediens,* ait, *dat ſuum velle & ſuum nolle.* Omni igitur diſcretione & arbitrio;omni ipſe voluntate & voluntate caret. Cur ergo? *Vt poſſit dicere, Paratum cor meum DEVS paratum cor meum. Paratum, quodcumque præceperis, facere: paratum ad nutum, & citiùs obedire. Paratum tibi vacare, proximis miniſtrare, me ipſum cuſtodire, & in cæleſtium contemplatione requieſcere.* Conſonat D.Gregorio, qui libr. 35. mor[...]ium, *Melior eſt,* ait, *obedientia, quàm victimæ;*& rationem manifeſtam adjungit, *Quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò propria voluntas mactatur.* Solenne igitur Obediẽtiæ votum,Eccleſiæ feſtivitas eſt, in quâ propriũ judicium & propria volũtas immolatur,ut deinceps qui obſtrictus manet, etiam cœcus, & voluntate carens ſit.

Hanc Obedientiæ cœcitatem optimè expoſuit S. Benedictus, in Regulæ cap. V. ubi ait, *Anguſta via eſt, quæ ducit ad vitam: ut non ſuo arbitrio viventes vel deſideriis ſuis, vel voluntatibus obedientes, ſed ambulantes alieno judicio & imperio, in cœnobiis degentes, Abbatem ſibi præeſſe deſiderant.* Vnde P.Stephanus Vitus in Diſputatione Theologicâ editâ Dilingæ ann. 1619. nu.56.ſic ait.[Cœca eſſe debet Obedientia, non ut videre negligat,Prælatum,qui præcipit, CHRISTI in imperando vices tenere: nam ut iſtud videat eſt ſincera obedientia,quàm maximè oculata & ſolicita.]ſed ut cœtera conſiderare,ſeu videre non curet.

An

Digitized by Google

An poſſit, qui alieno vivit judicio & imperio damnari? An aliquando homo debeat ſuum judicium & voluntatem propriam ſequi?

461 RESpondeo. proprium ingenium,& propriam voluntatem, ſequi in morum materiâ nunquam hominem poſſe, ſed debere alienę voluntati obedire.Sed quid, ſi mala præcipiantur? obediendum eſt; non quidem homini mala præcipienti, ſed DEO illa fieri vetanti. At tu, cùm negas obedientiam homini ſcelera præcipienti, non ſequeris proprium judicium, nec propriæ voluntatis affectum, ſed vi obedientiæ ductus homini obedire recuſas, ut obedias DEO, cujus debes voluntati ſubeſſe. Auguſtinus, cujus habentur verba,XI.quæſt.IV.*Non ſemper malum eſt*,ait, *non obedire precepto; cùm Dominus jubeat ea, qua ſunt contraria DEO, tunc ei obediendum non eſt*; non quòd propria ſit facienda voluntas,ſed quod divina ſit implenda. Et iterum(habetur XI.quæſt.III.)*Qui reſiſtit Poteſtati, DEI ordinationi reſiſtit. Sed quid, ſi illud jubetur, quod non debeat facere? Hic ſanè contemne Poteſtatem*, [vel potiùs nega poteſtatem; nemo enim Princeps aliunde habet poteſtatem quàm à DEO, qui nunquam hominibus conceſſit authoritatem præcipiendi, quæ fieri non poſſunt.] Vt rem illuſtret Auguſtinus,ſic progreditur.*Ipſos humanarum legum gradus adverte. Si aliquid juſſerit Curator,faciendum eſt:tamen ſi contrà Proconſul iubeat* (non bene) *non utique contemnis Poteſtatem* (hoc eſt, propriam tuam voluntatem Superioris voluntati non præponis) *ſed eligis Maiori ſervire. Nec hinc debet Minor iraſci, ſi Maior prælatus eſt.* [nam & Minor contra Maioris legem poteſtatem non habet, & cùm jubet ſine poteſtate,nõ habet ius ut obedientiam exigat.] *Rurſus, ſi ipſe Conſul aliquid iubeat, & aliud iubeat Imperator: vel ſi aliud iubeat Imperator & aliud DEVS, quid iudicas? Maior Poteſtas DEVS* [perquam Reges regnant, & Populorum Principes iuſta, non autem iniuſta decernunt] *Da veniam Imperator*, qui ubi contra DEVM præcipis, Imperator non es; non enim uti potes authoritate DEI, tibi cœlitùs communicatâ, contra divinam legem &c.

De Memoriâ virtuali.

462 NOn ſolùm poſſumus habere virtualem Memoriæ carentiam, ſed & virtualem poſſeſſionem; nimirùm,cùm rem omninò oblivioni mandavimus;at ita nos habemus, ac ſi actualiter recordaremur. Talis oblivio eſt, quæ eſt vincibilis, quæ voluntaria. Pono caſum. Recepiſti à Friderico centum aureos, ſciſq; te ſcribere omnes tuas rationes exactè. Ille argentum ſuum repetit, & tu aliis curis implicitus id ipſum oblivioni mandaſti. Potes ſanctè iurare te neſcire,quòd talem pecuniam receperis. Sed non poteris tutâ conſcientiâ illi poſtulatam negare, quoniam præter naturalem memoriam, ex quâ debitum illud excidit, habes & memoriam virtualem; nimirum, ipſum rationum librum, qui debet conſuli. Debent videri chirographa,quæ moralis memoriæ ſunt intentionales ſpecies,vi quarum, rei cuiuſcumq;etiam antiquæ recordamur. Quòd ſi debitas diligentias adhibere nolueris, cares voluntariò Memoriâ,nec poteris oblivione excuſari.

Hinc oritur graviſſima Quæſtio, An-ne in Republicâ, cùm agitur de æquitate aut iniquitate poſſeſſionis,teneatur REX, qui pacificè poſſidet, legere libros, & hiſtoriis veteribus credere? Cui ſatisfacit doctrinæ paritas.

De Intellectu virtuali.

463 AN ignorantia excuſat? Non omnes. Illa profectò excuſat,quæ involuntaria eſt, quæ vinci non poteſt: at libera & vincibilis,virtualiter notitia eſt;ita enim ſe habet, ac ſi notitia eſſet. undè qui legem violas, quam vincibiliter ignoras, violas legem virtualiter notam,& eodem omninò peccas modo aut ferè,quo violando legem,quam phyſicè noſſes, peccares.

Duos tibi Intellectus dedit Natura DEVS; intrinſecum, extrinſecum; naturalem, moralem: imò tametſi realem unicum, plurimos conceſſit virtuales,tot enim habes intellectus morales & extrinſecos,quot libros,quot amicos, quot conſiliarios, quot doctiores. Naſo duas in Homine prudentias cognoſcit, primam ſecundamque: Illam in conſilio, hanc in judicio: qui enim primam non habet, ſecundam habere non poteſt; qui inconſultò res

Digitized by Google

res agit, prudentis nomen non meretur. De Ponto libr.4.eleg.12.

Crede mihi miſeros Prudentia prima reliquit,
Et Senſus; cùm res, conſiliumque fugit.

Oportet igitur prudenter conſiliarium eligere,& prudenter ejuſdem decretis parêre. Eligit prudenter; qui meliorem. Ambroſius libr. de Officiis. *Quomodò potes judicare eum in conſilio ſuperiorem, quem vides moribus inferiorem? Supra me debet eſſe, cui me committere puto. An verò putabo idoneum, qui mihi det conſilium, qui non dat ſibi? & mihi eum vacare credam, qui non vacat ſibi?* Exſequitur prudenter, qui finem intentum proſpicit, & in mediorum diſpoſitione fortiter reſolutionem ſequitur. Ad Lucilium epiſt.28.de fine intento Seneca, *Errant conſilia noſtra, quia non habent quò dirigantur. -----Scire debet quid petat, qui ſagittam vult mittere. Et tunc dirigere ac moderari manu telum. Similiter ignorans, quem portum petat, nullus ventus eſt ſuus.* Et de exſequutione, libr.de benefic.3. *Sapiens non mutat conſilium, omnibus illis manentibus, quæ erant.* Apulejus de Socratis DEO, *Nulla res poteſt eſſe eadem feſtinata ſimul, & examinata.* Et grandiùs prudentiùſque omnibus Carolus V.Imperator (apud Sanſovin. de dictis & fact.Carol.) *Tarditas eſt anima conſilii, celeritas exſecutionis; utrumq; ſimul ſumptum quinta eſſentia laudabilis Principis.* Mortiferum igitur eſt conſilium præceps, & tarda exſecutio mortalis.

De Voluntate Virtuali.

464 PEriculum ab ipsâmet experientiâ cognoſcitur, & in proximo exiſtimo virtualem voluntatem conſiſtere. Pono exemplum. Adis Amaryllidis domum, in quâ mirabiliter ſæpè peccaſti: An-non iterum peccaturus? Non, inquis, ſed meræ urbanitatis gratiâ, ne videar inurbanus. Et ego tibi. Aut proximum periculum vides, aut non vides: ſi vides, cùm realiter peccare non vis, virtualiter vis, adeòque quoad DEVM ita te habes, ac ſi realiter velles. Si non videas periculum, quia tamen experientiâ doctus illud noſcere debes, virtualibus illud oculis percipis, ita enim quoad DEVM te habes, ac ſi illud realibus clarè conſpiceres: non enim tibi erit excuſationi voluntaria cœcitas, nec vocalis diſſenſus, ſi periculum, quod vincibiliter ignoras, virtualiter ſcias; & peccatum, quod linguâ reſpuis, voluntate, virtuali ſaltem, ampleĉtaris. Sume à brutis prudentiæ cautioris exempla; quoniam [Ovidius triſt.libr.1.eleg. 1. * de Ponto libr.2.elegiâ 7.]

Terretur nimio pennæ ſtridore columba,
Vnguibus Accipiter ſaucia ſecta tuis.
Non procul à ſtabulis audet diſcedere ſiqua
Excuſſa eſt avidi dentibus Agna lupi.
Vitaret cœlum Phaëton ſi viveret, & quos
Optavit ſtultè, tangere nollet equos.
* *Qui ſemel eſt læſus fallaci piſcis ab hamo,*
Omnibus unca cibis æra ſubeſſe putat.
Sæpè canem viſum longè fugit Agna, lupumque
Credit & ipſa ſuam neſcia vitat opem.

Et ſi Amaryllis ſit accipiter; ſemel ab eius liber ungue, vel minimum pennæ aut etiam flabelli ſtridorem aut pelliciſimum time; ne ſi pennas inconſultò non timeas, luas pœnas. Si lupus fuerit illa, tu agnus; ita figuram lupi horreas, ut & canes lupo ſimiles timeas; ita terrearis deceptricis ſpecie, ut alias etiam fœminas, etiam caſtas & pias, quòd ipſi aſſimiles ſint, pertimiſcas. Si hamus ipſa; ſis piſcis læſus; & ſub humanitatis & urbanitatis prętextu æra adunca latere judica. Quod ſi ipſa cœlum ſit, & ſi velis, ipſiuſmet Solis lampas, perfectionum ſplendoribus prædita; ſis periculum expertus Phaëthon, & ubi ſemel mortiferè lapſus arſiſti, nolis ſecundò miſerabiliter periclitari.

465. At iniquies non jam ego Amaryllida, ſed ipſa me propter negotia & cauſas imminentes inviſit, nec debeo illam expoliari permittere, quam amavi. At Ovidius ſic inſtit. [Artis libr.2.]

Cùm mora non tuta eſt; totis incumbere remis
Vtile; & aſſiduè ſubdere calcar equo.

Vult enim vinci, qui in arenâ hęret, in quâ ſcit ſe non vinci non poſſe. [*Notavi multa pericula remota, aliquando æquivalere proximo. plura nõ addo.*] Pono calamũ, oroq; DEVM, ut ſicut nobis pericula noſſe & poſſe vitare conceſſit, ſic etiã vitandi & fugiẽdi gratiã cõcedat efficacẽ.

PHiloſophia humana duplex; altera, quæ Animæ ſubſtantiam & potentias conſiderat; altera, quæ operationes. Vtraque RATIONALIS vocatur. De vulgato vocabulo prior illa dicitur ANIMASTICA, poſterior LOGICA. Hanc aliqui

Digitized by Google

qui primam eſſe volunt, nam exiſtimant brutas animantes dici alogas, ut ſciant homines alogici, ſe multum non diſtare à brutis, nec priùs poſſe literis Philoſophicis imbui, quàm Dialecticam calleant. Hanc eamdem alii volunt ultimam eſſe, nec intelligi poſſe priùs quàm intelligatur Anima. Nolo ego in quæſtione difficili eſſe judex ſed potiùs utriſque ſatisfacere; & ideò tametſi aliquas Orationes de Rationali Philoſophiâ num. 161. 212. & 222. præſcripſerim, hanc uberiorem addo, in quâ jam doctior Operationes Intellectûs illuſtro.

ORATIO XIX.

De Philoſophia Rationali.

Habita fuit in Cæſareo mei Montiſſerratenſis Monaſterii Capitulo, die S. Ioannis Evangeliſtæ, anno M. DC. XLVII. coram Studioſis Dialecticæ.

IOannis Evangeliſtæ laus. 467. *Regula Monaſtica eſt ſpeculum ænigmaque*. 466. *Prudentia*. 470. *Petrus omnium Caput*. 471. *Malum ſub ſpecie boni*. 472. *Medicinarum uſus & abuſus. Terminus creaturæ rationalis, gloria Vita duplex, Fides generica*. 473. *IESVS & MARIA, alta nomina*. 474. *quibus auditis & Angelus & Dæmon genuflectit; ſed diverſo timore. Idem nomen & præmium & ſupplicium eſt*. 475. *Summum DEI ſilentium*. 476. *Vnanimitas; Vnitas. Subordinatio inæqualitatem requirit*. 477. *Pauperum & divitium, Sanctorum & peccatorum differentia*. 478. *Paupertas*. 479. *Divitiæ ſunt extra Sanctitatis conceptum*. 480. *De Oratione mentali & vocali*. 481. *De elogiis & literis*. 482. *Miſſa præponi debet menſæ, comeſſationi oratio*. 483. *Quid ſit verus Monachus?* 484. *Morum converſio*. 485. *Rigor & ſingularitas; virtus, vitium*. 486. 487. *Mors*. 488. 489. *Peccatum & Meritum expoſita*. 490. 491. *Gyrovagus*. 493. *De homine irrationali*. 496. *Oppoſitio peccati & DEI*. 497. *Libertati ſunt, valde pernitioſi*. 498. *Orandum pro inimicis*. 498. 499. *De generatione æternâ & temporaneâ*. 500. *Lapſus Hæreticorum*. 501. *CHRISTI ſanguis & hominis cooperatio, inferunt gratiam gloriamque*. 502. 503. *Cooperatio probatur*. 504. *CHRISTVS, duplex ius in cælos habuit; alterum retinuit, & alterum hominibus ceſſit*. 506. *Si per impoſſibile Catholicus deciperetur, ob fidem condemnari non poſſet*. 506.

LOGICA. *Quid ſit? unde dicta?* 467. 468. *eius obiectum ſunt operationes Intellectûs, ut dirigibiles*. 469. *Etiam in apprehenſione errare poteſt*. 470. *Quid ſit terminus*. 489. *quotuplex*. 473. *De Subiecto & Prædicato. De Nomine & Verbo*. 474. 476. *De Vniverſalibus & prædicabilibus*. 477. *De Genere & Specie. Differentiâ*. 478. *Proprio*. 479. *& Accidente*. 480. *De Oratione mentali, vocali, & ſcriptâ*. 481. *De Definitione*. 484. *De Converſione*. 485. *De Reſtrictione & ampliatione*. 486. *De Diviſione*. 488. *De Propoſitionum quidditate*. 489. 490. *aliæ Affirmantes, aliæ Negantes, & aliæ Infinitæ vocantur. Negatio alia negans, & alia infinitans*. 491. *De Propoſitionum quantitate*. 492. *Vniverſali*. 493. *Particulari, Indefinitâ, Singulari*. 487. 494. *De Individuo vago*. 493. *De Propoſitionum qualitate, hoc eſt, Veritate & Falſitate*. 495. *De Oppoſitione*. 496. *Contrariâ, Contradictoriâ, Subcontrariâ*. 497. *De Modalibus*. 500. *& Aſinorum ponte*. 501. *Syllogiſmo*. 498. 502. *De præmiſſis, Maiore & Minore: de Conſequentiâ. De formâ & figurâ*. 503. 504. *De Reductione oſtenſivâ*. 505. *De Reductione ad impoſſibile*. 507.

Multa

Digitized by Google

466 MVlta olim de Dialecticâ dixi, & nũc iterum iterumque de Dialecticâ tractaturus ſum; quia religioſos Adoleſcentes, alloquor, navantes operam Dialecticæ omnium Artium & Scientiarum Reginæ. Hanc Facultatem deteſtantur Hæretici quâ admiſsâ hæreſis admitti non poteſt. Veteres qui doctiſſimi, etiam fuerunt eminentes Dialectici; & ut ſubiugarent adverſarios arma habuerunt à Theologia & à Fide, ingenium & induſtriam à Logica. Aſſerunt Divinum Auguſtinum tantum fuiſſe Dialecticum, ut in proverbium abierit, *A Logicâ Auguſtini libera nos Domine.* ipſe enim dum eſſet Manichæus, tenaciſſimus fuit avitarum traditionum defenſor, & ad fidem orthodoxam converſus tanto fervore & gratiâ plenus, ut Manichæos, Donatiſtas, Pelagianos, & alios multos hæreticos confuderit, nec fuerit vel unus è diſputantibus contra illum, qui potuerit reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui qui loquebatur. Devm omnes quærimur. *Illum*, ait Paulus 1. Corinth. 13. d. *videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Sed in quo ſpeculo? in quo ænigmate? In morum Regulâ, quam unuſquiſque profitetur. Suis Religioſis Auguſtinus ſub fin. Reg. *Vt autem in hoc libello tanquam in ſpeculo poſſitis inſpicere, ne per oblivionem aliquid negligatis, ſemel in ſeptimanâ vobis legatur.* Ergo ſobriæ converſationis Inſtitutio Speculum eſt, in quo intuemur voluntatem divinam, quam ſubſequi debet humana; ſed in ęnigmate. Audis, hæres. Spiritum Dei, eſſe & ſcientiæ aſſeris; ænigmata eſſe tenebris plena ſupponis; & quî ſervire Deo poſſimus in ænigmate, inquiris. Et ex Ariſtotele Poët. 21. Reſpondeo, ænigma eſſe quod ex repugnantibus conſtare videtur, & tamen ex conſentaneis conſtat. Talis eſt converſatio monaſtica, ieiunia enim mortificationes pœnitentiæ, quæ videntur abbreviare ſaltem, conducunt ad vitam æternam: iuſti enim cum videntur oculis inſipientium mori, vitâ æternâ donãtur. Tractabo igitur de ænigmate monaſtico, hoc eſt, de mortificatione regulari, quâ cùm infirmatur, fortior fit & potentior, & ſingula ad Regularis vitæ Speculum, hoc eſt, ad Religioſę vitę Regulam accuratè elimabo.

Gratiâ indigeo. Ad genua gratiâ plenæ, devotione ſubmiſſiſſimâ dico, Ave Maria.

THEMA.

In principio erat Verbum, & Verbum erat apud DEVM, & DEVS erat Verbum. Ioann. 1. 1. *Videamus hoc Verbum quod factum eſt.* Luc. 3. 15. *Non poterat reſiſtere Sapientiæ & Spiritui; qui loquebatur.* Act. 6. *Exiit* (verbum) *ſermo inter fratres, Quòd diſcipulus ille non moritur.* Ioann. 21.

467 TAcebo, an eloquar? Vt multa dicam, exigit repetita ſolẽnitas; ut multa taceã, cogit argumenti maieſtas; videntur enim Chriſtianæ Religioni myſteria digniùs ſilentio, quàm multiloquio celebrari. Divino die Christi Nativitati ſacro Magnus Papa Gregorius Populum orthodoxum affatur. *Quia largiente Domino*, ait, *Miſſarum ſolennia ter hodie celebraturi ſumus, loqui diu de Evangelicâ lectione non poſſumus; ſed nos aliquid vel breviter dicere, Redemptoris noſtri Nativitas ipſa compellit.* Ego eodem die penuriâ temporis & conceptuum laborans, obmutui; ſilui à bonis: & hodie dolor meus renovatus eſt. Exonerarunt nudiuſtertiùs inundationes gratiæ; exſpectanda alia fuit dicendi occaſio, nam canentibus Angelis, tacendum Hominibus fuit. Heri etiam fuit procelloſa tempeſtas, aperti ſunt cœli; terra clauſa; illi aqua ſalutaris monitionis pluebant, iſta in cœlum denſum explodens imbrem lapidum, viſa eſt indigna, quæ vocem divinam exciperit. Sequuta eſt tranquillitas magna: & in ipsâ hodie Ioannem colimus, Regi Christo ab hiſtoriis, cœlo ab apocalypſibus, terræ ab inſtitutionibus, Virum Deo ſimillimum, Diſcipu-

pu-

Digitized by Google

pulum, quem diligebat IESVS, de quo tam multa occurrunt, ut inopem me copia faciat. Quid dicam? Choro Ciſtertienſi ſonabo, & ex hymno, pauca verba reſumens, ſic inquam.

Omnia per ipſum facta ſunt,
Sed laude ipſe ſe ſonet:
Ergo laureatus ſpiritu
Scriptis coronetur ſuis.

Dialecticum ago, & omnis ſyllogiſmus me juvat. Ioannes interpretatur *Gratia, Charitas.* Et DEVS Charitas eſt, & qui manet in Charitate, in DEO manet, & DEVS in eo. Omnia per gratiam facta ſunt; Naturalia enim omnia Supernaturalium gratiâ ſunt condita; & Supernaturalia omnia gratuita ſunt. Ioannes igitur re & nomine gratiâ divinâ præditus, dignè à peccatoribus laudari non poteſt. Ergo ipſe ſe commendet, & laudet. Ergo ſit ipſi laudi ſua vita, ſua puritas, ſua conſtantia; ſint illi gloriæ ſua ſcripta, ob quæ habet ſpecialem cultum in terris, & in cœlis ſpecialem coronam. Audiendus igitur Ioannes eſt; ſed quid dicit? *In principio erat* ΛΟΓΟΣ, *&* ΛΟΓΟΣ *erat apud Deum, & Deus erat* ΛΟΓΟΣ. Et quidem inſtituimur. LOGICA enim dicitur ΑΠΟ ΤΟΥ ΛΟΓΟΥ: &, ſi ΛΟΓΟΣ eſt *DEVS*, noſtra Logica erit Scientia de DEO. Multa, Studioſi Iuvenes, de obiecto Logicæ audiveritis; habetis eruditos & diligentes Præceptores, qui nihil neceſſarium omiſerint. Scitis multas, eaſque oppoſitas eſſe Authorum ſententias; alii enim dicunt obiici Scientiæ diſputatrici mera nomina; Entia rationis alii; alii mentis operationes; & Ego altiùs omnibus noſtræ Logicæ obiectum eſſe Λόγον, Verbum Divinum, quod à Patre, ante omne tempus gignitur, à matre nudiuſtertiùs fuit natum. Qui hoc meditatur, intelligit, diligit optimus Dialecticus eſt. Si hanc neſcitis Dialecticam, hoc unicum ſcire poteritis, quòd nihil ſcitis; & ſi hanc ſcitis, ſcitis DEVM qui eſt omnia; & qui omnia ſcit, nihil ignorat. Volo interim meæ devotioni & veſtræ inſtructioni ſatisfacere, & horæ ſpatio Logicam univerſam percurrere.

Quid ſit Logica?

468 LOgica eſt facultas mentis, operationes dirigens. Sic olim à Platone & aliis, ſic hodie ab omnibus aut ferè exponitur. Sed quo dirigit modo? Illas ad ideam perfectiſſimæ operationis elimando. Vt Rerum-publicarum errores eradicaret Plato, Athlanticam Regionem finxit, illamque in exemplar propoſuit. Et Cicero reformaturus Oratores, ideam optimi expreſſit, ad quam omnem formaret. Et hodie, ut veſtræ mentis ego operationes dirigam, veſtros conceptus formem, veſtra verba dedolem, in exemplar propono Verbum DEI, Actum mentis divinæ, in cuius imitatione conſiſtit totius noſtræ Logicæ puritas. Vt igitur optimi Dialectici ſimus, optimi Λόγικοις, CHRISTVM; optimum Λόγον, cogitemus; CHRISTVM amemus; CHRISTO imò CHRISTVM loquamur: ita mentis conceptus & voluntatis pondera dirigamus, ut omnis noſtra actio & operatio; eò ſemper incipiat, & in eo cœpta finiatur.

De Mentis operationibus.

469 TRes sũt Mẽtis operationes, in quibus homo errat, & eguit directore & rectore. Apprehenſio, Iudicium, & Diſcurſum. An ideò homo ad imaginem & ſimilitudinem DEI trini, quod ternas operationes habeat? Reſpondeo multas eſſe in homine clariſſimas Trinitatis ineffabilis umbras, illamque eminentiſſimè in mentis operationibus lucere: nam Apprehenſio eſt primum initium intellectualium actuum, Iudicium Apprehenſionẽ ſupponit, & Diſcurſus ab utroq; reſultat. Et in divinis primum principium Pater eſt, ab illo oritur Filius, & Spiritus ab utroque procedit.

De Apprehenſione.

470 SImplex dicitur, non quòd omnem compoſitionem reſpuat, ſed quòd nullâ indigeat. Hanc olim partem Logicę docebat Diſcipulos ſuos CHRISTVS dicens: *Eſtote prudentes, ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Summè enim eſt neceſſaria Prudentia ſimplex & Simplicitas prudens.

Sed hæreo. Cur debet Apprehenſio dirigi, ſi ſimplex eſt? Poteſt-ne ſubeſſe aliquis error in notitiâ ſimplicium? Poteſt, Et ſolet: quod ſic ſuadeo.

471. *Deſcendit de cælis DEVS verus*

[verba ſunt quarti Reſponſorii] *à Patre genitus, introivit in uterum Virginis nobis ut appareret viſibilis indutus carne humanâ Protoparente edıtâ.* Et tamen multorum oculi decepti ſunt. Miras & varias hominum de ſe apprehenſiones obſervat CHRISTVS & Matthęi 16. 13. Diſcipulis ſuis ait, *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* Reſpondent, [Domine mirabiliter ſinguli hallucinantur. Concipiunt te ſub alteriùs ſpecie. Magni committuntur apprehenſionum errores: alii enim te dicunt Ioannem Baptiſtam eſſe, alii autem Eliam, non pauci Ieremiam, reliqui hunc vel illum Prophetam.] Addit IESVS, *Vos autem quem me eſſe dicitis?* Tunc Petrus, quia caput omnium, omnium nomine, [Si careremus verâ Logicâ, ait, etiam te, ſicut reliqui ſub ſpecie alius apprehenderemus; diceremus Te eſſe aliquem veterem Prophetam, ad nos reducem, ut ſimplicitas imprudens exiſtimat; aut fortè te eſſe filium Ioſeph, nec exiviſſe per clauſam portam, nec eſſe DEVM-Hominem, nec Redemptorem Mundi, ut duplex & ſubdola prudentia multorum infidelium delirat. At præceptis ſalutaribus moniti & divinâ inſtitutione formati audemus dicere, *Te eſſe CHRISTVM filium DEI vivi.*]

472. ¶Et nos, ſiquidem in apprehenſione errare, & in intellectione frequenter oberrare poſſumus, oremus DEVM ut nos donet hac orthodoxâ Logicâ, quâ apprehenſiones gubernare poſſimus. Illâ caruit olim Robertus Mellei Bernardi nepos; qui apprehendebat malum ſub ſpecie boni, & bonum ſub ſpecie mali. Iejunium crudelitatem appellabat, ſilentium inhumanitatem, mortificationem indiſcretionem, clauſuram puſillanimitatem, paupertatem miſeriam, & contrà gulam benignitatem, garrulitatem civilitatem, luxum diſcretionem, & libertatem generoſitatem. Condolet ſic decepto Iuveni melleus Bernardus, aſſumit Philoſophi officium, & diſcipulo ſimplici Dialecticam Regularem inſtillat miraculoſâ illâ epiſtolâ, quæ primo loco ponitur, & inter pluvias ſine pluviâ ſcripta, juvenem cunctantem convertit, & nudam veritatem edocuit. Ideò multi hodie ſeveram diſciplinam formidant, quia quam deberent, non modò ut utilem, ſed ut neceſſariam apprehendere, ſub ſpecie alienâ concipiunt, & pernicioſam corpori, animo inutilem imprudenter delirant. Da vel unum, qui in conviviis vitam produxerit ad multos annos; & centenos reponam, Paulos, Antonios, Hylariones, pane & aquâ contentos, qui diutiſſimè ſupervixêre. Fallitur igitur, qui luxum bonum corpori dicit; fallitur, qui affirmat eum eſſe bonũ Animo. S. Auguſtinus in Reg. *Etiam ſi nolit* (Religioſus) *jubente Præpoſito faciat quod faciendum eſt pro ſalute. Si autem voluit & fortè non expedit* (ſæpe enim malum apprehenditur ſub ſpecie boni, & pernicioſum ſub ſpecie proficui) *ſua cupiditati non obediatur. Aliquando etiam ſi noceat, prodeſſe creditur quod delectat. Denique, ſi latens eſt dolor in corpore famulo DEI dicenti quid ſibi doleat, ſine dubitatione credatur. Sed tamen, utrùm ſanando illi dolori, quod delectat, expediat; ſi non eſt certum, Medicus conſolatur.* Ecce quantâ Auguſtinus arte Religioſorum apprehenſiones frequenter eſſe erroneas ſupponens, ita corporis morbis ſuccurrit, ut non omittat mentis etiam ſimplices operationes recurare.

Terminus duplex, Vita duplex.

473 TErmini univerſaliùs ſumpti eſſentiam paulò inferiùs [num. 489.] exponam, nunc ſpeculor. Et quidem illa, quæ Terminus *à quo* & *ad quem* diſtinguit, notiſſima diviſio eſt; ſed videtur potiùs eſſe phyſica, quàm dialectica. Et quia vita hominum duplex (terrena, empyrea) illam noſtræ peregrinationis terminum *à quo* eſſe aſſeram, hanc verò terminum *ad quem*. fruſtra enim in hac valle lachrymarum vivitur, niſi omnis noſtra actio & operatio in vitam æternam collineet.

Logicè terminus in Subjectum & Prædicatum ſubdividitur, & iterum hunc caducum vitæ terrenæ ſtatum, *Subjectum* dico; & vitæ alius ſtatum appello *Liberum*, ſeu *Non-ſubjectum*, ideòque ab omni creaturâ prædicatum. Sublunaris hæc regio alterationibus ſubjecta eſt, & cœleſtis ætheris prædicatur nobilitas, quòd peregrinis impreſſionibus non ſit ſubjecta. Hæc temporanea vita, caduca eſt, ſubjecta morbis, mortique; ęterna altera, à morte libera, infirmitati non ſubjecta. Prior illa, ne Chaos dicam, elementaris eſt, & pugnæ quotidianæ differentium principiorum obnoxia; hæc eſt cœleſtis motuum externorum

&

Digitized by Google

& impreſſionum peregrinarum incapax. Pulchrè utramque depinxit & diſtinxit Auguſtinus, tractat. 124. in Ioann. poſt medium, ubi ait. *D. as vitas ſibi divinitùs prædicatas & cõmendatas novit Eccleſia*. [notanda eſt dictionum energia. Vtraque ſubiecta non eſt, non enim utraque ſubiicitur procelloſæ concupiſcentiæ tempeſtati: nam in cœlo ſumma eſt affectuum & inclinationum ſerenitas. Et tamen utraq; dicitur *Prædicata*, non enim Empyrea prædicatur ſolummodo, terrena etiam, ſi pia ſit, & ad cœleſtem dirigatur.] ut igitur utramque S. Doctor congruis coloribus depingat, ſubiicit. *Eſt una in fide, altera in ſpecie*; [Ecce Sanctus Doctor Fidem Speciei contraponens, docet non ſemper Fidem poſtulari ſpecificam, ſed ſaltem requiri genericam, ruſticus enim verbi gratiâ, qui non tenetur omnia in ſpecie ſcire, debet omnia credere in genere.] Subjungit; *Vna eſt in tempore peregrinationis, altera in æternitate manſionis; una in labore, altera in requie, una in viâ, altera in patriâ; una in opere actionis, altèra in mercede contemplationis. una declinat à malo, & facit bonum, altera nullum habet à quo declinet malum, & magnum habet, quo fruatur bonum. una cum hoſte pugnat, altera ſine hoſte regnat. una ſubvenit indigenti, altera ibi eſt, ubi nullum invenit indigentem. una aliena peccata, ut ſua ignoſcantur, ignoſcit, altera, nec patitur quod ignoſcat, nec facit quod ſibi petat ignoſci. una flagellatur malis, ne extollatur in bonis; altera tuta plenitudine gratiæ, caret omni malo, ut ſine ullâ tentatione ſuperbiæ cohæreat omni bono.*

De Nomine.

474 SCholaſtica Logica per tot Nominum myriades luxuriat, ut illa debuerit ad categoremata dividere, & diſtribuere in claſſes; at noſtra Logica, uno aut altero tantùm contenta, ditior eſt. IESVS MARIA, duo ſunt Nomina, ſed omnibus digniora nominibus, quæ vel in Prędicabilibus Porphyrius, aut in Prædicamentis Architas Tarentinus, Pythagoras Samius, Ariſtoteles Stagirita, & alii Philoſophi conſarcinant. In nomine IESV omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum; CHRISTVS enim factus eſt obediens Patri uſque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod DEVS exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen. Vnde Hipponenſis Præſul, *Hæc*, ait, *in nomine CHRISTI fideliter obſervantes, &c.* ut oſtendat non eſſe aliud nomen ſub Sole, in quo vel pietas poſſit proficere; vel de perſeverantiâ gaudere. Dulciſſimo IESV nomini MARIAM adde; cohærent bene ſtemmata Matris & Filii; ita ſunt utriuſque voluntates connexæ, ut fructuosè ſeparari non queant. Nemo mente, linguâ, ſtylo, aut pennicillo audeto MARIAM à mundi Redemptore dividere, ni audire velit,

Dic cur me tentas ſine Gnato pingere? Pingi
Me ſine me potiùs, quàm ſine prole, feram.

De MARIAE nomine plura alibi; illud nunc devotè protuliſſe ſufficiat.

Summè eſt ſapiens, qui CHRISTI nomen ſcit; & ſummo præmio coronatur, qui hujus nominis donatur notitiâ. Sed quod eſt iſtud nomen? Angelos gloriam cantantes in excelſis audivi, & in terris Monachos (& ipſi regulares ſunt Angeli) dicentes; *parvulus filius hodie natus eſt nobis, & vocabitur DEVS FORTIS.* [Antiph. Noct. III.] *Ipſe eſt, qui ait, Ego ſum PANIS VIVVS, qui de cœlo deſcendi.* [Lect. X.] *Genuit Puerpera Regem cui NOMEN ÆTERNVM.* [Antiph. ad laud.] & meritò; nam CHRISTVS eſt Panis vivus, fortis, æternuſque Vivus, quia dando gratiam hominem moribundum vivificat fortis, quia protegit & contra hoſtiles dœmonum incurſus propugnat; æternus, quia qui manducat hunc panem, vivet in æternum.

475. ☙At obſervo omnia uni & eidem nomini diverſo timore proſterni; timor enim filialis Angelos ſubiicit, ſervilis Dœmones. Et in terris illorum ritu homines probi, horum ductu homines ſcelerati hoc nomen ſanctiſſimum proferunt. *Clamant boni, inclamant mali, ſorte tamen inæquali, vita vel interitûs. Illud enim mors eſt malis, vita bonis. Vide paris prolationis, quàm ſit diſpar exitus.* Illud eſt bonis & malis, præmium, ſuppliciumque. Præmium? omninò. quoniam in Eccleſiâ hæc audivi [Reſp. V. Sancti Ioann.] *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo meo, dicit Dominus.* Sed quo illum modo in columnam convertet? *Scribam ſuper eum nomen meum*, ait, *& nomen Civitatis novæ, Ieruſalem*, hoc eſt, *Nomen MARIÆ*. Ecce nomine hoc di-

Digitized by Google

divino donantur vincentes loco præmii; ſupereſt ut videamus eodem donari victos loco ſupplicii. Lego in Prophetâ. *Dominatores ejus iniquè agunt, dicit Dominus; & jugiter totâ die nomen meum blaſphematur*. Ecce intolerabili ſupplicio dignum. Audi ſententiam: *Propter hoc ſciet Populus meus nomen meum in die illâ; quia ego ipſe qui loquebar, Ecce adſum.*

De Verbo.

476 SVmmo Dialectica Divina tradi cōpendio poteſt; illam ad unum vel alterum Nomen reduximus, nunc dicimus totam inſtaurari, uno Verbo. Auguſtinus: *Nec ſolæ fauces vobis ſumant cibum, ſed & aures eſuriant DEI verbū*, aut potiùs, *DEVM-Verbum.* Nam aſſerente Ioanne cap. 1. 1. *In principio*, hoc eſt, ante omnia tempora, *erat Verbum*: nam Verbum; quod ediſſerit noſtra Dialectica, æternum eſt. *Et Verbum erat apud DEVM*, mò *& DEVS erat Verbum.* Ergo noſtræ Logicæ Verbum, DEVS eſt, *& Verbum caro factum eſt*, ante duos dies fuit natum, & æternùm *habitabit in nobis.*

O quanti DEVS ſilentium facit! Vixit æternis annis & totâ æternitate, quanta eſt, verbum unicum dixit! O quantum à divinâ perfectione deficiunt, qui in multiloquio & garrulitate confidunt! Illos meus Benedictus vituperat, & ſuæ Regulæ Caput XX. ſcribit, *Vt non jam in multiloquio, ſed in puritate cordis, & compunctione lachrymarum, nos exaudiri ſciamus.* & optimè, nam Innocentes martyres, grandes ſunt catholicæ religionis præcones, & tamen CHRISTVM non loquendo ſed moriendo confeſſi: bene enim fidem lingua loquitur, cùm vita conſonat, & pietas converſationis concionatur.

De Vniverſalibus & Prædicabilibus.

477 TErminos alios eſſe univerſales & alios particulares certum eſt; illorum eſſentiam in multorum unitate conſiſtere. S. Auguſtinus in Reg. *Vnanimes habitetis in Domo, & ſit vobis anima una, & cor unum in DEO.* Et iterū, *Omnes ergo concorditer & unanimiter vivite. & honorate in vobis DEVM invicem, cujus templa facti eſtis*. Prædicabitur igitur Religioſorum pietas (quoniam Prædicabilitas Vniverſalitatis eſt proprietas) ſi inveniatur præcepta Vnitas.

De Genere & Specie.

478 SEd, quia Porphyrius quinque enumerat Vniverſalia, *Genus*, *Speciem*, *Differentiam*, *Proprium*, & *Accidens*, ſtatim ſubdubitare incipiam, qualis ſit illa Vnitas, quæ debet Religioſis competere? Genericam admitto, ſpecificam reiicio; & dilucidè oſtendo. Genus enim in membra inæqualia dividitur, Species autem inæqualia; cùm igitur Reſpublica in ſubordinatione conſiſtat, & ſubordinatio membrorum inæqualitatem ſupponit, ſequitur ſummam æqualitatem, iniquitatem eſſe ſummam, debereque in Republicâ prudentem proportionem ſervari; unde D. Auguſtinus in Regulâ. *Sint vobis omnia communia. Et diſtribuatur uniquique veſtrum à Præpoſito veſtro victus & tegumentum: non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes; ſed potiùs unicuique ſicut opus fuerit. Sic enim legitis in Actibus Apoſtolorum. Quia erant eis omnia communia, & diſtribuebatur unicuique, ſicut cuique opus erat*. Cui conſonat S. Benedictus, & omnes Ordinum Inſtitutores.

De Differentiâ.

DIffert Sydus à Sydere, Stella ab Stellâ, Angelus ab Angelo, Homo ab Homine. In Monaſterio reperitur doctus, indoctus: nobilis, ignobilis; ſenex, juvenis; dives, pauper. Majores illi, qui meliores; nec boni qui elati, magnitudine ſuâ ſuperbeſcunt. Appoſitiſſimè Auguſtinus. *Illi*, ait, *qui aliquid eſſe videbantur in ſæculo, non habeant faſtidio Fratres ſuos, qui ad illam Sanctam ſocietatem ex paupertate venerunt: magis autem ſtudeant, non de parentum divitum dignitate, ſed de pauperum fratrum ſocietate gloriari. Nec extollantur, ſi communi vita aliquid de ſuis facultatibus contulerunt: nec de ſuis divitiis magnis ſuperbiant, quia eas Monaſterio partiuntur, quàm ſi eis in ſæculo fruerentur. Alia quippe quæcumque iniquitas in malis operibus exercetur ut fiat; ſuperbia verò etiam bonis operibus inſidiatur ut pereant. Et quid prodeſt diſpergendo da-*

dare pauperibus & pauperem fieri, cùm anima miſera ſuperbior efficitur divitias contemnendo, quàm fuerat poſſidendo? Et inferiùs: robuſtos cum ægrotis componit,& hâc inter ipſos notandam differentiam ſtatuit. ait etiam, *Qui infirmi ſunt ex priſtinâ conſuetudine, ſi aliter tractantur in victu, non debet aliis moleſtum eſſe, nec injuſtum videri, quos aliqua conſuetudo fecit eſſe fortiores, nec illos fœliciores putent, quia ſumunt quod non ſumunt ipſi; ſed ſibi potiùs gratulentur quia valent quod non valent illi. Et ſi eis, qui venerunt ex moribus delicatioribus ad Monaſterium, aliquid alimentorum, veſtimentorum, operimentorum-ve datur, quod aliis fortioribus non datur, cogitare debent quibus non datur, quantum de ſuâ ſæculari vitâ, illi ad iſtam deſcenderint, quamvis uſq; ad aliorum, qui ſunt corpore firmiores, frugalitatem pervenire nequiverint.* [dantur enim termini parvitatis & magnitudinis, iuxta diverſas hominum cõplexiones diverſi.] *Nec velle debẽt omnes, quod paucos vident ampliùs accipere, non quia honorantur, ſed quia tolerantur; ne contingat deteſtanda perverſitas, ut in Monaſterio ubi quantum poſſunt divites* [robuſti] *fiunt, fiant pauperes delicati,* [& facere addiſcant, quàm potuêre, minus.] *Sanè quem ad modum ægrotantes neceſſe habent minus accipere, ne graventur; ita & poſt ægritudinem ſic tractandi ſunt, ut citiùs recreentur* (recurentur.) *etiam ſi de humillimâ ſæculi paupertate venerunt, tanquam hoc illis contulerit recentior ægritudo, quod divitibus anterior conſuetudo,* [hæc enim natura altera eſt.] *Sed cùm vires priſtinas reparaverint, redeant ad fœliciorem conſuetudinem ſuam, quæ famulos DEI tantò ampliùs decet, quantò minùs indigent. Nec cibi eos teneat voluptas jam vegetatos, quos neceſſitas laverit* (levaverit) *infirmos. Illos ſanè exiſtiment ditiores, qui in ſuſtinendâ paupertate fuerint fortiores: meliùs eſt enim minùs egere, quàm plus habere.*

De Proprio.

479 A Monaſticâ Dialecticâ proſcribitur omnis Proprietas; nihil enim pernicioſiùs eſt Monacho, quàm aliquid Proprium habere. Id omnes Regulæ vitæ communis, id omnes Conſtitutiones Religionum inculcant. S. Auguſtinus, *Non dicatis aliquid proprium.* & iterum: *Omnia opera veſtra in communi fiant, majori ſtudio & frequentatione, alacritate, quàm ſi vobis ſinguli propria faceritis. Charitas enim, de quâ ſcriptum eſt, quòd non quærat quæ ſua ſunt, ſic intelligitur, quia communia propriis, & non propria communibus anteponit. Et ideò quantò ampliùs rem communem quàm propriam curaveritis, tantò ampliùs vos proficere noveritis: ut in omnibus quibus utitur tranſitoria neceſſitas, ſuperemineat, quæ permanet Charitas.*

De Accidente.

480 ALiqua in Monaſteriis ſunt eſſentialia, aliqua accidentalia. Illa ſunt de converſationis Regularis conceptu, iſta adſunt abſque corruptione Pietatis. Ait Dominus. *Quærite primùm regnum DEI & juſtitiam ejus; & cetera adiicientur vobis:* quoniam ad vitæ Regularis eſſentiam pertinent; non bona temporalia & caduca. Ad miraculum bene Auguſtinus, *Qui aliquid habebant in ſæculo, quando ingreſſi ſunt Monaſterium, libenter illud velint eſſe commune. Qui autem non habebant, non ea quærant in Monaſteriis, quæ nec foris habere potuerant; ſed tamen eorum infirmitati, quod opus eſt, tribuatur, etiam ſi paupertas eorum talis erat quando foris erant, ut nec ipſa neceſſaria potuerint invenire. Tamen non ideò ſe putent eſſe fœlices, quia invenerunt victum & tegumentum quale foris invenire non potuerunt. Nec erigant cervicem, quia ſociantur eis, ad quos foris accedere non audebant; ſed ſurſum cor habeant; & terrena vana non quærant, ne incipiant Monaſteria eſſe divitibus utilia, non pauperibus, ſi divites illic humiliantur, & pauperes illic inflantur.*

De Oratione Mentali, Vocali, & Scripta.

481 ORatio, Meditatio, Contemplatio ſunt intellectuales Religioſi virtutes, quæ conſiſtunt in operatione. Illas reliquæ reſpiciunt ut finem, illas reliquæ important ut terminum. Et ſanè quia Oratio eſt duplex (vocalis nimirum & mentalis) egere inſtructione videmur, ut alteri alteram exactè cooptare poſſimus. Auguſtinus: *Pſalmis & Hymnis cùm oratis DEVM, hoc verſetur in corde, quod profertur in ore.* Vnde D. Benedictus, jubet *ſic orare, pſallere, ut cor conſonet lin-*

Digitized by Google

linguæ, lingua, condi. Cùm pſallimus,legimus, oramuſque; & aſſerente Auguſtino in pſalm. 85. *Oratio loquutio eſt ad DEVM: quando legimus, DEVS nobis loquitur; quando oramus, loquimur DEO.* Et quidem multa hîc poſſent dici, ni temporis anguſtiis premeremur; ſed quia de Oratione ſæpè egimus, ad alia minùs obvia tranſeamus.

482. Et, ut ſubnoto, tametſi mentalis, vocaliſque commendetur Oratio, condemnatur ſcripta. non enim indigemus epiſtolis, ut veniamus ad DEVM: & ad homines non ſemper venire debemus. Audi Hipponenſem Præſulem: *Quicumque*, ait, *in tantum progreſſus fuerit malum, ut occultè literas ab aliquo vel quodlibet munus accipiat; ſi hoc ultrò confitetur, parcatur illi, & oretur pro eo: ſi autem deprehenditur atq; convincitur, ſecundùm arbitrium Præpoſiti vel presbyteri graviùs emendetur.* Epiſtolas etiam condemnat B. Benedictus ſpeciali capitulo, & quod mirabiliùs eſt etiam hodie in Cæſareâ militiâ ſupremo edicto Epiſtolas interdictas videmus, ut pudeat videre Religioſos ſcriptitandis nugis impalleſcere, quando illis ſunt milites ſœculares exemplo.

483. Epiſtolis inutilibus diſtrahitur animus, impeditur Oratio, enervatur devotio. Magni facienda eſt orandi & pſallendi commoditas; nec facilè admittenda, quæ impediant. Vt id confirmem, multa occurrunt exẽpla; unum aut alterum ſupponam. Lego in Act. Apoſt. *Creſcente numero Diſcipulorum factum eſt murmur Græcorum adverſus Hebræos, eò quòd deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ eorum.* & Prælatos conſolor, nimiùm ob ſubditorum murmurationes anxios. Sanctus fuit Chriſtus; & tamen de ipſo etiam hodie ab Ethnicis, Iudæis, & Hæreticis mirabilia dicuntur. Sancti erant Apoſtoli, Sancti Diſcipuli; nec tamen illi ita vixere, ut potuerint placere ſingulis; nec ita iſti fuerunt mortificati, ut tacere, diſſimulare & non murmurare didicerint. At Apoſtoli, quia ſapientibus & inſipientibus, fortibus & fragilibus erant debitores, dixerunt Diſcipulorum multitudini. *Non eſt æquum nos derelinquere verbum DEI & miniſtrare menſis.* Sic illi. At hodie, quot Apoſtolici audire volunt, & tamen dicunt: *Non eſt æquum derelinquere menſas, & miniſtrare Miſſis! Non eſt rationi conſentaneum à verbis otioſis abſtinere, & divino inſudare!* Videntur hodie ad authoritatem comeſſationes & ebrietates conducere, illique qui agunt modeſtam vitam non eſſe magni. Sed miſſa iſta faciamus, ipſi dabunt rationem DEO villicationis ſuæ. Subdunt Apoſtoli, *Conſiderate ergo fratres, viros ex vobis boni teſtimonii ſeptem, plenos Spiritu Sancto, & ſapientiâ, quos conſtituamus ſuper hoc opus: nos verò orationi & miniſterio verbi inſtantes erimus.* Et eorum exemplo Auguſtinus, curis rerum temporalium orationem præponens, ſic inquit. *Orationibus inſtate, horis & temporibus conſtitutis. In Oratorio nemo aliquid agat niſi ad quod factum eſt, unde nomen accepit.* Non enim contemni debet Martha; at MARIA ſedet ſecus pedes Domini; audit verbum Divinum, & ideò majoris debet fieri.

De Definitione.

484 LEges definitivæ illæ dictæ, quæ non pendent à ferendâ ſententiâ, ſed civilium omnium rerum naturas & ingenia diſtinguunt: unde & definitiva illa ſententia, quæ omnibus conſideratis pronuntiatur. Audebo dicere, quot approbatas ab Eccleſiâ Regulas, tot Eccleſiaſticas definitiones eſſe. Rogor, Quæ ſit Ordinis noſtri definitio? Regulam Benedictinam produco, & aſſero hanc eſſe Ciſtertienſis Ordinis clariſſimam definitionem. Iubeor exponere quid ſit Præmonſtratenſis Religioſus? quid Regularis Canonicus? & ad Regulam divini Doctoris recurro. Monachus enim non eſt definiendus per habitum (hic enim ut eſt in proverbio, non facit Monachum) ſed per converſationem regularem. Quòd ſi per habitum, non per corporis, ſed per cordis habitum. dantur enim naturales, & ſupernaturales, corporei & ſpirituales habitus, è quibus priores non conſtituunt Monachum, ſed poſteriores; S. Auguſtinus in Reg. *Vos probate, quantum vobis deſit in illo interiore Sancto habitu cordis, qui pro habitu corporis litigatis.*

485. Multas video conditiones requiri, ut Definitio eſſe bona dicatur; at inter alias has præcipuas. I. Vt convertatur cum ſuo definito. II. Vt non pateat latiùs. III. Vt non contrahatur ſtrictiùs.

Converſionem ſuę Regulę, ſive quod idem eſt, Monaſticæ Converſionis regulas, Capi-

pite LVIII. S. Benedictus expoſuit, dixit enim, *Suſcipiendus autem in Oratorio coram omnibus promittat de ſtabilitate ſuâ, & converſione morum ſuorum*, quod nos obſervamus ad literam; ſic enim in noſtris Monaſteriis incipit, qui vota emittit, *Ego talis aut talis*, ait, *promitto ſtabilitatem meam, converſionem morum meorum, &c.* & ut video meritò ſtabilitas cum converſione componitur, quia inſtabilis morum converſio ſæpe miſerias parturit periculoſas. Inconſtantibus Cap. 1. S. Benedictus, Anachoretas Sanctos, & conſtantes opponit, *quòd non converſionis fervore novitio* (& inſtabili) *ſed monaſterii probatione diuturnâ* (& conſtanti) *didicerunt contra diabolum multorum ſolatio* (conſortio) *jam docti pugnare.*

486. Sunt monaſteria, in quibus cognoſcitur Terminorum & Reſtrictio & Ampliatio; in quibus latiùs patet Regula quàm obedientia; in quibus ſtrictiùs patet obſervantia, quòd in ipſis minùs ſtrictè vivatur. Hæc relaxata eſſe dico, & contra Legiſlatoris mentem. S. Benedictus tertio Capite. *In omnibus igitur omnes magiſtram ſequantur Regulam, neque temerè ab eâ devietur à quoquam.* Non inhibet S. Doctor prudentem Legis ſuæ interpretationem perſonis, locis, & temporibus accommodatam, ſed illegitimam & imprudentem; & ideò non incuſat illos qui deviant; ſed qui temerario auſu ſine rationabili causâ. Conſonat Auguſtino indicenti, *Fideliter obediant, & Patrem ſuum poſt DEUM honorent.* Et poſt pauca, *Fideliter & piè obſervantes, & vos proficietis, & nobis non parva erit lætitia de veſtra ſalute.* Et quidem fideliter obediunt, qui exactè; qui nec deficiunt timidè, nec temerè præcepta adaugent.

487. Solent homines, dum alterum extremum fugiunt, incurrere alterum; & dum Regulæ ſatisfacere volunt, etiam multa facere ſupra Regulam, ita ut eorum obſervantia latiùs pateat, quàm lex. Idipſum, ſi ſingularitas deſit, non debet abſolutè damnari. at quia vix exuere ſingularitatem poteſt, à Monaſteriis univerſis proſcribitur, pronunciante noſtro Legumlatore, *Octavum Humilitatis gradum eſſe, ſi nihil agat Monachus, niſi quod communis monaſterii Regula, vel Majorum cohortantur exempla.* proſcribitur pronunciante Auguſtino: *Nolite cantare, niſi quod legiſtis eſſe cantandum; quod autem non ita ſcriptum eſt ut cantetur, non cantetur.* Non enim unius hominis inconſiderata devotio alterare debet mores Communitatis.

De Diviſione.

488 CEnſent Philoſophi debere conceptum univerſalem priùs definiri, & poſteà dividi; fruſtrà enim ad ſpecies Animalis deſcenditur, ſi ejuſdem eſſentia neſcitur. Hinc oritur illud Axioma Philoſophicum: *Qui bene definit, bene dividit.* Quod etiam in Dialecticâ regulari eſt veriſſimum. Monachum enim definit Regula, dividit Mors; & quidem, *qui bene obligationes ſuas obſervat, bene moritur.* unde Hipponenſis Præſul, malam eſſe mortem negat, quæ bonam vitam ſubſequitur.

O quàm mirabilis erit diviſio illa Animi & Corporis, quando illud tradetur telluri, & iſte aſſumetur in cœlos! ô quam mirabilis Ludovici Vives de hac materiâ ſententia! *Mors*, ait libr. 2. de Animâ, *eſt à corpore diſtinctio ſeu diſceſſus*, ac ſi tunc primùm illa diſtingui incipiat, ſolvi, ſepararique. Et quidem ſuſtineo Ethicus definitionem, quam explodere Phyſicus. Sunt enim inter vivos homines, in quibus anima non differt à corpore; videlicet, contemplativi & ſcelerati. Iſti carnales ſunt, laſcivi & carnali ſunt animo præditi; illi ſpirituales, converſantur in cœlis, etiamque dum peregrinantur in corpore videntur corpore, aut ſaltem corporeo carere. Meliùs apud Ariſtotelem ipſa deſcribitur, *Mors eſt animæ & corporis diſſolutio.*

489. Hinc jam altè percalleo, quid ſit Logicæ Moralis terminus. *Mors limes, finis, mors ultima linea rerum.* Mors eſt alterius vitæ initium, hujus terminus. quam ob rem *Interitus* dictus quaſi *introitus*, quòd qui bene intereunt, ad vitam meliorem introeunt.

Rogatus Ariſtoteles definitionem Termini, ſic inquit. *Terminum voco, in quem reſolvitur propoſitio; ut prædicatum, & de quo prædicatur, appoſito vel ſeparato, eſſe, vel non eſſe.* Propoſitionem alio conceptu paulò inferiùs ediſſeram, nunc ſic diſcurro. Propoſitio ſubjecto, copulâ, & prædicato conſtat, adeoque Homo meritò donari poteſt hoc vocabulo, conſtat enim corpore corruptioni ſubjecto, unione aut copulâ, & animo immortali qui poſſit

præ-

prædicare DEVM. Quædam eſt propoſitio Evangelica Protomartyr Stephanus, partim corporeus, partim ſpiritualis: quà corporeus furori violento ſubjectus, quà ſpiritualis, ab univerſis prædicatus. De hujus propoſitionis reſolutione Eccleſia in hymno. *Soluta ſunt jam Vincula Tui ſacrati corporis; Nos ſolve vinclis ſæculi Dono ſuperni Numinis.*

Profectò Mors eſt vitæ terminus; & in illâ omnis homo diſſolvitur, *appoſito vel ſeparato eſſe, vel non eſſe*. Manet poſt diſſolutionem æternitas, & qui bona egerunt, æternam adſumentur in vitam; qui mala, æternum damnabuntur ad ignem, *& tempus non erit ampliùs*. Clamabit Angelus, Tempus (*eſſe* enim nihil aliud, quam *tempore durare*) apud nos eſt; quod olim appoſitum, hoc eſt appoſitè conceſſum, ut pœnitentiâ ducti ad DEVM converteremini, jam ſeparatum eſt. Quam ob rem cruciabimini tempore æterno, & ſiquidem non curaſtis tempus dum erat, ſcitote quòd *tempus non erit ampliùs*, ut agatis utilem pœnitentiam.

De Propoſitionum quidditate.

490 AN eſſe veram aut falſam, an verò eſſe aſſerentem aut negantem, ad eſſentiam Poſitionum pertineat, quçrunt Logici: & ego impatienter audio veritatem falſitatemque ad eſſentiam reduci; accidit enim Enuntiationi eſſe veram aut falſam, at ſine mutatione intrinſecâ non poteſt tranſire de aſſerente, in negantem. Quidquid de ſcholaſticâ quæſtione ſit, ſic moralem decido ut affirmem, omne meritum, omne demeritum in negatione, & affirmatione conſiſtere. Omnis, qui peccat, negat, aſſerit; negat, aſſerit, omnis qui juſtè & piè procedit. Nam exorbitando ille ſe negat virtuti, cedit vitio; & rationem ſequendo iſte ſe negat vitio, & concedit virtuti.

491. Propoſitio igitur eſt triplex; Affirmativa, Negativa, Infinita. Aſſerit, cujus copula non inficitur aliquâ negatione: negat, cujus copula negatione eſt infecta: eſt infinita, cujus negatio non cadit ſupra copulam, ſed ſupra alterum terminum vel extremum. Hinc oritur duas eſſe diverſas negationes, negantem & infinitantem, quarum ego definitionibus peccatum, & virtutem depingo. *Peccatum eſt negatio negans*, [nec contradicent, quotquot illud teneant in formalitate negativâ conſiſtere.] *eſt negatio malignantis naturæ, omnia quæ poſt ſe invenit deſtruens*. & me judice, nihil peccato maligniùs, pernitioſiùs-ve: quo commiſſo gratia diſtruitur, & pietas univerſa proſcribitur. Virtus contrà negatio quædam eſt; nam qui non abnegat ſemetipſum, laude caret. At hæc ipſa propriæ voluntatis negatio, eſt infinitans, reddit enim æternum hominem, illum interminabili gloriâ & beatitudine infinitâ donando.

De Propoſitionum Quantitate.

492 NOlui multos libros evolvere, tantam enim materiam ſuppeditant Canonici Officii Lectiones, ut non ſit opus, varios Authores lectitare. Multas propoſitiones univerſales, particulares, indefinitas, & ſingulares ſubaudivi; aliquaſque ſtudioſè reſumo.

Affirmativa & univerſalis iſta fuit, *Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur; & erunt prava in directa, & aſpera in vias planas*; ait Iſaias cap. 4. a. 2. & nos ex ipſo Lect. 3. Ergo aperi oculos ſuperbe & elate adoleſcens; provide tibi; time DEVM, qui deponet potentes de ſede, & exaltabit humiles. Vidi enim nonnunquam peccatorem elatiorem Atlante ſuperbiſſimo monte, fortiorem colle, duriorem ſaxo, pulchriorem Libano; acceſſi & ecce non erat, nec eſt inventus locus ejus. Vidi nonnunquam juſtum, ſub pedes poſitum, injuſtè oppreſſum, & tamen non deſertum à Domino acceſſi, & illum vidi ſubrigi, donec ponerentur inimici ſui ſcabellum pedum ſuorum. *IGITVR vetus, error abeat, ſervemus pacem, quia in te ſperabimus. Sperabimus in Domino in ſæculis æternis, in Domino DEO forti in perpetuum: quia incurvabit habitantes in excelſo, civitatem ſublimem humiliabit. humiliabit illam uſque ad terram, & detrahet eam uſque ad pulverem, conculcabit eam pes; pedes pauperum, greſſus egenorum.* Iſaiæ cap. 26.

493. Hæc autem, *Nemo ab hujus alacritatis participatione ſecernitur*, aſſerta à Leone Papa ſerm. 1. de Nativ. aſſumpta à nobis Lection. 5. univerſalis & negativa fuit. Vera tamen. neminem enim à participio ſuorum merito-

Digitized by Google

ritorum excludit, qui vult omnes homines ſalvos fieri,& ad cognitionem fidei & veritatis devenire.

Particularis Propoſitio illa eſt,cujus ſubjectum individuum eſt vagum; & ſi creditur D.Benedicto ſtabilitatem prærequirit ſubjectio,nec bene ſubjectus eſſe poteſt,qui individuus voluptatis comes, & monachus gyrovagus eſt. Lectu digna eſt illa eicon, quam Divus Legiſlator ſcripſit,videlicet. *Quartum verò Genus Monachorum eſt,quod vocatur Gyrovagum, qui totâ vitâ ſuâ, per diverſas Provincias, ternis aut quaternis diebus per diverſorum cellas hoſpitantur, ſemper vagi & nunquam ſtabiles, & propriis voluptatibus & gulæ illecebris ſervientes, & per omnia deteriores Sarabaitis. De quorum omnium miſerrimâ converſatione meliùs eſt ſilere,quàm loqui.*Hæc de Individuo vago, hæc de Religioſo gyrovago D.Benedictus.

Indefinita Propoſitio illa eſt, quæ ſigno & quantitate caret;& eſt imago peccatoris.Sancti ſunt magni quantitate virtutis, & qui virtute caret, carere culpis & peccatis non poteſt. Qui in fluvio nat, aut fluxum vincit, aut à fluxu vincitur, & liquidis vorticum laqueis vincîtur;ſagitta,quæ non aſcendit,cadit; & in virtutis viâ non progredi,regredi eſt.

494. ❧Singularis ſuum characterem habet, & ſtatim cognoſcitur. In his vulgaribus Propoſitionibus hæcceitatem & ſingularitatem reperio. *Ecce Agnus DEI, ecce qui tollit peccata mundi. Hic eſt Stephanus, qui novit pro perſecutoribus orare Dominum noſtrum IESVM-CHRISTVM.Iſte eſt Ioannes, qui ſupra pectus Domini in cænâ recubuit, beatus Apoſtolus, cui revelata ſunt ſecreta cæleſtia. Hi ſunt*(Innocentes) *qui cum mulieribus non ſunt coinquinati; virgines enim ſunt, & ſequuntur Agnum quocumq;ierit.* Et in ipſis ſolennitates univerſas, quas agimus; & inſtructionem omnem,quâ indigemus: quoniam in iuſtificationis viâ, præcedere debet Agnus DEI, non enim eſt volentis, aut currentis hominis, ſed DEI miſerentis & prævenientis. Sequi debet paſſio,dolor,contritio,quas præfefert Stephanus;ut ſuperveniat habitualis gratia, quam ſignificat Evangeliſtæ nomen: gratiæq;formalis effectus erit iuſtificatio,quam celebrandi cras Martyres innocentes inſinuant.

De Propoſitionum Qualitate.

495 Veritas accidens Propoſitionum eſt; adeſt, abeſt. non tamen ita, ut in ipsâ falſitate non luceat. Contemplaris Decalogum,ais,*Homini impoſſibilia præcipiuntur*: Et ego ſtatim, Verum eſt, inquam, hanc propoſitionem eſſe falſam; falſum eſt eſſe veram.Et ſtatim veritatis eminentiam commendo,ſine quâ intelligi non poſſet falſitas.DEVS eſt Veritas,peccatum falſitas. Et licet DEVS intelligi, poſſit, & ſoleat,præſcindendo à peccato; tamen præſcindendo à DEO, peccatum non poteſt intelligi. Si non cognoſceret DEVM homo, non haberet quem offendere poſſet; ſi non haberet obediendi potentiam, ſufficientiam, arbitrium, non eſſet qui offendere poſſet. Abeant ergo, quotquot auxilia ſufficientia reiiciunt, quotquot neceſſitatem deficiendi protrudunt, nam voluntatem humanam divinitùs neceſſitari falſum eſt.

De Oppoſitione.

496 Triplex eſt; Contraria, Contradictoria, Subcontraria. utra tamen inter virtutem & peccatum reperta? Contraria, ſi id poſitivum eſt; contradictoria ſi in carentia conſiſtit; & ſubcontraria, ſi ad Lorcæ mentem poteſt cum gratiâ & virtute componi.

Quæris, An homo irrationalis ſit, an rationalis? & ego qualis homo ſit, de quo quæritur,quæro; nam,ſi juſtus? utrumq;eſt verum; & falſum utrumque, ſi injuſtus. Rationalitas igitur & Irrationalitas, in Sanctis ſubcontrariè opponuntur, & in peccatoribus contrariè. Vir pius rationem habet, ratione caret; caret ubi Fide ſententiam orthodoxam pronuntiat, & homo captivat ſuam mentem in obſequium. aliàs dictamen ſequitur; nec ab illo declinat. Vir iniquus, ubi Fides divina definit argumentoſus eſt, & ubi illicit voluptas, credulus; rationem nec habet, nec non habet. Non habet, quia abuti illâ carere eſt; habet, quia non operaretur contra illam, ſi illâ omninò careret.

497. ❧Sanè inter DEVM & peccatum perennis oppoſitio eſt, & inter hominem ad imaginem & ſimilitudinem DEI conditum, & vitia quælibet, deberet hoſtis intercedere.

Iubemur proximum etiam inimicum diligere, peccata etiam propria odio habere, nam inter homines & homines debet eſſe pax, inter homines & vitia bellum. Cecinerant nudiùſtertius Angeli, *Gloriam in altiſſimis DEO, & in terrâ pacem hominibus voluntatis ſinceræ*; & heri Stephanus Articulos Pacis expoſuit, opponendo, contradicendo, componendo. Rem in Apoſtolorum actibus legi, hîc exſcribo.

498. Stephanus DEI & Apoſtolicæ Sedis gratiâ, activæ vitæ miniſterio præficitur, ut Apoſtoli liberiùs vacare poſſent verbo DEI, & populorum inſtructioni. At ille in ipsâ vitâ practicâ ſpeculativus (optimè enim contemplatur, qui bene obedit) plenus gratiâ, & fortitudine arguit, obſecrat, increpat in omni patientiâ & doctrinâ: hanc confirmat prodigiis, & facit ſigna magna in populo. Sed quia inter ſanctos & ſceleratos irreconciliabilis eſt oppoſitio, pientiſſimè vivendo Stephanus multorum irritavit invidiam, fuitque plurimorum, ſi diceret, ſi ageret contradictionem expertus. Inſurrexerunt primò quidam de Synagogâ, quæ dicitur Libertinorum; quidam ſanè, impoſſibile eſt enim ut virtus omnibus etiam malis diſpliceat; Medea enim, *videt meliora, probatque; Deteriora tamen ſequitur.* & ſunt plurimæ in mundo Animæ, Medeæ ſimiles, quæ magnâ indigerent medelâ. Et ut video, primi, qui contra Spiritum, qui loquebatur & operabatur in Stephano, inſurrexerunt, dicuntur fuiſſe Libertini; ut doceamur, etiam hodie inter nos eſſe nonnullos hujus claſſis, qui plus nocent Eccleſiæ, quàm hæretici. Eraſmum in medium produco, quem fuiſſe hæreticum Lovanienſes credituri non ſunt. Baſileæ erat litteraturæ politioris profeſſus, & juſſus dogmatibus Lutheri ſubſcribere, relictâ domo, famulis, diſcipulis, rebuſque omnibus, ſolo DEO (cur aliud deberemus præſumere?) placere deſiderans, nudus & pauper *per varios caſus, & per diſcrimina rerum*, Lovanium appulit, ubi cùm maximè volebat videri Catholicus, tunc maximè Libertinus fuit. Liberrimè de moribus loquutus eſt. Dixit quod ſenſit; at non ſemper ſenſit, quod debuit; quod ſi plerumque bene ſenſit, etiam tunc libertatem damnabo; multa enim vera, debent potiùs ſilentio ſupprimi, quàm periculosè evulgari. Aut fallor, aut in omni ſchiſmate aut rebellione ſic proceditur; aperiunt iter Libertini, liberè & audetur carpendo; zyzania ſeminant, & inter paucas veritates, plurimis calumniis effuſis, Cyrinenſes appellant. Hi Syrenarum inſtar meſſem colligunt, in ſuaſque partes animos irritatos alliciunt, negant gloriam in altiſſimis dignitatibus DEO, & in terris pacem hominibus bonæ voluntatis, quoniam qui malâ præditi, ſemper bonæ inſectantur. Sic turbantur Reſpublicæ, ſic noſtro ævo fuit Eccleſiâ ab Eraſmo turbata, ſic olim Synagoga à paucis & malè feriatis Libertinis. Diſputant cum Stephano, & quia adquiſita Dialectica pygmæa eſt, Gygas infuſa; non poterant reſiſtere Sapientiæ & Spiritui, qui Stephani articulabat labia. Tranſeunt ſyllogiſmi in elenchos, acumina in fallacias, verſutiæ in calumniam, & ſummittuntur viri, qui dicant ſe audiiſſe illum evomentem blaſphemias, & inferant ſententiam mortis. Quid hîc Stephanus? Intuentes eum omnes, qui ſedebant in Concilio, viderunt faciem ejus tanquam faciem Angeli. Inquirentes mores & vitam Rei, diſcunt illos eſſe divinos, hanc Angelicam. Audientes illum putant ſinguli ſe audire vocem Angeli; & tamen ultimam ſententiam pronunciant, dicuntque, *Vivit Dominus, quia Stephanus eſt ſimillimus Angelo DEI, ſed Satrapis populi non placet; pereat unitas. Scimus eſſe innocentem, at expedit ut negetur gloria in excelſis DEO, ne abſit in terrâ pax hominibus improbæ voluntatis.* Ecce novam Dialecticam, & ſeveriſſimam argumentandi formam. Diſputarat Stephanus, & aſſumptis columnis ſacræ paginæ, doctiſſimos quoſque ſtringebat. Aſſumunt iſti lapides, ſaxorum grandine controverſiam decidunt. At ille [Act. 7. g.] provolutus in genua devotiſſimè inclamat: *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum*, & verbulo Regulas veræ oppoſitionis nos docet, quas fortè nos malè didicimus. Ergo, ut doceamur iterum; ad tuam ſcholam IESV parvule, nobis nate, nobis date concurrimus; dicis, *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.* Reſumit Auguſtinus, *Lites nullas habeatis, aut quam celerrimè finiatis, ne ira creſcat in odium, &*

& trabem faciat de feſtucâ, & Animam faciat homicidam. ſic enim legis, Qui odit fratrem ſuum homicida eſt: Quicumq; convitio vel maledictio vel criminis obiectu aliquem læſerit; meminerit ſatisfactione quantocyus curare quod fecit, & ille qui læſus eſt, ſine diſceptatione dimittere. Si autem ſe invicem læſerint, ſibi debita relaxere debebunt. Nos addiſcimus, dicimuſque. *Da nobis quæſumus, Domine DEVS imitari quod colimus, ut diſcamus & inimicos diligere, quia eiùs heri Natalitia celebravimus, qui novit etiam orare pro perſecutoribus.*

Hîc ut video, plurima dedocemur, à CHRISTO, ab Stephano, à Ioanne. Pendet ille è cruce, & pro ſacrilegis carnificibus orat, & ait: *Pater, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt*. obruitur lapidibus Stephanus, & orat pro exploſoribus dicens: *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Et Ioannes multas perſecutiones à ſummis, ab infimis paſſus, univerſis ignoſcit, orat pro ſingulis, & hanc unicam lectionem repetit, in cathedram veritatis repoſitus. nimirùm, *Filioli diligite alterutrum.* Sed cur ita commendatur inimicorum amor? Reſpondebo ſecurè, ſcio enim Ioannem Apoſtolum & Evangeliſtam, olim de eâdem controverſiâ conſultum, & eius Reſponſionem hac nocte [lect. VIII. ex D. Hieronymo lib. 3. c. 6.] cantatam, & niſi me decipit memoria, his verbis. *Beatus Ioannes Evangeliſta, cùm Epheſi moraretur uſq; ad ultimam ſenectutem, & vix inter Diſcipulorum manus ad Eccleſiam deferretur, nec poſſet in plura vocem verba contexere; nihil aliud per ſingulas ſolebat proferre collectas, niſi hoc: Filioli, diligite alterutrum. Tandem diſcipuli & Fratres, qui aderant, tædio affecti, quòd eadem ſemper audirent, dixerunt;* Magiſter, quare ſemper hoc loqueris? *qui reſpondit dignam Ioanne ſententiam: Quia præceptum DEI eſt, & ſi hoc ſolum fiat, ſufficit. &c.* Hinc Divus Auguſtinus in ſuæ Regulæ Prologo, *Ante omnia, Fratres Chariſſimi, diligatur DEVS, quia iſta præcepta ſunt principaliter nobis data.* Et poſt pauca. *Primum propter quid in unum eſtis congregati, Charitatis vinculum cuſtodiatur, ut unanimes habitetis in domo.* Et quia datur Amor & Amor, ne æquivocatio ſubreperet, ſubiunxit, *Non autem carnalis, ſed ſpiritualis inter vos, debet eſſe dilectio.*

499. ☛Igitur præceptis ſalutaribus moniti, & divinâ inſtitutione formati, ſic diſcurrimus. Si ſervetur accuratè Decalogus, erit gloria in excelſis DEO; erit hominum voluntas bona. Et ſi hæc ſit bona, erit pax; & ſi hæc ſit, erit terra labii unius & ſermonum eorumdem. Si ſemel voluntates conſonare contingat, ceſſabit omnis affectuum contrarietas, omnis reſolutionum contradictio, & erit voluntatum ſumma ſubordinatio, & ut magis loquar, dialecticè ſubalternatio.

De Modalibus.

500 PRæter propoſitiones ſimplices, etiam dantur Modales, quæ in Nativitatis die relucent, & à Hieronymo *comm. in Matth.* explicantur. ait enim. *In Iſaiâ legimus, Generationem eius quis enarrabit? Non ergo putemus Evangeliſtam Prophetæ eſſe contrarium ut quod ille impoſſibile dixit effatu, hîc narrare incipiat, quia ibi de generatione Divinitatis, hîc de incarnatione eſt dictum.* Addo verba Eccleſiæ, quæ ſumus hebdomada maiori audituri. Videlicet, *O certè neceſſarium Adæ peccatum, quod CHRISTI morte deletum eſt.* Et Neceſſitatis, Impoſſibilitatis, alioſq; ſubalternos modos, eorumq; contrarietatem & oppoſitionem obſervo. Si rem bene conſiderem, Adæ peccatum, CHRISTI mortem nativitatemq; ſunt inter ſe neceſſariò connexa; ſi ille non peccaſſet, CHRISTVS non fuiſſet natus, non fuiſſet homo à peccato redemptus.

501. ☛Meritò Tractatum de Modalibus Logici *Pontem Aſinorum* appellant. Labuntur omnes illi, quibus eſt acuta memoria, obtuſa ratio. Quod ipſum in Logicâ divinâ affirmo. Poſſibilitas, Impoſſibilitas, Contingentia, Neceſſitas, modi ſunt, qui CHRISTI Paſſionem & hominis arbitrium concernunt. Lutherus, cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis. Calvinus ejuſdem ſcandalo, factus eſt ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus. Adeòque ipſius Adę peccatum, CHRISTI meritum, lapſi arbitrii libertas, pons fuit, in quem impingerent, è quo caderent. Modos omnes confundunt. Libertatem homini negant; peccandi neceſſitatem adſerunt; impoſſibilia à DEO juberi dicunt, decredunt voluntatem à DEO tactam poſſe diſſentire ſi velit; & per conſequens ſalutem noſtram, eſſe contingentem & purè ab ex-

trinſeco ſtatuunt, illamque non virtuti, ſed fato vel fortunæ committunt. Cùm tamen iſtum eundem pontem homines rationales & ſpirituales pede tuto pertranſeant, fidei ductum ſequuti.

De Syllogiſmo.

502 EO tota Dialectica contendit, ut ſcholaſticus inſtituatur conflictus, & diſputatio contentioſa ineatur. *In quo conflictu* (verba ſunt Leonis Papæ *ſerm. 1. de Nativit.*) *pro nobis initio, magno & mirabili, æquo jure certatum eſt. Dominus cum ſæviſſimo hoſte, non in ſuâ majeſtate, ſed in noſtrâ aggreditur humilitate: obiiciens* (nam obiicere argumentantium eſt, non propugnantium) *ei eamdem formam* (non bene argumentaretur, ſi extra formam: debet enim in illationibus Dialecticis obſervari forma figuraque.)

503. Vt video fortiſſimum nobis ſyllogiſmum his diebus propoſuit Sancta Mater Eccleſia; propriis membris conſtantem. nimirùm, Majore, Minore, & Concluſione. Habuimus CHRISTI Domini nativitatem; ſequuta fuit Stephani ſolennitas; illa major, hęc minor; & Ioannis dies feſtiva conſequitur. Sæpe Scholaſtici Aſſumptionem ad minorem reducunt, ſed in majori ego æternum Verbum video humanam adſumpſiſſe naturam. & hunc ſyllogiſmum ſolennitatum ſic intelligo.

504. Quicumque velit demonſtrare repoſitam ſibi eſſe coronam juſtitiæ, quam eſt daturus juſtus Iudex, duas debet certiſſimas præmiſſas ſupponere, quarum major ſit DEI Incarnatio Paſſioque, minor cooperatio creaturæ. Lapidatur Stephanus, nec ejus martyrium eſſet utile, ſi ſanguis deficeret CHRISTI; non enim condignę ſunt paſſiones hujus Mũdi ad futuram gloriam. Naſcitur Dominus; nec nobis ejus ſanguis prodeſſet, ni cooperando & obediendo impleamus, quæ deſunt paſſioni IESV-CHRISTI. Ergo, nec CHRISTI paſſio ſola, nec noſtra ſola prodeſt, ſed noſtra cooperatio gratiæ ſupernaturali conjuncta. Sciebat hoc perfectiſſimè Sponſa, cum dicebat, *Trahe me poſt Te, & curremus in odorem unguentorum Tuorum*: ubi notari cupio verba ſingula. Non dicit, *Trahe me & curres*, non, *Trahe me, & curram*; ſed *Trahe me, & curremus*; ut cooperationem inſinuet.

Poſt præmiſſas ſequitur concluſio; poſt nativitatem IESV-CHRISTI, & Stephani lapides, ſequitur Ioannes, qui interpretatur *Gratia*. ut ſciamus habitualem juſtificantemque à CHRISTI meritis, & humanâ cooperatione ſecuriſſimè inferri, ipſamque eſſe gloriæ ſemen, & beatitudinis æternæ pignus. Macte igitur animo Anime, ſanguis CHRISTI Domini effuſus eſt pro te & pro multis in remiſſionem peccatorum. Si cooperatus fueris, & cum Stephano multa pro CHRISTO fueris paſſus, tibi eſſe repoſitam coronam juſtitiæ infer ſecurè & evidenter.

De Reductione oſtenſivâ.

505 SEd quid, ſi Stygius Princeps vices reſpondentis aſſumat, dicatque, *Tranſeat major, tranſeat minor, & nego conſequentiam?* Subridebo, & intrepidè uni *Tranſeat*. aliud *Tranſeat* opponam; dicamque, *Tranſeamus in Bethlehem & videamus hoc verbum quod factum eſt, quod Dominus oſtendit nobis*. fruſtra enim jubebitur ut tranſeat nos divinus ſanguis, ſi nos confugimus & tranſimus ad ipſum.

Si pertinaciter negare velit conſequentiam; illam demonſtrabo oſtenſivè ſyllogiſmum ad aliam figuram reducendo, vel ut uno verbo dicam, transfigurando. Tranſivi, ut viderem Λόγον, verbum, rationem, analogiſmum, ſed ut me beatum iri demonſtrem, debet hic ipſe Λόγος transfigurari; nam ſi apud Paulum eſt bona hæc conſequentia: *CHRISTVS ſurrexit à mortuis, ergo & nos reſurgemus*: etiam erit hæc, *CHRISTVS transfiguratus eſt, ergo & nos, ſi noſtra facies reſplenduerit ut ſol, & affectus, qui ſunt veſtes animæ, ſint puri & albi ſicut nix, etiam immutabimur, beabimur, transfigurabimur.*

506. Si iſta ſubtilia videntur, & quę ſpeculationem & non praxin concernant, ſubminiſtrabo exemplum, in quo ſingula reducta videatis ad praxim. Solebat dicere Hipponenſis Epiſcopus, neminem etſi nullius ſceleris ſibi conſcius eſſet, committere debere, ut ſine pœnitentiâ migraret è vitâ. [ut canitur Lect. VIII.] ac ideò illius exemplo jam jam moribundus Bernardus gloriam peroptabat divinam, & præmittens CHRISTI merita, ſubſumenſq; cooperationem propriam, ſummâ

mâ confidentiâ & ſpe repoſitam eſſe ſibi gloriæ coronam inferebat. Adeſt princeps Tenebrio, & Divo inſultans: Non ſunt condignæ hujus mundi paſſiones, ait, ad futuram gloriam: & empyreum Bernardo nullo jure poſſe dari contendit. Et Melliſluo Doctori ſuæ rationi inſiſtenti concedit majorem, minoremque, hoc eſt, CHRISTI merita & cooperationem humanam, at inſolens ſubnegat conſequentiam. Sed hanc Bernardus ſic oſtēdit. *Duobus titulis*, ait, *CHRISTO eſt corona debita jure paſſionis & hæreditatis. Hoc ille contentus jure coronam iniit, & mihi reliquit jus ſanguinis, quod juxta tabulas cœleſtes clariſſimum & certiſſimum eſt*. Ecce oſtenſivè Abbas Melliſluus firmavit ſyllogiſmi ſui ſecuritatem.

De Reductione ad impoſſibile.

507 PVdore ſuffuſus eximiò ſubtraxit ſe tenebrarum athleta nec habuit, quid contra Reductionem oſtenſivam reponeret; & iterum conſequentiam reiicit, & Reductionem oſtenſivam non curat. Quid remedii? Eandem rationem ad impoſſibile (ſic loquuntur) reducere, illumque fortiùs & robuſtiùs urgere. *Si compatimur & conregnabimus* inculco. Et Verba Hugonis de S. Victore repetens conceptum urgeo, inclamoque, *Domine, ſi per impoſſibile decipimur: à Te ſolo decipimur, tot enim & tam prodigioſa ſunt facta in noſtræ demonſtrationem Fidei, ut non potuerint ab alio fieri quàm à Te.* Cùm igitur Tu ſis prima Veracitas, mentiri impotens, nos decipi impoſſibile eſt. *Exeat ergo ſermo inter Fratres, quòd diſcipulus ille non moritur*, ille nimirùm, qui è corde ſincero vota emiſit, ſpiritumque poſt laudabilem perſeverantiam. Hic enim, licet oculis inſipientium viſus ſit mori, à vitâ tranſivit ad vitam, in pace eſt, & laureâ æternâ coronatur.

Hæc nobis promiſſa fuit in Profeſſione, ab Antiſtite, nomine DEI dicente, *Servanti hanc legem cæleſtiâ regna patebunt*. Hæc, niſi per nos ſteterit, olim nobis donabitur; quoniam facientibus quod in ſe eſt, DEVS non denegat gratiam, & iſtâ bene utentibus DEVS non denegat gloriam. *Ad quam nos perducat. &c.*

POLITICA.

508 VBeriùs in Morali Philoſophiâ eius eſſentiam, cauſaſq; internas & externas expono; nunc omnia raptim. Politicam dico *paſſiones mortificandi ſcientiam*; qui enim diſſimulare nequit, imperare non poteſt. Et eſt duplex; adæquata & inadæquata. Omnes illa paſſiones dictamini rationis ſubiicit; hæc aliquas ſubordinat aliis, & ut iſtis miſerabiliùs perturbetur, eas omnes ſubiugat, quæ morbo oppoſitæ. Sic avarus. Cupidus, tenaxque ſiti divitiarum laborat; nec oblatam medicinam acceptat; mavultq; quiete, immò & vitâ carere, quàm theſauris. Omnibus omnia factus, nihil non tolerat, nihil non ſuffert, undè poſſit lucrari. Quæcumque incommoditas emolumentum importat, grata ei ſubvenit; ſi non importet illud, nulla felicitas ei grata. Ecce; vides. Omnes ipſe paſſiones ſubigit, refrænat, continet; ut liberiùs ſuum pectus Avaritia poſſideat. Similis opum Cupidini, voluptatum Cupido. Omnis eſt amans amens: & quia proci ſunt martyres, ſicut Roma in album Sanctorum ponit Cœlites, qui pro CHRISTO ſunt mortui; ſic etiam Babylon nigro lapillo notat illos, qui pro ſe fuerunt paſſi. Deſipit omnis amans: & ille ſapit unicus, qui omnes ad unam paſſiones, & perturbationes odio habet. qui omnes DEO & Rationi ſacrificat, qui omnes mortificat, ut unus in humanâ Ratione DEVS; ut una in humano DEO vivat Ratio. Rationalis igitur non eſt, qui veræ Politicæ ignarus.

509. An-ne etiam hac Arte indigent Religioſi? Sed qui magis? Indignus enim glorioſo Religionis nomine, qui perturbationes non relēgat, qui paſſiones non rēligat. Homo eſt, obſer-

vante

Digitized by Google

vante Ariſtotele, *vivens aſſociabile.* Et Religioſus, quia vitam profitetur communem, *aſſociatum eſt vivens.* Et ſocietatis iure tenetur vivere proximo & ſibi. Malo illum viventem dicere, quàm animantem; quia vivit & ſentit animans, & Religioſus (hoc eſt, verus Politicus) vivere debet, non ſentire. Senſu realiter carere nequit; at debet carere virtualiter, nec plus moveri inevitabilibus ætatis ebullientis motibus, quàm lapis.

Hanc veritatem nunc tango, alibi perſequor; ſed quia me iuvant Orationes ſequentes, eas adiungo: & omnes, qui ratione præditi, ad Politicam religioſam invito.

ORATIO XX.

De Dominica Nativitate & Commendatariis Monaſterii.

ANte aliquot annos in Belgio Religioſorum divitum monaſteria ſubiici & commendari Epiſcopis multi ſenatores optarunt. Viam voluntati ſuæ aperuerunt, conſulendo Lovanii & Duaci Viros Maximos, qui ab ipſis circumventi re minùs intellectâ pronunciarunt, Ad majorem DEI gloriam conducere, impediretur novorum Abbatum Electio, & Monaſteria Epiſcopis committerentur. *Huic errori ſubſcripſerunt Iuriſperiti plurimi, & Doctores Theologi non pauci. Omnes ſæculares, & Monaſticæ rei omninò ignari. Conveni aliquos, qui ſe malè informatos à parte adverſâ palam profeſſi ſunt, tamen non revocavere conſilium, quia abyſſus abyſſum invocat, & vel minimus error ſub initium admiſſus multorum errorum eſt parens. Plura ego ſcholaſtico calamo, ſed quia inter alia, dum procella ſæviebat, hanc Orationem in aulâ declamavi, illam ſubſcribo, ut videat candida poſteritas, quo debeat modo judicare, cùm de Commendis diſſeritur.*

POlitica definitio traditur. Paſſiones mortificandi duplex modus. duplex Politica. Cupido divitiarum & voluptatum. Mortificatio totalis & partialis. 508. *An Religioſi ſint docendi* Politicam? *An homo ſenſibus carere valeat?* 509.

CHRISTI Nativitas cum Commendatariis Prælaturis componitur. 510. *Religioſorum commendati Cœnobii quærimonia.* 511. *Imperium peregrini durum.* 512. *An Angeli multò ſint nobiliores hominibus?* 513. *De æqualitate & ſimilitudine amantium.* ibid. *Qui & quales promoveri debeant?* 514. *Abbas debet regnare à ligno.* 515. *Quid Epiſcopi ambiant, cùm Abbatias ſibi commendari deſiderant.* 516. *Prælatus bonus, CHRISTI imago. non debet quærere bona, ſed bonos.* 517. *De Epiſcoporum cognatis. An debeant haberi juxta qualitatem Epiſcopi?* 518. *Qualiter ſuos habuerit Marcellus Summus Pontifex?* 517. *CHRISTVS & Pontifex & Abbas. Habet cognatos pauperes, neminem exſpoliat, ut eos ditet.* 519. *An liceat Eccleſiaſticis majoribus & potentioribus minores & debiliores devorare?* 520.

THEMA. *Et incarnatus eſt de Spiritu Sancto, ex MARIA Virgine, & Homo factus eſt.*

510 Terret me Auditorum Majeſtas; ipſaq; hærentem & percunctantē cogit, uterq; ut ſub ipſum initium cogitem, quî poſſim meos conceptus perſtringere. & gravi citiùs pondere cogitationum liberari. Iuſſus, vocatus adſum. Et quidem dicere neceſſitatis eſt, at indicere fuit voluntatis. Indixiſtis; & ut in obediendi neceſſitate reluceret libertas, materiam non determinaſtis. Sed quam ego aliam eligam ipſomet Dominicæ Nativitatis die, quando Archangeli reboant, *Puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis*: quando exercitus Cœleſtes reſonant, *Gloria in excelſis DEO & in terrâ pax hominibus, bonæ voluntatis*. Agam de Filio nato, dato; de cœlo & terrâ; de pace & bello; de bonâ & malâ voluntate. Et quia

Na-

Digitized by Google

Navita de ventis, de tauris narrat arator,
Enumerat miles vulnera, paſtor oves.

Ego Monachus regulares limites non egrediar, ſed celeberrimam Controverſiam, quæ his diebus Doctiores & Sanctiores perturbat, moraliter examinabo.

511. In veſtro heri Senatu [Sereniſſime Princeps; Excellentiſſimi Heróes, Summi Regni Summantes] acriter controverſum, An Monaſterium N. debeat ſæculari Principi commendari. Si adhuc res eſt in integro, arbitrio egetis; ſi habita reſolutio, homines eſtis; & ſapientes mutare ſciunt conſilia cùm rationes mutantur. Omnia infecta credidero: at Monaſterii incolæ, qui facta credunt, concentum diverſiſſimum inſonant, & inter lachrymas ſingulorum hos gemitus & ſuſpiria pronunciant. [*Nec puer natus eſt nobis, nec filius datus eſt nobis!*] Quis Superiorem toleret, antè datum, quàm natum? An-non debet ab omnibus & ex omnibus eligi, qui antiſtet omnibus? Quem non vidimus Cœnobii filium, quomodo tolerabimus patrem? Et quem ſuo gremio non concepit Communitas, quo jure opinabitur fratrem? Per gradus ad ſummum contenditur. Concipitur Monachus, quando veſtitur. Geritur anno integro; & ſi minùs ſit aptus, ante diem exponitur, & abortu prudentiſſimo paritur. Si omnia ad votum eveniant, vota ſolennia emittit; & ſub profeſſionem ipſam naſcitur. Filius eſt monaſterii. ſervit ut puer, ſubeſt ut junior, quouſque plenus canis, & meritis, ſummâ dignitate donatur. Ergo invertuntur rationis & prudentiæ leges, cùm vel Soli præcipitur, ut ab occaſu oriatur, vel Aquiloni, ut à meridie ſpiret; vel Terræ, Cœloque, ut invertant ſuos axes: ſive, quòd æquè violentum durumque cùm decernitur, ſit Prior, qui nondum puer; naſcatur, qui nondum filius, detur, qui nondum natus. Si hæc Electionum monſtra admiſſa; in excelſis (hoc eſt, in ſummis dignitatibus) gloria non cantabitur DEO; nec erit in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis. Porrò gloria non cantabitur DEO, quia ſi eligitur, qui voce caret, mutus erit; erit aloga electio, & inveſtitionis literæ fortè erunt vel mutæ, vel liquidæ; non verò conſonæ vel vocales.] *Hæc illi*, Sereniſſime Princeps. Vocales ſunt; audiri debent; maximè cum ſint unanimes, concordes, conſonantes.

512. Durum eſt alienigenæ imperium; nec ſimul volitant, niſi concolores ſint aves. & ne vel argumentum deſeram, vel Solennitatis obliviſcar, illud iſti coopto, & ſic diſcurro.

Sicut in nocte (verbis utor Chryſoſtomi in Matth. 25. homil. 54.) *rerum facies non apparet, ſed & gemma quaſi lapis videtur; ſic ante adventum* CHRISTI *humanorum cordium non apparebat differentia; ſed & mali quaſi boni ſuſtentabantur, & boni quaſi mali condemnabantur.* Erat quidem ſummum inter ipſos diſcrimen; at quia nox erat, non poterat ab hominibus percipi: & impatientes iſti in varias ſententias & placita diſcerpebantur. *Dixit inſipiens in corde ſuo: Non eſt DEUS*; ſi enim eſſet, & ſi juſtus, cœleſtes à ſceleſtis diſtingueret. At DEUM impium admiſit & diſperiit; Sic infit. *Quid enim læſos impunè putaret,*
Eſſe DEOS? Servat multos Fortuna nocentes,
Et tãtum miſeris iraſci Numina poſſunt. Luc. 3.
Et audėtiùs Politicus (ex Ariſt. libr. de Mund. cap. 6.) *quod in nave gubernator*, ait, *quod in curru agitator, quod in choro præcentor, quod denique lex in civitate, & Dux in exercitu, hoc DEUS in mundo.* Et ſubſumit; At Navarchus eſt homo; homo eſt Athleta; homo eſt Chorarcha; homo Princeps: & animosè infert, Ergo ſit homo DEUS. Durum eſt heterogeneum regimen; & à terris ad cœlos nimis magna diſtantia.

Sic Politicus. Ejus verba non arguo, non examino; ſcio autem, ſive ex ratione, ſive ex fragilitate prolata, ab eo, qui ſummam ſapientiam ſuam noſtræ ignorantiæ attemperat, audita fuiſſe.

513. Aut erro; aut immenſa illa Pietas reſpondit. [Duo inter amantes neceſſariò reperta; Æqualitas, & Similitudo; quoniam *Non bene conveniunt, nec in unâ ſede morantur Majeſtas & Amor*; & iſte tantæ virtutis eſt, *ut amicos aut ſimiles inveniat, aut faciat.* Amo hominem; Majeſtatem depono, æqualitatem affecto. Angelum non apprehendo, ſed ſemen Abrahæ. Non Angelum; quia tametſi inter Homines Angeloſque non ſit magna inæqualitas, eſt maxima diſſimilitudo. Cùm creavi hominem, *minui eum paulominùs ab Angelis, gloriâ & honore coronavi eum, & conſtitui eum ſuper opera manuum mearum*; at corporeum feci, & Spiritus oſſa & carnem

non

non habent. Apprehendam igitur ſemen Abrahæ; Volo memetipſum exinanire (ne abſit æqualitas:) volo etiam (ne abſit ſimilitudo) formam ſervi accipere, in ſimilitudinem hominum fieri; volo eſſe homo. Amo homines; amo ſuavitatem regiminis; nolo illos ab alio regi, quàm ab homine.] Sic DEVS loquitur hodie; niſi mea me fallit meditatio.

514. Ergo (Sereniſſime Princeps) ſi expedit, ne homo ab alio regatur, quàm ab homine; expedire conſequenter videbitur, ne Monachus ab alio, quàm à Monacho; ne Eccleſiaſticus ab alio, quàm ab Eccleſiaſtico; ne ab alio, quam à religioſo, religioſus. Abeant igitur, quicumque ſub boni politici ſpecie monſtra ſententiarum protrudunt, & ſuadere conantur poſſe à diſcoloribus avibus ſocietatem iniri. DEVS, ut dulciùs gubernaret homines, factus eſt homo. fuit conceptus, fuit natus, fuit puer, fuit junior, fuit ſubditus illis, (videlicet, MARIAE & Ioſeph) fuit paſſus; & tandem regnavit à ligno. Igitur, ſi placeat Monaſterium illi aut alteri Principi gubernandum committere (vel ut hodie loquuntur, commendare) fiat monachus. Concipiatur ab Ordine, anno regulari probetur, & ſolennis profeſſionis virtute exuat veterem hominem, novum induat, & DEO naſcatur. Sit in obſequio puer, in ſubordinatione junior, in obedientiâ ſubditus: Religionis auſteritates experiatur, tollat crucem ſuam cum reliquis, & ſequatur CHRISTVM; & poſteà, ſi placeat, à ligno regnet, & ſit dominus.

515. Sed cur à ligno? Quoniam à ligno regnat CHRISTVS; & Antiſtes, qui à ligno non regnat, non eſt bonus. Vt conceptum intelligas, aliquid ſubjungere oportet. Tres vitas enumerant Philoſophi, vegetativam, ſenſitivam, & Rationalem, arbores habent unicam, & Animantes binas; ternas Homo. at Homo-Princeps; Homo-Abbas; debet eſſe Homo & Rex; quà Homo habet ternas, quà Rector unicam; & quà Homo-Prælatus, ternas quæ ordinentur ad unicam.

516. Multi ambiunt Abbatias, ſed eodem deſiderio non omnes. Divitias, commoditates, & voluptates multi; Crucem, curas, & ſolicitudinem pauci. Sed hi condolent reliquis, & (pſalm. 19.8.) inquiunt, *Hic in curribus & hi in equis: nos autem in nomine Domini DEI noſtri invocabimus: Ipſi obligati ſunt & ceciderunt, nos autem ſurreximus & erecti ſumus.*

Vel dicite. Epiſcopus, quando Abbatiam poſtulat, quid poſtulat? Authoritatem? Infulas? Minimè. nam Abbatialis dignitas Epiſcopali minor eſt; & quæ Abbatum reſpectu ſunt privilegia, reſpectu Epiſcoporum ſunt jura. Quærit-ne curas? nec has. habet enim propoſitum, denominandi Præpoſitum qui Conventum gubernet. An quærit DEVM? id non video. Si enim cauſa DEI quæreretur, qui ambiunt Abbatias, etiam Capuccinorum Guardianatus ambirent; non enim minus apud Capuccinos, quam apud Monachos, reſidet DEVS. At Abbatia ambitur, de Guardianatu nemo Pontifex cogitat: ergo aliquid quæritur præter honorem, aliquid præter onus, aliquid præter DEVM. Sed quid illud? Subſtantia Monaſterii & quantitas: de qualitate enim & reliquis rerum categoriis non ſunt ſoliciti.

517. Prælatus, ut ſit bonus, imago CHRISTI debet eſſe: hunc aſſequetur, ſi ſequatur Apoſtolum dicentem, *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego CHRISTI*. At ſuis ſubditis dicebat Paulus, *Non veſtra, ſed vos*: cùm tamen Commendatarii Antiſtites ſuis Religioſis, velint nolint, dicturi ſint, *Non vos, ſed veſtra*. Non quærunt homines, quos regant; ſed ſolùm theſauros, quos exſpolient. Tollantur loculi, nec erit Abbas Commendatarius, qui tollat locum noſtrum & gentem.

518. Sed jam audio. Nec mirum, ſi vel ſemel audiam, quod centies dicitur. *Epiſcopus habet multos cognatos, dicunt; qui debent ſecundùm ſuam qualitatem tractari*. Etiam cognatos habuit CHRISTVS, nec quempiam exſpoliavit, ut eos ditaret & magnificè haberet. Cognatos habuêre multi Sancti Pontifices, quos amarunt, ut æquitas poſtulat & ratio. Paucis diebus Pontifex Marcellus fuit: at illis paucis tanta præſtitit, ut libris integris capi non poſſint. Spondanus. *Carni & ſanguini adeò nihil* (Marcellus) *tribuit, ut neminem propinquorum Romam venire voluerit. Imò nec fratrem quidem. Duos parvulos fratris filios, quos ipſe in urbe educabat, à nemine ſalutari paſſus, quo tempore Pontifex fuit, nunquam viderit, Interpellatuſque, An in palatium ipſi ex privatis ædibus introducendi eſſent; Quid, inquit, illis cum palatio? Eorum-ne id patrimonium eſt*. Frivola igitur ratio

Digitized by Google

tio illa eſt, quæ à cognatorum ſumitur paupertate.

Vel eſto. Debeant haberi ab Epiſcopo Agnati *ſecundùm qualitatem ſuam*. vim hujus reciproci pro nominis non bene intelligo. Quem illud afficit? Epiſcopum-ne, an cognatos? Debere cognatos tractari ſecundùm qualitatem Epiſcopi, nimiùm gravis & intolerabilis exorbitantia mentis eſt: debere illos ſecundùm eorumdem qualitatem juvari, minor eſt error; & qui poſſit utcumque tolerari. At hoc nullius injuriâ fit, ſi cognati pauperes cum reliquis CHRISTI pauperibus ſtipem recipiant ab Eccleſiâ, & divites cognati orentur, juvent Epiſcopum ut miſeros poſſit juvare. Sic rem intelligo, ſic rem mecum univerſi prudentes: at omnia aliter illi, qui putant ſe abuti infulis, ſi cognatos ad Comitatus & Marchias non promoveant.

519. DEI Filius Summus erat Eccleſiæ antiquæ Pontifex, & retentâ dignitate ſupremâ Abbas fuit, octavo ad Romanos Apoſtolus; *Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus ABBA, Pater*. & nihilominùs ovium ſuarum vellera non totondit, ſed animam ſuam poſuit pro ovibus ſuis. Hodie jacet in præſepio, & non ſolùm cognatos habet pauperes, ſed matrem nutritiumque (MARIAM, Ioſephum) ſeſe manuum labore & vultûs ſudore tolerantes. Imò ipſemet nudus & miſer, alget, luget, dolet; nec jubet Angelis Miniſtris ſuis, exſpolient & depauperent divites, ut ſe tegant.

520. Rem verbo claudo. Dicitis, *Auferre à Monachis & dare Epiſcopis perinde eſt; nam omnia manent in Eccleſiâ*; dicam & ego, *Terere & delere cives & eorumdem opibus augere Conſules, perinde eſt; nam omnia manent in Republicâ*. An adquieſcitis? Et, ſi hoc ſecundum eſt verum, cur non facitis? Et, ſi hoc ſecundum non licet, cur illud priùs vobis licere exiſtimatis.

Hodie DEUS ſe exinanivit, ut homines divites faceret; Superiores propinquiores ſunt CHRISTI Vicarii, & tunc permittendi, me judice, monachos egenos devorare, quando naſcatur alius CHRISTUS, qui ut dives ſit, Chriſtianos univerſos exſpoliet. Sic ſentio. Sic (ut puto) ſentitis. & ſi ſic faciatis, (quod ſpero) natus in veſtris cordibus CHRISTUS Dominus vos gratiæ theſauris ditabit in hac vitâ, & poſt ſeros annos conducet ad æternam gloriam.

ORATIO XXI.

De Chriſto olim Bethlehemi, Madriti iterum à tribus adorato Regibus.

OMnia eſſe Regia. Cooptantur Magi & Magni utriuſque Hiſpaniæ Reges. 521. *CHRISTUS eſt Rex quà DEUS.* 522. *quà Homo.* 526. *etiam confeſſione Magorum.* 532. *MARIA Angelorum Princeps; trino jure Regina, trinum Regem colit, & colitur à tribus Regibus.* 535. *MARIA Medicæa trium Regum mater, miſerrimè exulat, & pauperrimè exulat, & pauperrimè obit.* 533. *VVenceſlaus trium regnorum Rex, tribus vulneribus confoditur.* 534. *Tribus literis (videlicet, F. L. & R.) carebant Braſilienſes: & cur?* 523. *An regnare, ſit facere cælum & terram?* 523. 524. 525. *Cauſarum ſubordinatio.* 526. *Reges orthodoxi inveſtiuntur à CHRISTO.* 529. *Aurum, Thus, & Myrrha, quid ſignificant?* 532. 533. 540. *Filii Regum Reges: Clariſſima Clariſſimorum Virorum Sponſa.* 530. 538.

Digitized by Google

521 OMnia hodie Regia. Rex eſt qui adoratur; Reges ſunt qui adorant: Reges qui audiunt. Ille CHRISTVS Dominus, quem acclamarunt Regem Militiæ Cœleſtis exercitus, cujus Auguſto nomini amor penditur,& reverentia,indicente DEO Patre, *Vt in nomine IESV omne genu flectatur Cœleſtium, Terreſtrium, & Inferorum; & omnis lingua confiteatur, quia Dominus IESVS-CHRISTVS in gloriâ eſt DEI Patris*. (ad Philipp. 2. 10.) Iſti ſunt Gaſpar, Melchior, Balthaſar, Regionum Orientalium Reges, ad pedes Parvuli, ad genua Matris provoluti, qui confitentur Cœli Terræque Regem, clementiam orant, tributa & vectigalia pendunt. Hi ſunt Philippus, & Eliſabetha, amantiſſimi conjuges, uterque à religione Magnus, qui ſe tribus aliis adſociant, ut habeant benigniorem audientiam. Regina eſt etiam Mater Regis Infantis, per quam omnia, quæ miſericordiam concernunt, facta ſunt, & ſine ipsâ factum eſt nihil. Nos omnes miſericordiam imploramus, & obtenturi à Filio provoluti in terram alloquamur Parentem, & dicamus. Salve, Regina Cœli & Terræ; Animarum & Corporum; Angelorum & Hominum: Mater CHRISTI, adeòque Mater Miſericordiæ, quoniam Miſericordia in abſtracto ut loquimur, CHRISTVS eſt, cui proprium miſereri ſemper & parcere. Tu es morienti Vita; tu lugenti Dulcedo; oranti Spes; Nobis igitur Spes es, quia oramus; nimirùm, Gratiam Regi, Gratiam Auditoribus, Gratiam mihi. Illâ egeo, ut de tot Regibus coram tanto Rege digna loquar: illâ Rex, ut ſub Rege CHRISTO, Sanctis Regibus ſimilis eſſe contendat.illâ reliqui Principes, Nobiles, Plebæi, ut Philippo Regi CHRISTI Regis in politicis & ſæcularibus Vicario bene obediant, ad ejuſdem DEI majorem gloriam, & authoritatem Eccleſiæ. Præcurſor ſum; Vos me animis linguiſq; ſequimini, Orthodoxi Auditores, & humili reverentiâ Angelorum Reginam interpellate, & dicite, *Ave MARIA*.

THEMA. *Magi venerunt Hieroſolymas dicentes, Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum?* Ex evangelica lectione Matthæi 2. capite.

AVdio Regẽ vocari Chriſtum, & hoc à Regibus, qui ſunt titulorum avari. Rex igitur,noſter parvulus eſt; & hæc veritas Regum trium regio teſtimonio firmatur. Vnde ergo habet CHRISTVS Dominus, quod Rex Regum & Dominus ſit Dominantium? Ab Hypoſtaſi, à Naturâ, à Privilegio; eſt enim divinitùs & humanitùs Rex.

§. I.

Chriſtum Dominum quâ DEVM Regem eſſe.

522 REgia authoritas, quocumq;nomine ſignificetur,ſuprema eſt; nimirũ aut abſolutè,aut in aliquo ordine particulari. Rex eſt in aliquo particulari loco qui in illo nullũ cognoſcit ſuperiorem:abſolutè,qui ubiq;Rex,& ubiq;indepẽdens. Hoc modo regnat ſolus DEVS, & illo Homines,unde Iſaias 37. 16. *Tu es DEVS ſolus omnium Regnorũ terræ.* Sed cur?Rationem ſubiicit, *Tu feciſti cælum & terram.* Regnat igitur DEVS, quia facit; regnant ſub DEO homines,non quia deſtruunt, non quia otiantur, ſed quia in ditionibus ſuis faciunt cęlum & terrã.Sed dicis.Domine omnem Principum authoritatem ad ędificationẽ à DEO concedi,& nõ ad deſtructionem ſcio.à Paulo didici;ſed quod ædificare ſit facere cęlũ & terram,non audiveram. magnum Hiſpaniæ Regem ob oculos habeo, at illum cœlum terramq;feciſſe nõ video, & tamen eum eſſe verũ Regẽ video.Volo doceri,an,& quãdo Catholicus noſter Monarcha fecerit cęlum & terrã?

523. Vt reſpondeam propono Americæ Regionem optimam,auream provinciã,quam Luſitani detexerunt; Braſiliã,inquam,armẽtis & ſaccaro divitem,adeòq; terrã fluentem lacte & melle;& tamẽ juxta proprii Idiomatis verã pronuntiationem ante advẽtum Hiſpanorum carebant tribus literis; videlicet, F.L.& R.cujus avariſſimæ pronunciationis Iuriſprudentia Viennenſis in Quadriga Famæ Regiæ acutè & floridè ponit & expedit rationem. ait enim,

Sic!

Sic ! eL, eF, eR, quid ſit neſcit Braſilia ! Regno
Et toto triplex iſte character abeſt !
Cur? quia Lege, Fide, ſimul & ſunt Rege carẽtes,
Ne ſcelus ultores poſſit habere ſuos.

Ecce Braſilia erat inanis & vacua, merum chaos, indigeſtaque moles. Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas, & navigatione fœlici illuc Hiſpanum intulit. Hic venit, vidit, & fecit cœlum & terram. Ecce Braſilia chaos erat, cum primum leges habuit, terra fuit; quia jam fidem habet, cœlum eſt; recti enim legibus homines peregrinamur in terra, & ubi fide erigimur, converſatio noſtra in cœlis eſt. Hiſpanus igitur, quia ex Braſiliano chao & familiarum confuſione fecit cœlum & terram, eſt Rex.

524. Firmet conceptum iſtum, Latium, antequam eſſet politica Terra. De Saturno lego,

Is genus indocile & diſperſum montibus altis
Compoſuit, legeſque dedit, Latiumque vocari
Maluit, his quoniam latuiſſet tutus in oris.

Et de Latinis,

At bona Poſteritas puppim formavit in ære
Hoſpitis adventum teſtificata DEI.

Ecce Itala regio chaos politicum erat, morum mera confuſio, & poſſibilitas moralitatum: erant Itali efferi nec cicurati homines, indocti, indociles; diſperſi per valles monteſque, antra ferarum habitantes. Favet Domini Spiritus, ecce Saturnus, (eum putant doctiſſimi eſſe Chamum) qui ferebatur ſuper aquas, appellit ad ignota littora. Vix pede arenam tangit, cum indigenæ gentis barbaram inhumanitatem experitur. Illos (me ſententiam ſententiæ cooptante) gravi ſermone compeſcit, & ſic inquit.

Quod genus hoc hominũ, quæve hunc tã barbara (morem
Permittit Patria-hoſpitio prohibemur arenæ.
Bella cient, primâque vetant conſiſtere terrâ!
Si genus humanum & mortalia temnitis arma,
At ſperate DEVM memorẽ fandi atq; nefandi.

Ecce Italia terra politica non erat, quoniam exlex; cœlum non erat, quoniam carebat fide. Sua prudentiâ Saturnus compoſuit humanitate efferos Latinorum animos, leges dedit, & ex antiquo morum chao, fecit terram politicam, & nomine *Latii* donavit, jus enim imponendi nomina ſoli debetur Conditori. Regionemque divinitatis inſciam, cum docuit eſſe DEVM memorem fandi atq; nefandi, fide inſtruxit, convertit in cœlum; & quia ex confuſo illo chao fecerat cęlum theologum & politicam terram, fuit primus Latinorum Rex.

525. Aperito igitur oculos, *Monarcha maxime*, *Monarcha optime*; officio Regio ſatisfacito, &

Si genus humanum & mortalia tempſeris arma,
At ſperato Deum memorem fandi atq; nefandi.

Porrò dormire in altam diem, in utramque aurem, molliter quieſcere, veſtibus pretioſis ornari, opiparè vivere, ludere, venari, otiari (ne alia dicam, quę ſolent eſſe plebi ſcandalo) eſſe regem non eſt, regia enim dignitas in actione conſiſtit. Ille profectò verè eſt Rex, qui in ſibi commiſsâ Regione facit cœlum & terram; terram politicam condendo leges (Regio enim quæ lege caret, non eſt terra politica) cœlum implantando religionem & fidem (Regio enim quæ fide caret, cœlo caret; & quæ verâ imbuitur religione, cœlum humanum eſt.)

Si hoc verum Domine, errant, errant Hiſtoriographi omnes, cùm annos Regnorum & Imperiorum numerant, nam ſi regnare eſt leges condere & manutenere, fidem inſerere & defendere; quamdiù aliquis aut leges violat, aut fidei defenſionem negligit, tamdiù ille non eſt Rex. Qui vult igitur eſſe Rex, debet jubere obediendo, religionem inducere religionem ſervando, nam ut eſt apud Poëtam neſcio, quem

Rex regnat ſolus, ſed non regit omnia ſolus;
Qui regit & regitur, rectiùs ille regit.

oportet enim Rectorem hominum dirigi à DEO. DEVS eſt Rex per eſſentiam, & quia CHRISTVS DEVS eſt, Rex per eſſentiam eſt. Terram ipſe fecit Cœlum; phyſicè, quia elementa omnia condidit, & Cœlo cinxit moraliter, quia hominibus leges & fidem dedit.

§. II.

CHRISTVM Dominum quà Hominem Regem eſſe.

526 CONſiderat attentè Ariſtoteles motus naturalis eſſentiam, & quia proceſſus infinitus repugnare dignoſcitur, ſic diſcurrit. *Quod movetur ab alio movetur, ergo, ne in infinitum procedatur, ad motorem im-*

Digitized by Google

motum, qui ab alio non moveatur veniendum eſt; hic eſt cauſa prima, hic eſt DEVS. Hinc oritur naturalis Concluſio, quam hoc Diſtico expendo.

Nos Elemēta movēt, Elemēta movētur ab Aſtris,
Hæc Cæli, Cælos Angelus, huncque DEVS.

Et ad Mundum politicum converto oculos, contemplor homines, regentes rectoſque, & *Quod regitur, ab alio regi,* confidenter pronuntio. Sanè omnes Reges obediunt, & omnes Superiores ſunt ſubditi; ergo-ne proceſſum infinitum admittat Ethica, quem negat Phyſica, veniendum eſt ad Regem aliquem, qui regatur à nemine, ad Dominum cujus nemo ſit Dominus, ad Superiorem nulli ſubditum. Hic eſt Rex Regum & Dominus Dominantium; hic eſt DEVS; *quoniam domini eſt regnum & ipſe dominabitur gentium.* Pſalm. 21. 29. Hinc omnis Regia authoritas & omnis Cæſarea poteſtas derivatur, teſte enim Iacobo 1. 17. *omne datum optimum & omne donum perfectum de-ſurſum eſt deſcendens à Patre luminum*, quod explicat liquidiùs Paulus ad Rom. 17. 1. dicens, *Non eſt poteſtas niſi à DEO.* nempe dicente, *Per me Reges regnant, legum Conditores juſta decernunt. Per me Principes imperant, & Potentes decernunt juſtitiam.* Proverb. 8. 15.

527. Inſtructus erat hac doctrinâ Sanctus ille Hipponenſium Epiſcopus, cujus debemus converſionem Ambroſio; ſermone enim primo in Pſalmum XXVII. ſic inquit. *DEVS ille, cujus in manu cunctorum ſunt jura Regnorum, & quem inter & hominem homo IESVS-CHRISTVS mediator exiſtit* (1. ad Tim. 25.) *eſt Pater & Filius & Spiritus Sanctus.* Ecce CHRISTVS, quà DEVS cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat per omnia ſœcula: quà Homo ſub DEO Rege, ſuper Hominibus Regibus, Rex Medius exiſtit, ut certum ſit omnem Poteſtatem humanam, quam Ordinariam dicimus, à DEO ſubdelegatam eſſe. Ordinaria regnandi authoritas à naturæ neceſſitate DEO competit; ipſe eſt DEVS per eſſentiam. CHRISTVS quà DEVS, Rex per eſſentiam eſt; quà homo per participationem. Illi DEVS authoritatem ſuam delegat, quam ipſe ſubdelegat Hominibus, inter DEVM & Homines Rex medius. Legationem probandam aſſumo; poſtmodum Subdelegationem explicabo.

528. Dixerat David Pſalm. 8. 8. *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus*, quod carmen Paulus ad Hebr. 2. 8. intelligit omninò de Chriſto. *Non enim Angelis*, ait, *ſubjecit DEVS Orbem Terræ futurum, de quo loquimur. Teſtatus eſt autem in quodam loco* (Pſalm. 8. 8.) quis? (David) *dicens——Glorià & honore coronaſti eum* (ubi coronam audis, Regem intellige) *& conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus. In eo enim, quod omnia ei ſubjecit, nihil dimiſit non ſubjectum ei.* Eſt igitur CHRISTVS univerſorum Rex; ideòq; *adorabunt in conſpectu ejus univerſæ familiæ gentium.* Quod & pronuntiat ipſe CHRISTVS, cùm ait Pſalm. 2. 6. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo.* & Matth. ult. v. 18. *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cælo & in Terrâ.*

529. *Per me Regem ſummum, conſtitutum à nemine, omnes Terrarum Reges regnant,* abſolutè & ſine ullâ limitatione inquit DEVS; at CHRISTVS, *Ego quidem conſtitutus ſum Rex à DEO; ſed per me Reges regnant. Mihi legavit Regiam authoritatem DEVS, hanc ego Regibus humanis ſubdelego.* Hinc jam intelligo cur l. 6. Cod. de ſumma Trinit. Iuſtinianus Conſtantinopolitanis ſcripſerit. *Cùm Salvatorem & Dominum omnium IESVM-CHRISTVM, verum DEVM noſtrum colamus per omnia; ſtudemus etiam (quatenus datum eſt humanæ menti adſequi) imitari.* Vel clariùs. [Imitatores mei eſtote, ſicut & Ego CHRISTI. Rex veſter ſum, Rex meus eſt CHRISTVS, Rex CHRISTI eſt DEVS. CHRISTVS factus eſt obediens Patri, Regi ſuo, uſque ad mortem, mortem autem crucis. Ego ero obediens CHRISTO, Regi meo, uſq; ad mortem, uſq; ad crucem; vobis relinquens exemplum, ut quemadmodum & ego feci & vos faciatis. Ad crucem igitur & mortem uſq; debetis imperiis noſtris obedire.] *Sic Iuſtinianus:* & meritò me judice, fruſtrà enim imperat hominibus Rex CHRISTO inobediens. Herodes, aſſerente Ioſepho, ſummâ erga Cæſarem obedientia & reſignatione, quantâ ipſe reverentiâ haberi deberet à ſuis prudentiſſimè ſignificabat; ut impoſſibile videatur, regem ſuo Superiori inobedientem, habere ſibi fideles & obedientes ſubditos.

530. Ariſtotelicam demonſtrationem & motuum ſucceſſione & ſubordinatione deſumptam, Ioannes Papa eodem modo quo

nos

Digitized by Google

nos ad politicos mores reduxit. leg. 8. Cod. de ſummâ Trinit. ſic inquit. *Labiis regit Rex. Cor Regis in manu Dei eſt, & quo voluerit, inclinabit illud*. Et meritò. quoniam omnes ſubditorum actiones pendent à Regis labiis; hujus enim eſt leges & jus proferre, illis verò obediendi gloria relicta eſt. Regis labia pendent à Regis corde, quoniam amare debet ſubditos, eorumq; ſalutem & incolumitatem cordi habere. Cor Regis debet eſſe in manibus DEI, & præter ejus legem & voluntatem nihil velle. Rex erat Pſaltes & dicebat, Pſalm. 122. 2. *Sicut oculi ſervorum in manibus Dominorum ſuorum; Sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ ſuæ, ita oculi noſtri ad Dominum DEVM noſtrum donec miſereatur noſtri*. Quoniam Regum voluntas ancillabitur DEO, & intellectus (is eſt Animæ oculus) pendebit à voluntate DEI male enim regnat, qui non invigilat, nec regnare ſcit, qui diſſimulare neſcit. Sunt tempora claudendi oculos, ſunt aperiendi; & hæc diſtinguit non humana voluntas, ſed CHRISTI exemplum, & ſuprema Numinis imperantis authoritas.

531. CHRISTVM ſequi ſtatuit Iuſtinianus; jam vidimus. Sed qui regnarit CHRISTVS inveſtigamus: & prodeſt Sophoclis ingenioſa periodus. *Eſt magnus in cælo Iuppiter, qui inſpicit omnia, & imperat; ſimulque ſcelera æquâ tentat lance, æquatque pœnâ*. Qui ad legem 6. Cod. de ſumm. Trin. eſſe voluerit Rex, eſto Magnus, non enim Capiti & ingenio parvo Regia corona competit. Sed ubi, unde Magnus? In cœlo, non in terrâ; à religione, non à fortunis, non ab armis. Eſto Iuppiter, hoc eſt, Iuvans-pater: fruſtrà enim Rex dicitur, qui ſingulis pater, non eſt; fruſtrà patris officium occupat, qui mavult præeſſe, quam prodeſſe. Ante ſanctionem legis omnia inſpicito, quoniam multa ſunt in legum latione obſervanda, à quibus Iuris prudentia pendet. Sunt recogitanda præterita, periclitanda præſentia, præcavenda futura, ut lex malum caveat Reipublicæ, & bonum referat. Inſpectis omnibus & ſingulis rebus ſubditæ Regioni imperato. Siquis non obediat, ſcelera æquâ tentato lance, æquato pœnâ, ruina enim Regnorum impunitas culparum eſt. Hinc Marcellus II. Pontifex fuit Eccleſiæ ſpes ſumma, quod à capitali ſententiâ regiminis initium ſumpſerit; quoniam Principum negligentia parit impunitatem, inſolentiam impunitas, ſeditiones & rebelliones inſolentia: nemoque ignorat ſplendidiſſimas Mundi coronas rebellione & ſeditione extingui.

§. III.

Magos faſſos CHRISTVM quà DEVM & quà Hominem Regem eſſe.

532 MOtuum eamdem ſubordinationem, quam iterum iterumque dilucidavi, Hiſtoria Regum Orientalium illuſtrat. Sanè hi moventur, & moventur ab altero. Reges à Sydere, Sydus ab Angelo, & iſte à DEO. Solymas veniunt, inquiuntque. *Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum? vidimus ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum*. Ecce quærunt Regem DEVM, Regem Hominem. Regem DEVM? omninò, Rex enim ille, qui habet ſtellas & adorari debet, DEVS eſt. Regem Hominem? etiam; Rex enim ille, qui Bethlehemi naſcitur, Homo eſt. Inveniunt puerum, & apertis theſauris ſuis offerunt, *Aurum, Thus, Myrrham; Regique, Deoque, Hominique*. Iuramento fidelitatis præſtito, receptis feudis, in ſuas provincias redeunt, & poſt varios caſus & temporum obſcura diſcrimina, transferuntur Coloniam, ubi eorumdem Sanctiſſimorum Regum cadavera incorrupta requieſcunt.

§. IV.

De MARIA Medicæâ Trium Regum Matre, in exilio & paupertate ſummâ mortuâ, & Coloniæ depoſitâ apud tres Reges.

533 ET ſiquidem Coloniæ meminero, liceat etiam meminiſſe MARIAE, alto ſanguine Medicæorum ortæ, trium Regum Matris; cujus filia eſt noſtra Auguſta, quã ſuſpicimus. Tibi igitur Philippe Magne ſocerũ tuam, Tibi Eliſabetha Auguſta Matrem tuam repræſento, ut coronæ, & regiæ authoritati diffidentes, decredentes fortunæ, DEO uni, DEO ſoli confidatis. Ab Imperatoribus & Regibus oriũda fuit, venuſtiſſimo corpore, animo prudentiſſimo, Henrici Magni Conjux; illo ſublato Galliarum Moderatrix; demumq; ab invidiâ traducta, victa ab ęmulis, proſcripta à filio, vexata à famulo; ſub ingratitudinis imperio periclitans, in Belgium & Angliam ad Filias pro-

profuga,& tandem Coloniæ defunctà in tantâ paupertate & miſeriâ ut amicorum favore (ne eleemoſynam dicam) debuerit apud trium Regum, quos hodie colimus, ſarcophagum, Mater trium Regum poni. Scio ipſas candelas, quæ moribundæ & mortuæ ſerviverunt, fuiſſe alienas, pannos funereos mutuos, nihil in totâ pompâ proprium. Multa illi Epitaphia alii,& ſupra omnes Reverendiſſimus Caſpar Iongelinus Abbas Euſſerſthallenſis; hoc produco, non quia optimum, ſed quia à me inſcriptum.

Siſte. Trium hîc Regum Mater Regina Maria,
Ignotus claudit quam lapis iſte, jacet.
Mi dederunt Medici nomen, renuêre ſalutem;
Dicitur à Medicis, non datur ipſa ſalus.
Ara trium Regum ſancta me protegit umbrâ,
Et lachrymis Regum me colit aula trium.
Aurũ,Thus,Myrrhã,Chriſto dãt munera Reges,
Hæc etiam Reges dona dedêre Mihi.
Eôi, Occiduique orbis Rex contulit aurum;
E Gallis Myrrham Tu mihi Gnate dabas.
Quæ caret effectu, ſi ſit promiſſio fumus,
Cautior Anglorum Rex Mihi Thura dedit.
Diſcite mortales, quæ ſit Fortuna. Coronæ
Occumbunt,moritur Laurea,Sceptra cadunt.
Regnavi; cecidi: Gnati pertæſa Miniſtros
Fugi: apud externos pauper & exul obiI.
Mens mea materiâ poſitâ à Te Chriſte pependit,
Humano pendet corpus ab arbitrio.
Neſcio terra meum quæ ſit tectura cadaver,
Alterius terram, quâ tegor, eſſe ſcio.

Hæc vera. Et ſiquidem vera omnia, quis ſe fortunæ credet. Vale munde; omnia tua fallũt, & ſub ſpecie boni decipiunt. Pereũt fame Monarchæ, carent veſtibus divites, mutatis temporibus Summi Principes repunt. O Medicæa MARIA! quàm fœlix eſt tua infœlicitas hujus veritatis præconium! quàm Tu efficax hujus doctrinę concionatrix! Moriuntur Reges, óccidunt pompæ, marceſcit laurea, éxcidit Majeſtas, exhauriuntur divitiæ, univerſa fatiſcunt. Ergo, Auguſtæ trium Regum Matris inſtructi potentiſſimo exemplo, nolite confidere in Principibus in filiis hominum in quibus non eſt ſalus; hi in curribus, illi in equis, vos autem in nomine Domini ſperate: Credite vos à tribus Regibus quæſito. invento & adorato Regi, cujus divinitas non moritur, amor non óccidit, benevolentia non marceſcit, gratia non éxcidit, nec clementia exhauritur. Valeant humana omnia; me juvant, quæ nunquam fatiſcunt, divina.

§. V.

De VVenceſlao trium Regnorum Rege, ante diem intercmpto.

534 HEri accidit, quod ob oculos poſui; ſed quia decrepitæ hiſtoriæ à plurimis majoris fiunt MARIAE trium Regum Matri, VVenceſlaum Monarcham trium Regnorum adjungo. Occiſum anno Domini M.CCC.VI. ætatis ſuæ XVIII. ſepultum in Aulç Regię Monaſterio, in quo hæc leguntur.

Vnica perſona tria geſſit ſceptra; Polona,
Atque Bohemalis gens hoc ſcit & Vngaricalis
Hunc, quia regna tria rexit, rege Dia Maria,
Cùm ſis Regina, pia Regi ſis medicina.

Et quidem à MARIA Reginâ Chriſtianiſſimâ meritò ad MARIAM Reginam Angelorum recurritur; altera enim Medicæa, & altera Medicina eſt. Hæc nos grandi patrocinio tuetur; illaque ſuâ tragędiâ nos admonet, non à Medicis ingenio ſubtiliſſimo præditis, non à Medicæis regio ſtemmate natis, ſed à favore Medicinæ cęleſtis, (Virginem Matrem ſubintelligo) ſalutem humanam pendere. Erat VVenceſlaus juvenis, ebullientis ætatis fervore illectus, molli educatione ſeductus, modeſtiæ neſcius, dum minùs timet, dum plus audet tribus vulneribus confoſſus interit [Hagecius, aliique.] Occubuit adoleſcens infœlix & tectus pulvere madidus tabo concionatur, & ait, [Geryones (ſive tres Reges, ſive unus ternâ coronâ redimitus dicantur) periclitaturos omninò, ni ſceptra DEO ſubmittant, & ita regant ſubditos, ut imperio ſupremi Regis ſatisfaciant. Trinus erat Rex VVenceſlaus, & terno illum confodit vulnere ignota manus, viſa in illo ſingulis ictibus interimere ſingulos Reges; quod ſi plures habuiſſet coronas, non ideò habuiſſet plures clypeos, ſed plura vulnera; ille enim qui dat nivem ſicut lanam, & nebulam ſicut cinerem ſpargit, ad menſuram flagitiorum caſtigat, vultque tertio confodi juvenem, qui petulantiâ ſuâ Regiones tres ſcandalizarat. Percuſſo Paſtore non diſperſit, ſed collegit oves, nam Regis ad exemplum totus componitur orbis, & contrito Rege debuerunt univerſi conteri, & illo emortuo utiliter mortificari.

Par-

Digitized by Google

Parricida Regem percuſſit, & corda ſingulorum tetigit, & tangendo monuit, non eſſe divitiis, non eſſe coronis, ſed DEO ſoli fidendum.]

§. VI.

De MARIA Angelorum Reginâ, Regem Trinum colente, & à tribus Regibus cultâ.

535 OCcubuit VVenceſlaus, trinus Rex; obiit MARIA trium Regum Parēs, at fuerunt MARIAE Angelorum Reginæ devotiſſimi. Sic habent Hiſtoriographi, tametſi in utroq; aliqua carpant. Ideò illos cœlum invectos ſpero; nemo enim periclitatur, quem Virgo ſereniſſima protegit. Subaudio VVenceſlaum dicentem,

Verba movēt; exēpla trahūt. Me in flore juventæ
Dum nimiùm ætati confido Parca cecīdit.
Non tria Regna manum, non detinuere Coronæ,
Inſidam. Cecidi. Tu Rex Hiſpane docetor,
Deſperare ſolo, & ſoli confidere cælo.

Subaudio MARIAM Medicæam inclamantem,

Huic, quia regna regit quàm plurima, Virgo MARIA,
Sis via, ſis ductrix, fautrix, medicina, ſaluſque.

Et quia maternus Amor modum & menſuram non patitur, labio liberiore adiicientem; *O Virgo, per excellentiam Mulier dicta, ecce filii tui. Ecce Reges Hiſpaniæ, olim mei, ſed tui.* Subaudio illam ad Vos converſam, Deiparam digito demonſtrantem, dicentemq; unicuique, *Ecce Mater tua.* Ab hac die illam ut Matrem veneremini, ut Parentem colatis. Reges eſtis, at ipſa Regina eſt, per quam regnatis. Hodie ipſa à Regibus peregrinis inviſitur, Verbi infantis immò non-fantis fideliſſima interpres, filii illis nomine terrenas coronas confirmat; ſuo illis nomine cœleſtem impetrat, & eminentiſſimas perfectiones indulget. Accedit illa ad Vos; ejus Auguſtis pedibus laureas ſupponite, & Matrem DEI Filii, Filiam DEI Patris, Sponſam DEI Spiritus Sancti humillimo corde colatis. Porrò Pater eſt Rex, Filius eſt Rex, Spiritus Sanctus eſt Rex; non tamen ſunt tres Reges, ſed unicus & trinus Rex. Eſt igitur Protectrix veſtra, Angelorum Regina, Regis Mater, Regis Filia, Regis Sponſa: adeòq; ex triplici titulo Regina, ex triplici capite Auguſta: & ideò inviſitur à tribus Regibus.

536. Tribus coronis Regiis cingitur Marianum caput, tres Regiæ ante pedes dimiſſæ, correſpondent; habeant aliæ Reginæ tempora, noſtra Auguſta, noſtra Cœli Imperatrix & pedes coronatos habet. Ille enim Infantulus, quem geſtat brachiis eſt magnus in cęlo Iuppiter; ille filiolus, quem vincit ulnis, eſt magnus in cœlo Iuvans-pater; totus ſapientia, totus oculus; inſpicit omnia, grandia, minima; præmiis & pœnis imperat; & quia ſimul ſcelera æquâ tentat lance, æquatq; pœnâ; virtutes etiam æquâ ponderat librâ, æquatque præmio: nec patitur vel unum elicitum propter ſe actum carere coronâ in Empyreo.

Sanè in Mariano corpore, quia ſingula membra DEO ſerviunt, ſingula coronantur; ſed oculos in caput attollo & tres coronas accuratiùs ſuſpicio.

537. Prima imponitur DEI Patris, Regi vivorum & mortuorum Filiæ; filii enim hæredes ſunt, & titulis paternis honorantur. Id notavit Bernardus; *Filios Regum, Reges, & Principum, Principes vocari* aſſerit. quam ob rem, quam Regis filiam credimus, Reginam Cœli eſſe negare non poſſumus; præcipuè ſi *leg.* 8. *ff. de Senator.* legerimus Vlpianum dicentem, *Clariſſimarum fœminarum nomine Filias Senatorum intelligi, ſi & clariſſimarum Perſonarum Sponſæ*; & quidem Spiritus Sanctus Perſona clariſſima eſt. & MARIA Spiritus Sancti ſponſa eſt.

Secunda DEI Filii etiam Regis Matri conceditur; Matres enim Principum Regumque Auguſtæ & Reginæ vocantur. Sermone in Evang. Athanaſius; *Quandoquidem ipſe Rex eſt, qui natus eſt ex Virgine, idemq; Dominus eſt DEVS, ea propter & Mater, quæ eum genuit, & Regina, & Domina, & Deipara, propriè & verè cenſetur.* Accinit 4. de fide cap. 15. Damaſcenus; *MARIA rerum omnium conditarum Domina effecta eſt, cùm Creatoris Mater extitit.* Conſonantia me recreat, & erudit. Coronam Athanaſius Matri CHRISTI Regis concedit, ſubditos Magnus Ioannes Damaſcenus exponit. nam ſi MARIA omnium rerum conditarum eſt Domina; illi, illi;

Cœtus in excelſis famulatur cœlicus omnis
Et mortalis Homo, & cuncta creata ſimul.

Rationem hanc dilemmate forti conſigno; nam vel ex Naturæ Iure, vel ex Civili eſt deſumenda argumentatio; at utrumque coronat Matrem-Virginem; ergo Regia Majeſtas Ma-

Maternitati adnexa in dubium vocari non poteſt. Ius naturæ ſequutus Ariſtoteles 8. Ethic.cap.11. ſic inquit. *Neceſſitudo Parentis & Filii maxima eſt,author enim Pater ejus eſſe eſt; ideò Pater Filiorum naturâ*(non ergo ſolo Iure humano)*imperium obtinet.* MARIA igitur filii Regis imperium obtinet,quod & Evangeliſta teſtatur dicens,*Et erat ſubditus illis*, videlicet MARIAE & Ioſepho. Virgo ergo Mater, non ſolùm Regina;ſed Imperatrix ſumma eſt; Principes enim ſubſunt Regibus, Reges Imperatori: CHRISTVS, qui ſubditur Matri, Rex eſt.Hanc Iuris Naturalis ſententiam Civile roborat,nam *lege 1.ff.de Senatorib.* Saturninus teſte Vlpiano Conſularium Matres *Conſulares* appellat.

538. Tertiam Coronam Spiritûs Sancti, etiam Regis,deberi Sponſæ,ex Vlpiani libr.6. fideicommiſſorum oſtenditur. *Fœmina nupta Clariſſimis Perſonis, Clariſſimarum Perſonarum appellatione continentur*. quod habetur *l.8.ff.de Senator.* & ſibi conſonuerat *Leg. 1.* dicens, *Conſulares autem fœminas dicimus Conſularium Vxores.*

§. VII.

Tres Hiſpaniæ Reges, trium Magorum Regum exemplo, MARIÆ Angelorum Reginæ tribus coronis redimitæ, DEO trino Regi,& CHRISTO tres naturas velut coronas hypoſtaticè unienti, oblaturos tria munera.

539 OMnia, omnia, numerus ternarius metitur,etiam quæ menſurâ omni carent. Tres ſunt Perſonæ in DEO; Pater & Filius & Spiritus Sanctus; omnes Perſonæ Regiæ, nec tamen tres Reges ſed unicus & trinus Rex.Tres ſunt Naturę in CHRISTO; Divina,Corporea,& Spiritualis;omnes Regię, omnes gloriâ & honore coronatæ,nec tamen ſunt plures Perſonæ,ut delirat Neſtorius, ſed unica Perſona & Hypoſtaſis Naturam Divinam ſimpliciſſimam, Humanamq; ex duabus Naturis compoſitam, mirabili modo ſuſtentans. Tres Coronæ ornant Marianum caput; eſt enim Regina, quà Mater, quà Filia, quà Sponſa. Tres coronæ ornant pedes Deiparæ, illuc tranſlatæ à capitibus Magorum Regum. Ergo,Vos Reges tres,Philippe à Religione Magne; Eliſabetha à Pietate etiam Magna, amantiſſimi Conjuges; & Tu Balthaſar, Magna Hiſpanorum Spes; ſapienter ſequimini Reges ſapientes, & Auguſtis Coronis ſacrum loci pavimentum ornate: nunquam enim Corona Regia altiùs eminet, quàm ſi Marianis pedibus ſupponatur.

540. Offerte Filio Virginis, Aurum, Thus,Myrrham;ut Regi, ut DEO, ut Homini: imò ut Reges, ut Dii, ut Homines. Porrò Hiſpaniarum,quà ipſæ per utrumq;orbem expanſæ, Reges eſtis; & quia Reges etiam Humani Dii,& filii Excelſi omnes. Parvulus, qui natus eſt nobis DEVS per eſſentiam eſt; vos per participationem & ſubdelegationem, locum enim DEI occupatis,& Numinis æterni vices geritis; ſed & memineritis quod eſtis homines. Regia Majeſtas aurum fuit; Divinæ authoritatis participium fuit thus;at humanæ fragilitatis memoria Myrrha eſt:amara,inſipida; ſed quæ vos ab omni culpæ corruptione præſervet. Mementote Reges, quia eſtis Homines;ab Hominibus fuiſtis aſſumpti,& ni faciatis digna Regibus, in Homines poteſtis converti. Mementote Homines, quia eſtis cineres, & non obſtante Regiâ pompâ in cineres debetis converti. Ceſſet igitur noviſſimæ miſeriæ oblivio,ad Matris genua, ad Filii pedes provolvamini,& aurum bonæ intentionis, thus devotionis,myrrham mortificationis offerte.Curas Regias omnes bona intentione & ſincerâ voluntate verſate; nihil arbitrio proprio, ſed omnia ſupremo conſilio reſolvite. Præſentiâ veſtrâ Templorum cultum, & frequentiſſimam ſubditorum devotionem augete. Coronæ jacturas;infortunia,miſerias,æquo animo tolerate; Dominus dedit,& abſtulit; & plus pro vobis nobiſq;auferendo, quam concedendo facit.Afflictiones immiſſæ à DEO favores ſunt; dum enim corpus macerant & mortificant, Animam uniunt arctiùs DEO. Hunc quærimus, hunc ambimus; hunc poſſidemus jure vi gratię;hunc pacto vi fidei;hunc ſecurè vi ſpei;hunc ſuaviter vi charitatis:hunc æternùm habebimus vi gloriæ, ad quam nos perducat, qui vivit regnatque in ſœcula ſœculorum. Amen.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO XXII.

In feſto Sanctorum Innocentum.

EVangelicus textus & magni noſtri Regis præſentia poſtulare videbantur, ut Politica Moraliaque proponerentur: utraque nunc ſummariè & breviter repræſentabimus.

POLITICA. *Machiavelli male-ſuada doctrina non poſtulat Homines pios eſſe, ſed videri.* 545. *Herodianâ Machiavellianâ peior; condemnat etiam innocentes, qui nocentes videri non poſſunt. Mali Regis iræ, in primum obvium innocentem exonerant.* 545. *Caius Cæſar, Romanus fuit Herodes.* 544. *Pharao fuit Herodes, Ægyptius.* 594. *Herodes fuit Palæſtinicus, Caius vel Pharao.* 543. 544. 552. *An Rex ſit homo ad mentem Imperatoris Caii.* 543. *Reges, ſi mali, inviſibilia vident, inaudibilia audiunt, nefanda fantur, condemnabilia laudant, & commendabilia commendant.* 545. *Morbus regius, qualiſcumque ipſe ſit, ſemper eſt contagioſus.* 546. *Pſeudo-politicis videtur peccatum inter peccatores non peccare.* 548. *Herodes ſunt omnes tyranni.* 542. *Multos habet Europa, ſed cautiores Herode Palæſtinico. An Regum inſanientium controverſiæ & deliria ſanguine ſubditorum expiantur: apud Græcos, apud Romanos, apud nos.* 541. 548. *In Tyranni aulâ, quæ contra exſpectationem, etiam contra iuſtitiam & æquitatem accidiſſe dicuntur.* 552. *Diabolus malum Regem non obſidet, ſed ab illo obſidetur.* 541. 550.

An-ne plures hodie ſint Reges boni, quàm mali? Nemo prudens vult in conſiliis Rege ſuo videri prudentior. 550. *Qui Conſiliarius debeat ſuffragium ſuum contra Regem ferre, Reges mali nil addiſcere volunt. Boni quidem addiſcunt, ſed hoc nunquam fatentur, nec volunt videri didiciſſe.* 550. *In materiâ, quæ conſcientiam non tangit, ſecurius erratur cum Principe.* 580. *Alii ſunt tenebrarum, alii ſunt lucis Principes.* 550. *Omnes favores, & conſultationes, ſi præter normam, ſuſpecta ſunt.* 550. *Populus eſt Publicæ Rei materia, Rex forma.* 559. *Rex debet eſſe omnia omnibus.* 564. *Tyrannus vult; ſingulis eſſe nullus, & ut ſinguli ſint omnia ſibi.* 574. *Nullus Rex debet hoſtium linguam aut habitum in periclitantibus provinciis permittere.* 565. 567. *Nec debet opiparè comeſſari famem patiente populo; aut pretioſè veſtiri illo nudo.* 571. *Rex eſt Paſtor, debet animam ſuam ponere pro ovibus ſuis.* 599. 600. *Debet eſſe Redemptor populi; & à ſingulis redimi, ut mori pro omnibus poſſit.* 599. *De efficaciſſimo Regum exemplo, & pernicioſiſſimo eorumdem ſcandalo.* 541. 558. 560. 561.

An dura ſimul debeant dici, an per partes? 548. *Mirabilia ſunt, quæ rara, non quæ magna. Et quidem condemnari innocentem hodie rarum non eſt.* 556. *Nemo debet condemnari inauditus. Audiantur Adamus, Eva, Cainus; examinantur turris ſuperbæ erectores.* 555. *Filius Parenti eſt omnia.* 564. 571. 572. *Cervorum venatio in floridâ. An ſic venari poſſis homines?* 566. 567. *Tributa non ſemper ſunt juſta.* 574. *Qui Tyranno ſubes, ſi privata perſona ſis, diſcede; ſi publica, reſiſte, & intra reverentiæ & prudentiæ terminos Rempublicam collabantem defende.* 575. *Fuga non ſemper eſt ignominioſa; ſæpe eſt obligatoria ſæpe non.* 575. 586. *Fuga eſt politica mortis ſpecies: recenſentur & enumerantur aliquæ mortes politicæ.* 586. *Securè pugnat, qui ſecretè.* 598. *nec periculoſè ſemper; qui fugit; ſic pugnant Parthi.* 578. *Quo Reginæ Pediſequæ idiomate ſuos ſervitores (ſic procos vocant) alloquantur.* 588. *An ad officia ſumma in militiâ nobiles & divites inexperti & veterani milites, tametſi pauperes, ſint promovendi.* 596. *Regnum eſt conſortis impatiens.* 569.

Laus Philippi II. Catholici Hiſpaniarum Regis. 551. *& Marchionis de Aitonâ.* 568. *Cajus Cæſar Romæ, & Pharao in Ægypto alteri Herodes.* 544. 594. *Alexāder, ut faciliùs Perſas ſubigeret, habitu Perſarũ eſt uſus.* 565. *Modeſtia & mortificatio paſſionũ in Davide præclara.* 570. *Machiavellus.* 545. *Cordis Amoriſq; Anacreonte cōtēplante cōflictus.* 556. *Platonica Regis definitio.* 594. *Herodes occidit proprium filiũ; Cæſaris de hoc facinore dictũ.* 560. *Magi ei non obediunt, illi renunciant.* 553.

MORALIA. *DEVS omnia omnibus: panis, caro, fœnum.* 571. 573. *Cur DEVS factus ſit homo?*

Prima reſponſio.565.ſecunda.570. tertia.573. Cur CHRISTVS *fugerit? Reſponſio prima.575. ſecunda.576.tertia.577. quarta.578. quinta.579. ſexta.580. ſeptima.581. octava.586. nona. 587. Siquidem* CHRISTVS *mundum redimere potuerit dulciùs, cur voluerit acerbiùs? 581.* CHRISTVS *lapis. 579.* CHRISTVS *Magiſter. 580. Cruces tres: nimirum* CHRISTI, *Dimæ, & Geſtæ. Non omnes crucifiguntur cum* CHRISTO, *ſed aliqui cum uno aut altero latrone. 583.* DEO *abſente nîl meritoriè fit. 562.* DEVS *propter paucos iuſtos multis peccatoribus parcit. 593. Debilia eligit, ut confundat fortia. 594.* CHRISTVS *Redemptor omnium eſt; & Innocentes* CHRISTI *ſunt Redemptores. 598. Cur occiſi? 569.574. Alii martyres paſſi pro fide* CHRISTI, *at Innocentes pro perſonâ. 597. An fuerint liberi. 595. Humana Trinitas (IESVS, MARIA, Ioſeph) exilium ſine culpâ ſuſtinet. 548.*

Non ſemper Auditorum neceſſitati & genio Evangelium, *quod legitur, cooptatur. 541. Qui tinctos colore habet oculos, concoloria omnia reputat. 546. Hinc oritur, quòd improbus ex ſuâ naturâ cæteros iudicet. 546. Illuſio ſine deceptione. 547.549. Diſcrimen ſcandali dati & recepti. Deceptionis activæ & paſſivæ diſtinctio. 549.552. Herodi agenti uno ſenſu reſpondetur in altero. An æquivocatio ſit licita. 553. Iudicium ſine actore, ſine probatione, ſine ullâ Iuris ſolennitate contra innocentes habitum. 547. 554. Summa Hominum ingratitudo cum ſummâ* DEI *liberalitate collata. 555. Cordis & Amoris conflictus; Incarnationi applicatur. 557. Prima revelatio Ezechielis novo acumine expoſita. 559.* Non plus ultra, *dilucidatur multifariam. 562. Opera digitorum* DEI *ſunt cæli & terra: opus divini brachii Incarnatio. 562. Aliud eſt liberare fidem, aliud amare. 583. Aliud eſt ſolvere ex debito, aliud ex amore. De decimis & vectigalibus. 584. Mortificationes niſi aut propter* DEVM, *non ſunt bonæ. 587. Devoti monialium perſtricti. 588. Innocentiæ abſolutæ & relativæ differentia. 593. Exercitus* DEI *vincentis Pharaonem deſcribitur. 594. An ſit præmio digna neceſſaria innocentia? 595.*

CRITICA. *Exponuntur etiam non ſine acumine nonnullæ voces.* Malos ſinieſtros. 559. Retirada. 576. Infantes. 577. Infanteria. 576. Enboſcada. 577. Fineza. 587. 588. *DEVS à Germanis ſcribitur* Verus, *legitur* Ferus. 605. *Fugæ & vitæ idem nomen Hebraicæ.* 579.

DOMINE, &c.

NOn ſemper Evangeliorum, quæ in Eccleſiâ quotidie cãtantur, argumenta, Auditorum qualitati & neceſſitati cooptantur: at hodie ad votum cadunt omnia. Regem habeo auditorem; videlicet Ferdinandum IV. Cæſarum Maximorum Filium, Evangelicum Regem; S. Stephani Apoſtoli Regis Succeſſorem: quam ob rem ſi à literâ Evangelicâ ducar, de Rege neceſſariò tractabo. Vt poſſim chriſtiano-politicam doctrinã tradere, gratiâ indigeo, hac plena eſt Mater Virgo; illam oremus, & in genua provoluti dicamus, *Ave MARIA.*

THEMA. *Videns Herodes, quoniam illuſus eſſet à Magis, iratus eſt valde. & mittens occîdit omnes pueros, qui erant in Bethleem.* Matt. 2.

541 MVltos Reges ob oculos habemus hodie, & ab omnibus diſcimus Politicas Reſolutiones. Video cõcursũ plebis, eximiam devotionẽ populi, nec admiror; *Regis ad exemplum totus componitur orbis,* nec poteſt iſte eſſe morũ incurius, ubi ille eſt virtutũ cultor, & pietatis amator. Perſta, DOMINE, Tuorũ Patrũ veſtigiis; imò illos, quod & facis, ſupera, ut Majoribus tuis major, devotionem exemplo tuo popularem conſerves; illa enim periclitanti ſimilis cum ſtante ſtabit, cum proficiente procurret, cum ſubſidente dilabetur; quoniam turbato Rege, turbabitur & omnis Hieroſolyma cum illo. Patiaris igitur, FERDINANDE SVAVISSIME, ut Te non ſine pietatis commendatione admoneam; duriùs enim aliqua dicturus ſum, & ſolet Medicus melle oblinire ſcyphum, ne ſyrupi amaritudo percipiatur.

542. Converte oculos ad Evangelium, DOMINE, & reperies unum Regem tyrannum, impium, imprudentem, ſacrilegum; & tres alios magos, ſapientes, pios, & ſanctos. O tempora! ô mores! Plures erant ſub illud ævum Reges boni, quàm mali; at jam omnia in contrarium. Quis enim ita audax, ut velit mihi oſtendere tres Reges Magos in toto orbe Chriſtiano? Ego enim, ſi lucernam aſſumerem & totam Europam evolverem antequam

unum

Digitized by Google

unum Regem magum multos invenirem Herodes. Vel dicito. An-non hodie ſunt Reges univerſi Achriſtiani? univerſi Acatholici? Annon & ex Chriſtianis Herodes ſunt etiam omnes illi, qui ob Statûs materiam (ſic vocant) marte & arte occidunt plurimos innocentes? Verè omnes ipſi non niſi Herodes ſunt; & quia hujuſmodi Reges ferè totum orbem adimplent, pauci ſunt, qui poſſint nominari Magi.

543. Sed quorſum ego in tot Herodes audeo, cùm ſub iratis non perire non poſſim? Vel erravi, vel non. Si erravi, non me proteget error; ſi ſim innnocens, non me proteget pietas; Herodes enim, ubi irati, innocentes interimunt. Nunc igitur reſolutione & animis generoſis eſt opus; quoniam in Evangelicam arenam deſcendit Herodes, qui quidem *iratus eſt valdè.*

544. Iratus valdè? vel innocentiſſimo timeo. quoniam Principum iræ cauſas habent; ſed quas? non-nunquam ſubditorum culpas; frequentiùs utilitatem Superiorum; Cajus Cæſar, (& ipſe alter Herodes) apud Philonem libro de Legat. ita colligit, *Ovium paſtor non eſt ovis; boum paſtor non eſt bos; nec caprarum capra; ergo, Hominum paſtor non eſt Homo.* Adeòq; Herodes humanitatem exuit; & ne homo par ſubditis ſit, inhumanus evadit. Ipſi utilitas, DEVS; & commoditas, finis. Et quia ſuæ quieti timet, ne careat ſomno, millenos innocentes condemnat.

545. Hic hæret Machiavelli Politica; non enim vafer ille Inſtitutor tam mala ſcivit Principem ſuum docere, quàm potuiſſet ab Herode addiſcere. Eſſe innocentem rem inutilem hic Politiæ atheæ Inſtitutor exiſtimat, vult tamen videri innocentiſſimus. Innocens enim ſub irato Principe periclitatur, ſi videatur nocens; & nocens damnari non poterit, imò nec diſplicere, ſi ſit cautus, & ita in ſcelerum commiſſione procedat, ut videatur innocens. An-ne hoc? minimè. Nam in republicâ, cujus Rex eſt Herodes etiam interimuntur, & diſplicent, qui innocentes videntur. adulto quidem tametſi innoxio, poſſunt ſcelera adfingi, ut reus credatur; at infantibus quæ? Illis naturæ parcitas indulſit, debeant eſſe & videri innocentes: non tamen ut damnari non poſſint; nam ubi Princeps eſt tyrannus, ſolent videri inviſibilia, inaudibilia audiri, & condemnabilia commendari. *Videns Herodes*, ait Matthæus, *quoniam illuſus eſſet à Magis.* Ecce illuſionem, quæ aut non erat, aut ſi erat, colorata non fuit, à Tyranno videtur; ergo, & potuit videri culpa in parvulis, tametſi innocentiſſimi fuerint.

546. Sunt apud Medicos ad numeros reducti multi morbi, qui nominantur Regii, & Ego hoc nomine unam *Tertiam* (utor Lexico vulgi) inſinuarem. Conſiſtit in corruptione ſanguinis & humorum, & oculos præcipuè inficit, chryſtallumque viſivam pallore tanto intingit, ut omnia ægro videantur morticina & pallida. Vocavi hunc morbum *Regium*, quoniam Reges, ſi carent ſanis moribus, inſani ſunt, & hoc morbo laborant; habent enim peccatorum conſcientiâ intinctos oculos & candorem ipſum cadaverinum judicant, & innocentiam morticinam. Hoc inter alios Principes morbo laboravit Herodes; & quia habebat in oculis chryſtallos peccatrices, & ſceleris colore infectas, omnia videbat concoloria. Hinc orta illa confuſio. turbatur aula, tumultuatur Civitas; Fora, Plateæ, ſanguine & pudore rubeſcunt; furiunt Carnifices; & materna pietas vociferatur, *Rachel enim plorat filios ſuos, & non vult conſolari, quia non ſunt.*

547. Profectò in hac tragicâ hiſtoriâ multa occurrunt acerba, quæ debent tranſglutiri per partes; ſucceſſivè debent ebibi ſingula. nemo enim tametſi robuſtiſſimus poſſet tantas amaritudines ebibere uno hauſtu. Illas ego in tres uncias ſubdividam, ne noceat potus; & cordiali doctrinæ evangelicæ pharmaco pectora confortabo, ut utiliter duritles has concoquere & digerere poſſint. Et quidem præmiſſâ diviſione, *Exilium ſine culpâ, Illuſio ſine deceptione, Judicium ſine actore* reſultat.

548. Sanè *Exilium ſine culpâ*, innocentiſſimi Virgines MARIA & Ioſeph, & cum ipſis IESVS-CHRISTVS fuit paſſus. Tota illa humana Trinitas, tametſi innocua, totâ Palæſtinâ proſcribitur, & abſentiam voluntariam cogitur ſuſtinere, tametſi culpa carens. niſi fortè peccatum fuerit inter peccatores non peccare. Eò enim aſcendit peccatorum malitia, ut delinquere illos exiſtimet, qui vivere volunt modeſtè. Quod ſi in MARIA & Ioſepho condemnari non potuit: fortè in Verbo diſplicuit; quòd aſſumpſerit naturam huma-

Digitized by Google

nam; tanta enim eſt hominum ingratitudo, ut beneficia injurias reputent, ne gratias habere teneantur. *Ingratus ſervire nefas*, dicit vulgus; & ideò nec parcit ipſi Deo, quoniam iſte divinè prodigus favet demerentibus & ingratis.

Igitur, Serenissime Rex, Budâ Tuâ & totîus Hungariæ florentiſſimis Provinciis exul, concipe generoſos animos; nam exilium ſine culpâ genus quoddam martyrii eſt. Te beatum & felicem judica, quòd dignus ſis habitus pro Christo contumeliam pati. Hodie patitur exilium Christvs Infans; mortem milleni infantes: & Tu etiam in annis teneris paratus effundere ſanguinem cum his, cum illo exulas; lucem poſt tenebras, & poſt exilium recuperationem glorioſiorem ſperans. Exule culpâ perpetuum eſſe nequit exilium; Christvs ipſe, qui totâ hodie Palæſtinâ exulat, die Palmarum pompâ triumphali Solymas ingredietur; & Tibi, ubi creverit ætas (ſic opto, ſic voveo, ſic ſpero) Solymanorum fuſo & calcato ſanguine, Saracenis fugatis & in exilium miſſis, triumphum concedet Devs; & civitatum Tuarum portas ab Infidelibus occupatas aperiet. Christo naſcenti gloriam & laudem cecinerunt innocentes Angelorum exercitus; Christo exulanti Martyrũ Innocentum myriades; reduci & triumphanti acclamãt Infantes Hebræi; nam ut Matthæus in 21.cap. ſuæ Hiſt. narrat; *Plurima turba ſtraverunt veſtimenta ſuâ in viâ. Alii autem cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in viâ. Turba autẽ, quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant dicentes; Oſanna Filio David. Benedictus qui venit in nomine Domini.* Tu hucuſq; Christo puello ſimilis, ſiquidem cum innocentem in exilio ſequeris, etiam innocens (ſpera firmiter) in triumpho illum ſequêris. In manu potenti & brachio extenſo Hungariæ ingredieris Metropolin, omneſque coronas adeptus ovans & triumphans audies Innocentes innumeros (qui hodie tyrannide Agarenâ opprimuntur) à Turcicâ ſervitute redemptos, & Chriſtianâ libertate donatos, veteri fidei reſtitutos, gaudioſâ voce concinentes;

Gloria laus & honor, Tibi Ferdinãde Redẽptor,
Cui puerile decus promit Oſanna pium.
Hungariæ Tu Rex, & Cæſaris inclyta proles,
Nomine qui Domini, Rex benedicte, venis.
Cœtus in Excelſis Sanctorum intervenit omnis;
Mortales faveant, cuncta creata juvent.
Hungara Plebſque Tibi cũ palmis obvia venit,
Cum lauris Populus jam numeroſus adeſt.
Exuli & exacto dedimus tunc munia laudis;
Nuncque triumphanti pectora noſtra damus.
Ingrediare, patent. Placuiſti, & tu ipſe placebis,
Sic placeas Chriſto, cui bona cuncta placent.

Sic ex abundantiâ cordis os loquitur; concedat Devs, ut triumphum hunc, quem affectuosè petimus, efficaciter conſequamur. Hæc de *Exilio ſine culpâ* ſufficiant; ad *Illuſionem ſine deceptione*, quæ ſuſpicitur in Magis, veniamus.

549. Porrò multas in ipsâ circumſtantias obſervo, quæ ſolicitant admirationem. A Magis illuditur Herodes, nec tamen iſti Herodem illudunt aut decipiunt; contingit enim ſcandalizari aliquando hominem, ubi ædificari deberet; illudique, ubi deberet inſtrui. Bene Theologi diſtinguunt ſcandalum receptum à dato, & Ego cum ipſis illuſionem diſtinguo. & affirmo illam, ob quam iraſcitur Herodes, eſſe receptam & non datam. Ibi enim à Magis inſtruitur, ubi putat ſe decipi. Vel ſi aliter judicet aliquis, mecum ipſammet Hiſtoriam percurrat.

550. Sic lego. *Herodes clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus ſtellæ, quæ apparuit eis. Et mittens eos in Bethlehem dixit, Ite & interrogate diligenter de puero, & cùm inveneritis, renuntiate mihi, ut & ego veniens adorem eum.* At Magi etiam ſunt Reges, ſunt prudentes, ſunt ſancti. videntque hic ſublatere ſcandalum, quod dat quidem Herodes, ſed ipſi non volunt recipere. Dantur in Mundo Principes rectores tenebrarum, & Principes pacis & lucis. Illi, quia male agunt, odio habent lucem; iſti dicitur, *Videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt*. Diſce aulice, omnia Reipublicæ negotia ſunt publica; time time, ſi clam ſe voceris à Rege. Attende tuæ conſcientiæ, & habe favorem ſuſpectum. Nec verborum candori confidas, fortè enim ipſa Cygno ſimilia ſunt, quem dicunt Phyſici habere plumas candidas & carnem nigram. Fortè ipſa, tametſi videantur ſincera, malam aliquam reſolutionem ſubtegunt; fortè in capita innocentum proceditur; fortè non bene agit, qui amat tenebras; nã aliàs negotia publica non clam tractarentur ſed publicè; aut ſi ſecretè, viâ publicâ, nimirùm, in conſilio ſupremo. Firmat hanc verita-

tem Rex Herodes qui clam accerſiit Magos, ut ſalutem publicam, quam natam audierat, privatâ authoritate diſperderet.

551. Time Aulice, ſi Rege prudentior es viſus: non enim eumdem Rex libenter habet & Magiſtrum & ſubditum. Sua enim intereſt authoritatem conciliare; vultque non ſolùm in conſilio, ſed & conſiliis ſupereſſe. Ita, ſi cautus ſis, ſententia contra Regem proferas, ut regiam firmare videaris, nam ſi docere Regem velis, expones tuam perſonam periculo. Sed quid, ſi Princeps addiſcere velit à ſubdito? Diſce & tu ab Herode ſciaſque in hac ipſa humilitate materiam Status ſublatere, & nihil minùs Principem velle quàm diſcere cùm ſe diſcere velle teſtatur. Diſce, inquam ab Herode, à Magis non jam ſubditis ſed æqualibus etiam diſcente. Se velle diſcere ſtellam, & CHRISTUM teſtabatur Herodes, cùm tamen nihil minùs curaret quàm cœleſtia, nihil minùs quàm DEUM. Vel ſi fortè curabat, non ut veniens duceretur ab illâ, adoraret hunc, quod dicebat; ſed ut illius reſiſteret influxui; & hunc occideret. Tu igitur, SERENISSIME REX, ſiquidem in ætate es, quæ multa ignorat, multa addiſce; prudenter, conſtanter, patienter. At primo addiſce loco, ita loqui, ut omnia penetrare dicaris. Hoc ſummæ laudi fuit Philippo II. Proavo Tuo, qui tantâ arte audiebat Miniſtrorum conſilia, ut non jam diſcere, ſed docere ſingulos aſſereretur.

552. Audiunt Herodem Magi, Regem Reges; & tamen nihil compromittunt. *& reſponſo accepto in ſomnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam, reverſi ſunt in regionem ſuam. ——Tunc Herodes videns quoniam illuſus eſſet à Magis, iratus eſt valdè*. Sed obſecro, Tyranne irate, à quibuſnam te illuſum & deceptum deliras? An præcepiſti redditum? An tenerentur lege tuâ ſi præciperes? An obligarunt fidem ſuam, & ſpem redditus reliquerunt? Minimè. Ergo, non jam illuderis à Magis, ſed à te. Et tamen hæc illuſio nos docet. Porrò invigilet Aulicus ſervitio Principis, agat omnia prudenter, ſi aliquando vel minimum præter Principis expectationem, omnium agetur reus, erit omninò miſer, dicetur illuſiſſe Monarcham; & experietur illum iratum valde. Ergo, docetor Aulice; ſi Rex tuus incipiat eſſe Herodes, tu eſto Magus, ejus voluntatem ne ſequitor, nam Mago ſapientiſſimo eſt omninò impoſſibile ſimul DEO & Herodi placere. DEO enim juſto & Principi Tyranno ſervire nec innocens, nec nocens poteſt.

553. Et Tu, MI REX, obſerva hìc aliquid, quod fortè nemo audebit dicere; ſed ideò rationem dedit Regibus DEUS, ut ab illâ audiant, quæ à ſuis Senatoribus nolunt. Iuſſit Herodes Magis, ut redirent ad ſe, nec tamen hoc illi fuerunt obligati præcepto. Ergo, non eſt bona conſequentia: *Ego volo, Ego jubeo, Ego ſum Rex, ergo omnes obedire tenentur*. Obedientia ſtrictiùs obligat Religioſum, quàm civem, nam Regulares ſolenni profeſſione ligantur: & tamen Abbas habet ſuas regulas & præcipiendi terminos, ultra quos nihil validè indicat. DEI ſola authoritas terminis & limitibus caret, at humana omnis eſt terminata, eſt limitata, eſt finita. Cingant tua tempora coronæ undecim. quid indè? præter ipſas dantur regiones & nationes integræ, quæ tibi non ſubſunt; quibus ſi imperes, invalidè imperes poteſtatis defectu. In ipſis Regnis Tuis, dantur termini quibus Tua potentia cingatur: ſunt enim etiam perſonæ aliquæ exemptæ, quarum manu debet teneri immunitas. Et erga non exemptas, quoniam non es omnipotens, non omnia potes. Regi contra DEUM præcipienti obedire non poſſunt; tranſilienti inaugurationis juramenta non debent; ut alia omittam, quæ nimis nota ſunt, niſi adulatione excœcemur. Debet igitur Regia Majeſtas, terminos authoritatis ſuę cognoſcere; intra limites ſibi in inauguratione præfixos ſe continere, non ſubditos à ſubditis diſtinguere; nec confundere materiam, quæ non poteſt præcipi, cum illâ, quæ præcipi poteſt.

Sed Herodes univerſa confundit. Æquat Reges hoſpites civibus ſubditis; & quæ machinatur contra DEUM, præcipit inſolenter; & obedientiam extorſurum ſe putat. At Reges *reſponſo accepto in ſomnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reverſi ſunt in Regionem ſuam*.

Vbi Tyrannus illos abiiſſe didicit, iris magnis accenditur, & ſe illuſum & deceptum inclamat. Sed parciùs obſecro: ſcire enim vellem [Solymæ Rex] in quâ-ne circumſtantiâ te deceperint Magi. Dixeras illis, *Renunciate mihi*, [clariùs Hiſpanè, *Renunciadme a mi*; hoc eſt, *mihi*

mihi obedientiam & obſequium negate]& ſanè, dum tuum tribunal fugiunt, perſonam recuſant, leges reiiciunt; tibi illi renuntiant, ut mandaſti. Ne conqueraris igitur, tunc enim veriſſimè renunciaris à Magis, cùm nihil tibi renunciatur.

554. Pergo ulteriùs. *Iudicium ſine actore*, ſine articulis, ſine probationibus parvulos, inaccuſatos, inauditos, & tamen ultimâ ſententiâ condemnavit. Parvulos inquam, quibus non profuit non potuiſſe peccare, ut non peccaſſe dicerẽtur. Rei ſunt, qui fari neſciunt. Appellantur ad gladium, qui Parentes appellare non norunt. Cęterùm admirationem tollit hujuſmodi judiciorum frequentia, non enim admiratio debetur rebus magnis, ſed raris; & innocentes condemnari in Republicâ rarum non eſt. Sæpè habenas moderatur furor, judicat paſſio, mandata præcipitatio exſequitur, nec poteſt in tali æquitatis procellâ aut figura in judicio obſervari. Tunc autem peccat non ſolùm Senatus, qui exorbitat, ſed & Reſpublica, quæ tolerat; & authoritas ſuprema, quæ aſſentitur. Sic humana, non tamen ſic procedunt divina.

555. Peccat Geneſeos tertio Adâmus, & appellato ad divinum tribunal, ait Dominus. *Vbi es? Quis indicavit tibi, quod nudus eſſes; niſi quod ex ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comediſti?* Et ad mulierem, *Quare hoc feciſti?* Peccat Caïn, nec inauditus condemnatur. *Quid feciſti?* Geneſeos quarto, ait DEVS, *vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terrâ!* Peccat Geneſeos undecimo Populus, turrem erigens, ut cœlum ſupremum pertingeret; *Deſcendit autem Dominus, vt videret civitatem & turrem, quam ædificabant filii Adam, & dixit. Ecce unus eſt populus, & unum eſt labium omnium. - - - - Venite igitur, deſcendamus & confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unuſquiſque vocem proximi ſui.* Ecce infinita Sapientia, cùm culparum rationes examinat, reos interrogat, excuſationes audit, non diſcit culpas, ſed docet homines regulas judicandi: qui enim homo inauditum, condemnat non leges, ſed malevolentiam propriam reſpicit, & ſibi cauſam præparat, in quâ audiri non debeat. Bone DEVS! Hîc nato, & ſubſiſtentiam non reperio! Si eſſent tigrides, quæ ſœvirent in homines, non demirarer; ſed quod homo in hominem, cuſtos in oves, paſtor in ſubditos; hoc Ego nequeo capere, hoc ego ſatis ponderare non poſſum. Et tamen id in Herode lego; id etiam in multis tribunalibus, quibus præfecti Herodes, video, & quò majora à DEO beneficia recipiunt, eò crudeliùs ipſum DEVM perſequuntur; & innocentes, quia ſunt DEI juſti vivæ imagines, inſolentiùs interimunt. Video arenam certaminis, in quâ divinus Amor, & Ingratitudo humana de majoratu præcedentiâ & authoritate contendunt. In quâ dilectionem ſuam DEVS eſſe majorem humanâ crudelitate oſtendit, humanâ ingratitudine largiorem probat; in quâ etiam iniquitatem ſuam homo ita exaltat, ut divinæ miſericordiæ præferat, & dicat, *Major eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear*; vel ut habet rigoroſior litera, *major eſt omninò tuâ patientiâ; major omninò illâ culpâ, cui potes parcere*. Igitur ne amara tyrannici Regis crudelitas, quam Evangelica tragœdia recenſet, torqueat animos, illam illam cum DEI miſericordiâ componamus; & ſiquidem oppoſita juxta ſe poſita magis eluceſcunt, millenas infantum mortes, cum unius infantis nativitate, quam hac celebramus hebdomade, devotè & ingenioſè conferamus.

556. Et quidem, ne ſit laborioſa collatio. Anacreon Author Græcus, blandi Amoris & duri cordis conflictum myſterioſum recenſens, nos conducere poterit, aut infundendo acumina, aut verba accommoda conceptui miniſtrando. Cordis duritiem admiratus pharetram recognoſcit Amor; ſagittas diſcutit, ſingulas acuit, arcum intendit, & in cordis illius adamantinam reſiſtentiam collineat. Sentit illud volucrum ſagittarum grandinem, ſed exploſorem deſpicit, nec lanceolas exploſas curat. Ille interim pharetram ſuam exſpoliat, nova jacula excutit, & ſe demum inermem videns adamantinum illum ſcopum, quem ſibi propoſuerat, admiratur impatiens. Reſpicit cor liberum immune, triumphans; ſagittarum violentiâ non læſum, ſed purgatum; cujus fractæ & deciduæ ſagittæ conſtantiam & virtutem commendant; quam deviæ infixæ muro, exornant; & utræque Amoris impotentiam irrident. Quid Amor faceret (Arcui condolet laſſo; ſagittarum theſauro prodigâ reſolutione emiſſo imò & amiſſo; famam timet, tot alis, quot ipſe pennas exploſit, volitantem. Deſpon-

Digitized by Google

ſpondet animo; cedit duritie cordi; deponit pharetram, arcum dimittit, nudusq;inermisq; in cor involat, & victricem reſiſtentiam amplectitur.Sed cor, tametſi rigidum,tantum ardorem ſuſtinere non poteſt; caleſcit ſub initium,demum ardeſcit,tandem in cineres convertitur, & quod armatum triumpharat Amorem, ab inermi triumphatur.

557. Sanè hæc hominis Gentilis & ethnici eſt ſpeculatio, nec tamen ethnica ac gentilis.quoniam chriſtiana fiet,ſi ad noſtrum intentum reducatur.Sic diſcurro. DEVS charitas eſt, amor eſt; & qui manet in charitate & DEI amore,in DEO manet,& DEVS in eo: At Homo cor lapideum habet. Id cœpit ab initio indureſcere, & rigeſcere intenſiùs, nec divinas monitiones curare.Sed DEVS Amor arcu & pharetrâ inſtructus, *Fili*, inquit, *præbe mihi cor tuum*, nimirùm, & ſit meorum rigorum ſcopus,ut vel molleſcat,vel frangatur. In illud illicò aſſerente Prophetâ, *immiſit filias pharetræ ſuæ.* ſed tetigit, non vulneravit. Notate phraſis energiam. Vulneraturus hominem filias nominat, quas ſagittas emittit. Iraſcitur & tamen miſericordiæ recordatur,& ut expugnet homines divina charitas immittit filias, nimirùm charitates,& gratias,iſtæ enim Charitatis ſunt ſoboles;vel ſi græca præferas, immittit φιλίας, amores, favores, beneficia, nec proficit. Quid igitur, Amor divine facies, ſiquidem Homo tuâ clementiâ abutitur, & lapideſcit *in luce ſagittarum tuarum, in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ?* Quid? Si nolit cor humanum rationi cedere, nec juxta Decalogi periodum inflecti; ſi lapideſcat, ubi cœlitùs tangitur,ubi teri deberet;*inclinabo cælos & deſcendam*, deponam pharetram, arcum excutiam,illud inibo perſonaliter, illud hypoſtaticè amplectar, homo fiam; & hac intimâ unione illum adamantem conteram,illud gelu ſuccendam.Fiam homo;naſcar pauper; & hac arte, quæ non debui marte, corda peccatorum convertam. Et efficaciſſimè quidem. Vidimus enim octavo Calendas Ianuarias DEVM Homini, Dominum ſervo; Creatorem creaturæ hypoſtaticè unitum: & inter bina bruta in ruſtico præſepio recumbentem. Et ſequenti, qui nunc dies tertius eſt, Stephanum DEO plenum, deſpicientem turbines lapidum, & cœlos apertos, & cœlorum conditorem videntem. Heri Ioannem DEO plenum, ſimilem Aquilæ, divina ſecreta penetrantem, & altiſſima myſteria ſcribentem.Hodie videmus Infantes plenos DEO tametſi infantes, hoc eſt, fari impotentes, divinæ nativitatis teſtes, & divinæ clementiæ præcones.

558. Iſte ipſe Anacreontis conceptus, qui ſolennitates has dilucidat, erudit Superiores & Reges. Vult Princeps onera publica patienter ſuſtineri à populo? ſibi ſubminiſtrari neceſſaria? ſervari leges? bonum commune promoveri? ne pharetra humerum oneráto, ne arcum manu torqueto; ne rigores explodito; ne ſubditos verbis dulcibus circumvenito: quoniam hi; ſi durè tractantur, lapideſcunt; ſi blandè, molles fiunt. Sed rem ipſam hypoſtaticè accedito, tractato perſonaliter, humerum etiam oneri communi ſupponito, populo unitor, reliquis cooperator. Quoniam impoſſibile eſt hunc legitimè agere, conſtituto Principe extra leges.

559. Vidit Ezechiel, capite ſuarum Revelationum primo,currum eminentem & magnum;& homini cui injuncta fuerat hujus machinæ triumphalis promotio dari Leonem, Bovem, Aquilam, ut rotas torqueant: nec poſſe animantes diſſymbolas in eundem impulſum conſpirare. Dextrorſum urget Leo, lævorſum Bos, & ſurſum Aquila & hoc impetu, frangere quidem rotas & currum invertere poſſent; promovere non poſſent. Quid homo faceret? Si vociferaretur, non currerent; ſi vibraret flagellum periculoſiùs erumperent. Quid ergo? currum accedit perſonaliter, malo accingitur, incipit primus trahere; & ſtatim illæ animantes ſymbolizant ductori adhærent, & cooperatione continuâ pondus trahunt, & gloriam triumphatricem producunt.

Si etiam in Republicâ. Bonum commune, Potentia Authoritas, producuntur in triumphum; à Plebæis, Nobilibus, & Doctis. Hi ſuper eſſe volunt, nec ad mentes reliquorum diſcurrere. nam doctrina eſt politica Aquila, ſublimia pervolans. Nobilitas eſt fortiſſimus Leo, & quoniam nec libenter ſuperiores patitur, nec comites; non vult ſubeſſe Aquilæ, nec Bovi (Plebem intelligo) conjungi, & dextrorſum impellit. At Plebs, Bos timida, dum Leonem fugit, dum Nobilitati inſectatur, *tiene malos finieſtros*, ait Hiſpanus; habet ſiniſtros

mo-

mores motus lævos. Quid faciet Princeps, tam diverſarum animantum Antiſtes? miſer Homo! Addet legibus leges; pœnis pœnas? An potiùs dulci labii profluvio deſidem ignaviam excitabit? Neutrum ſuadeo; ſed Amorem Anacreontis propono, Hominem Ezechielis. Involet ipſe in pondus; ſe perſonaliter reliquis uniat, currum trahat, onus etiam ſuſtineat, & plus operabitur præſentiâ & exemplo, quàm imperio dulci, & ſuadâ amarâ. Cùm Princeps militat, tot leones numerat quot anteà velites. Cùm ille publicarum rerum expeditioni ſtudio indefeſſo laborat, ſubditi univerſi bovi ſimiles, collaborant ad utrumque parato Principi, aut commori aut convivere ſi occaſio ſuccedat, parati. Si ille literas amet, erunt Aquilæ omnes, & florebit doctrina. O quàm bene hanc veritatem percalluerat Politicus ille Poëta, qui dixit, orbem totum Regis ad exemplum componi! O quàm Ego feliciùs in Philoſophiâ Politica Populum dixi materiam, formam Principem; ille enim eſt pura potentia & ſimillimus nihilo, & totum ſuum eſſe ſpeciem differentiam, actum, ut percipitur, habet à Principe, qui eſt ejus forma.

560. Hanc optimè doctrinam percallebat Herodes, homo tyrannus, ſed impiam decretorum violentiam politicâ verſutiâ componens. *Mittens*, ait Sacer Textus, *occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus ejus, à bimatu & infra; ſecundum tempus, quod exquiſierat à Magis*. Sed ſufficeret mittere, aut jubere? non puto. Si hodie Rex aliquis infantes omnes occidendos decerneret, neutiquam haberet intentum, ſed dubio procul turbaret univerſam regionem, in ſe gladios univerſos converteret. Ergo Herodes, Rex debilis, hominibus duræ cervicis non tam jure quàm violentiâ præpoſitus, cave, time: tumultuabit univerſa Iudæa hoc decreto irritata, in tuumque jugulum conſpirans ſuos filiolos dilectos defenſabit. Video hæc inconvenientia, ait Herodes, ſed Politicâ inſtituor, quâ poſſim univerſa impedire. Incipiat gladius à domo meâ, à meâ familiâ, à meis filiis; infantem illam ſobolem meã trucidet, & ſanguine ejuſdẽ intinctus reliquos aggrediatur, nuſquã reſiſtẽtiã reperiet. Iuſſit & intentum obtinuit. transverberavit gladio proprium filium, & viam aperuit, ne vel unus in totâ ſuum regione defenderet.

561. O ſummam exempli efficaciam! ô ſummum ſummæ efficaciæ abuſum! Prudentiores profectò hodie ſunt filii tenebrarum filiis lucis in generationibus ſuis, ſciuntq; nihil tam abſonum & arduum, eſſe quod non fiet à populo, modò Rex primam adhibeat manum. O Herodes, Herodes; præſtaret (ſententia eſt Romani Cæſaris tuam crudelitatem docti) in domo tuâ eſſe ſuem, quàm eſſe filium. illa enim clementem te reperit, hic crudelem Politicis ſacramentis abuteris, & quos exemplo conducere ad virtutem deberes, ſcandalo in parricidia cogis; nam, ut ait Auguſtinus, qui innocentem non defendit occidit.

562. Et quia incepi Herodis ſœvitiam cum Dei miſericordiâ componere, ut devotioni & tempori reſpondeam aliam collationẽ ſubjungam. Conſidero diem illum, qui primum diem præceſſit; tempus illud, quod fuit ante omne tempus; æternitatem inquam, antequã conderetur orbis. Omnia ſub illud imaginarium tẽpus erant nihil, quia nondũ erant. Et Devs ſolo verbo ex hoc nihilo eduxit univerſa. An-ne cùm verbo cęlos firmavit, terras ſtabilivit, fecit potentiam in brachio ſuo? minimè. quoniam opera digitorum ſunt cœli, ſunt planetæ, ſunt ſydera; opus unîus digiti eſt tellus. Non operatur Devs per ultimum ſui poſſe (phraſis eſt academica) cùm mundum creat, creatum diſtinguit, diſtinctum incolis diverſis exornat; poteſt millenos alios mundos meliores & majores creare. at poſſemus dicere *Non plus ultra*, ſi Verbum Dei, ſi Verbum-Devs, per quod omnia facta ſunt, & ſine quo factum eſt nihil, in nihilum redigeretur. Imò *Non plus ultra*, angeli reboant Chriſto nato dicentes, *Gloria in excelſis DEO, & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis*. Gloria eſt felicitas extra quam *non plus ultra*. Empyrei celſitudo eſt faſtigium, ſupra quod *non plus ultra*. Terra eſt regio, infra quam *non plus ultra*. Bona voluntas eſt ultra bonum intellectum; at ſi aſſequimur illam, *non plus ultra*. Devs eſt omnia, & quia præter omnia nihil eſt, præter Devm *non plus ultra*. Homo peccando ad nihilum redactus eſt & neſcivit: homo eſt nihil, & quia ſi hoc ipſum ſciret, eſſet aliquid, hoc ipſum neſcit & ignorat. Igitur *non plus ultra*; quia ſicut in genere incrementi *non*

plus

Digitized by Google

plus ultra omnia; ſic etiam in decrementi genere, *non plus ultra nihilum*. Ecce igitur in CHRISTI genethliâ multifariam multiſq; modis reboat Natura, *Non plus ultra*. Omnia ex nihilo produxerat DEVS; Cœlique, cùm enarrabant gloriam DEI; & cùm opera ejuſdem nunciabat Firmamentum; Cùm dies diei eructabat verbum, & nox nocti prædicabat ſcientiam;tunc omnia perſonabant;*Plus ultra*. Cæterùm quando DEVS ſeipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, cùm Verbum divinum;quod eſt omnia,factum eſt Homo,qui eſt nihil; tunc DEVS fecit potentiam in toto brachio ſuo, tunc DEVS factus eſt Homo; & tunc omnia facta ſunt nihil; & clamarunt omnia Elementa,naturalia & ſupernaturalia,*Non plus ultra*.

563. Ecce reſpicio Verbi incarnati bonitatem, dico, *Non plus ultra*; ecce Herodis malitiam, & repeto, *Non plus ultra*, Regnum invaſerat, & adhuc poterat plus ultra. Tributum novum & novum impoſuerat, & adhuc addebat plus ultra.At occidens Iſraëlis Beniaminos,Rachelis delicias,plebis ſolamina,ventum ad malitiæ ſupremum fuit; *Non plus ultra*.

564. Voluit olìm Divinus Plato Regiam Majeſtatem deſcribere, & his verbis affatur. *Rex eſt*, inquit, *unus & omnia*. unus nimirùm; qui ſit omnia. Herodes igitur,qui politicè nihil erat in Iudaicâ republicâ, cùm Romanorum favore regium ſolium obtinuit, ex nihilo factus eſt omnia, & potuit creſcere *plus ultra*. At cum fregit ſenectutis paternæ baculos, etiam patres dejecit; cùm domorum fundamenta eruit, domos diruit; & quidem fregit decrepitæ ſenectæ baculos, eruit domorum fundamenta, cùm infantes occîdit. Hos ergo interimendo, nulli parenti ignovit, & omnia convertens in nihilum,dicere potuit,*Non plus ultra*. Omnia in nihilum? Ita ſanè quia filios; iſti enim ſunt parentibus omnia.

565. Firmat hoc paralellon Alexander, orbis ſtupor, ultramarini Mundi fabula, Aſiæ & Indiæ ſilentium;ut Perſas vinceret,Tertulliano aſſerente, habitu inventus eſt ut Perſa. *Vicit Medicam gentem*, ait citatus Author, *& victus eſt Medicâ veſte*. Hoc eſt, Fuit Perſis omnia factus, amicitiam erga Medos fuit veſtium ornamento profeſſus. Ac ſi tacitè diceret. *Cur timetis victuri rigorem, ſi ante conflictum illum victum reſpicitis. Non odium Alexandrum patriâ exulare cogit, ſed amor. Non huc appellitur æmulationis vi, ſed merâ dilectionis virtute. Ecce homo. Cur erit inter Perſas Græcus, qui inter Græcos eſt Perſa. Conſiderate labium, conſiderate mores, conſiderate habitum, conſiderate omnia; Perſa eſt*. Et quidem hoc ſtratagemate,quos armis non poſſet ſubjugavit.Quo etiam uſa videtur ſecunda Trinitatis Perſona, Patris æterni Filius conſubſtantialis, ſubjugaturus homines, qui obedientiam negabant.

Habitu inventus ut homo, ait Apoſtolus; & CHRISTVS Verbum ſilens, lachrymarum linguâ videtur noſtræ condolere duritiei, & ſic affari. *Vt primos in orbe Deos fecerit timor, fecerit rigor, ſic delirant Gentes, quæ colunt Deos non factores hominis, ſed ab homine factos, hic timori locus eſt nullus, quia rigoris ſuſpicio nulla ſubeſt. Cur timebitis DEI victuri iras, quem ante ipſum certamen infantem victum, imò vinctum, reſpicitis. Non eſt odium vi, cujus DEVS deſcendit de cælis; ſed amor. Appulit terris, non quidem æmulationis vi, ſed mera virtute dilectionis. Ecce homo. Cur ab hominibus timebitur ut DEVS, qui à Divis adoratur ut Homo. Conſiderate linguam, conſiderate dolores & miſerias, conſiderate lachrymas, conſiderate habitum; conſiderate omnia; Homo eſt*. Quis ergo jam DEVM fugiat, quem videt Hominem? Nemo, niſi inhumanus: nemo enim carnem ſuam odio habuit, & jam DEVS frater noſter, noſtra caro, & ſanguis noſter eſt.

566. An-ne vidiſtis aliquando Mappas Geographicas, Americam repræſentantes, & in ipſis Floridenſium habitum venaturorum cervos? Sæpiùs quidem, ut puto. Quod ſi fortaſſe non videritis, omnia breviſſimo penicillo depingam. Exubiis cervi; illius barbaræ regionis incolæ cervum effingunt, cornibus bene armatum. Hoc ſimulachrum induit ingenioſus venator, & arcu inſtructus, *habitu inventus ut cervus*, turmas cervorum curſitantium aggreditur: hærent illi, & qui fugerent hominem, cervum accedunt. Hinc Theodoreto lux, *Propterea*, ait, *non venit cum imperiali faſtigio, nec obſequium deduxit Angelorum, nec movit Archangelorum exercitus, ſed venit omnium Dominus in ſervi formâ, paupertate circum amictus, ne ſervos*

(imò cervos) *fugaret*. Strident hæ periodi, ut mirùm ſit tantâ vocabulorum duritie tan tam latere ſententiæ ſuavitatem. Hæc quidem ingenioſa eſt venatio. Si homo, ut cervos venetur habitu invenitur ut cervus; DEVS ut homines, ſervos, venetur formam ſervi accipit & habitu invenitur ut ſervus; invenitur ut homo.

567. Sic humanum DEVS genus tametſi rebelle & indomitum, venatus eſt. Sic Alexander Magnus, Medos, Perſas, & alias regiones Aſiaticas, quas enim ut Græcus non poſſet. habitu inventus ut Medus & Perſa ſubjugavit. Habitus nationes inimicas conciliat, quod exemplis plurimis probari poſſet. Italos Hiſpanoſque legimus Gottorum habitu delectatos, & demum à Gottis interceptos; Gottos victores in Hiſpaniâ Maurorum habitum imitando aperuiſſe viam facilem Mahomethanis illam ſubjugaturis: & ne antiquiora perſequar, vidi anno trigeſimoquarto populum Belgam gallizantem; nimirùm, ornantem ſe gallicè balbutientem gallicè, duella multiplicantem gallicè; & jam hodie eſſe gallicas urbes pleraſque video, quas dudum gallizantes mirabar. Ergo quicumque Rex, ni velit regionem ſuam aperire peregrinæ potentiæ, caveat ſuis habitum & linguam peregrinam; vulgus enim amens diſcurrit oculis, non mente; & amicos exiſtimat, quos veſte & habitu videt conformes.

568. Et ſiquidem Politica evangelicè tracto, & ſi Magni Alexandri meminero, cur non etiam Marchionis de Aitonâ, quem non puto Alexandro minorem, cui paucos reperiam æquales. Premebamur à Gallis, & tamen erant in exercitu Hiſpani, qui mollitie gallici habitûs delectarentur; quos omnes ille reformavit, ne unum quidem ex illis promovens. Sciebatur, prudentiſſimo Heroi mores noſtros in Gallo, Gallicos diſplicere in Hiſpano; adeòque gallica gallis relinquentes, noſtrates, qui placere volebant, habitu & labio erant Hiſpani. Tantâ ille vigilantiâ curabat, ne in patriâ noſtrâ hoſti ſimiles reperirentur. Hac veritate inſtructus, cùm converto ad Te oculos, & Hungaricas veſtes intueor, providentiam admiror, & Alexandrum redivivum concelebro. Medum induit potentiſſimus Macedo, & regnum Medorum obtinuit; Tu induiſti Hungarum, & decem regna, multorum millium hominum corda lucraris. Fruere illis igitur, & quorum gratiam poſſides, eoſdem in Tuâ gratiâ conſerva.

569. Aut fallor, aut hanc etiam Politicæ artis regulam voluit Herodes exercere cùm infantes occîdit. *Cùm enim natus eſſet IESVS in Bethlehem Iudæ, in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab oriente venerunt Hieroſolymam, dicentes. Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum? ----Audiens autem Herodes turbatus eſt, & omnis Hieroſolyma cum illo.* Cœpit contriſtari, & novi nomine Regis terreri. Cœpit & dicere. Novum Regem in Palæſtinâ me vivente? Alteri cultum, munera, adorationem, me ſuperſtite? minimè tolerabo. Cogantur in conſilium Seniores, Pontifices; & Principes populi. Diſcere volo qualis & quantus ſit iſte novus Monarcha, cui debebo coronam regalem ſupponere. Materia ſtatûs poſtulat, ut neminem reperiat partialem, neminem ſibi amicum, neminem ſibi ſimilem. Dives eſt? omnes divites perdam. Pauper? omnes egenos. Græcus? trucidabo omnes Græcos. Romanus? negabo tributa Cæſari & tranſverberabo Romanos. *Regnandi ſumma Poteſtas Impatiens Conſortis erit*. Nec cœlum Soles duos, nec Palæſtina habere poterit duos Reges. At Pontificum Iudæorum Senatus Magique illum infantem aſſerunt. Ergo, infert Herodes, omnes infantes trucidentur, ut vel ſic novus iſte Rex pereat, vel ſaltem nullum ſimilem ſibi reperiens, Rempublicam nequeat invadere.

570. O DEVS! ô quantum Tibi debet humana mortalitas. Factus es caro, factus es homo, factus es pauper, factus es nudus, factus es exul, factus es profugus!

Sed cur factus es caro? Multas eaſq; ſublimes conſiderationes apud Patres invenero; & impræſentiarùm hæc occurrit. Creatum Hominem ornavit DEVS plurimis naturalibus donis, & ſupernaturalibus prærogativis: at ipſe, cùm in honore eſſet, non intellexit, (Hiſpanicè, *No ſe entendiò*, noluit ſibi conſulere.) peccavit; & comparatus eſt jumentis incipientibus, & ſimilis factus eſt illis violavit legem DEI, & factus eſt ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus. Fame erat moriturus, non enim panem Angelorum comedere ipſe poterat in irrationalem animantem converſus; ſed DEVS illi fœnum provîdit,

quod

Digitized by Google

quod ipſi inviderent vel Angeli; Devs enim caro fit; & Iſaiæ 40. 6. omnis caro fœnum.

571. Ecce Devm, omnia omnibus. Angelicus panis Cœlitibus, & terricolis in irrationales converſus caro & fœnum. Diſcant Principes; quoniam qui diſſimulare non ſcit, imperare non poteſt. Indignus ut ſedeat in ſolio, qui non omnibus omnia. Debet Princeps lugere cum lugente, cum ridente ridere; omnibus placere, omnibus prodeſſe: perſonaliter conferre beneficia, & pœnas per miniſtros infligere.

Non ſunt omnibus omnia, qui cùm præſunt pauperi populo, volunt videri divites; qui cùm famelico, opiparè & luxuriosè comeſſari. Sed, qui ſe attemperant populo, ut eumdem attemperent ſibi. Sitit David; & aliquot militiæ Principes fontem Philiſtæorum invadunt, aquamq; pretio ſanguinis emunt. Redeunt ad Regem, & liquidum illud grandium periculorum ſtipendium propinant. Recipit ſitibundus Monarcha; gratias habet ſubditorum amori; ſed aquam libat Domino, & in terram effundit; non enim voluit ſitim extinguere, ubi populus à ſiti extinguebatur; quoniam *Solamen miſeris ſocium eſt habuiſſe Monarcham*.

572. Et ne ſemper eloquamur de mortuis; aliquid ſubjungamus de vivis. Bini militiæ Principes hodie Domine, merent; ſicut genio antipodes, ſic etiam virtute & fortunâ diverſi. Alter ſpoliat proprios milites, ut comeſſetur; illorumq; ſtipendiis opipara convivia apparat, etiam ubi Velites perduntur fame: Alter ſuum ſtipendium militibus gregariis erogat; & ſeminudos milites etiam ſeminudus gubernat. Ille prior nihil eſt ſingulis; hic omnia omnibus. Ille multas dedit inimicis victorias, hic Patriæ multas. Vix unum ille fidelem habet militem; at iſte ne unum quidem creditur habere infidelem. Vbi enim omnia eſt omnibus Princeps; ibi Principi omnes ſunt ſinguli, & ſinguli ſunt ſicut omnes.

573. Habeat apotheoſin hæc Politica Regula; exponatur theologicè; illuſtretur divinitùs. Advocat primum Hominem Devs, & fugitur. Cauſam inquirit, & ait Homo. *Audivi vocem tuam, & timui.* Quid Homo times? Æger es, & quæreris à divino Medico, ut ſalutem recipias. *Erubui*, inquit, *eò quod nudus eſſem*. Et Devs, quia omnibus omnia; tametſi nullius rei indigus, voluit divitias ſuas exinanire naſci pauper & nudus, ut cum ipſo homo pauper & nudus liberiùs & ſinceriùs ageret.

574. At herodes Divinæ Generoſitatis antipes omnibus omnia eſſe non vult, eſſe enim bonus dedignatur; ſed ut inter Tyrannos emineat, ſibi vult omnes eſſe omnia: paratos vivere, ſi libeat; mori, ſi placeat. Omnia omnium vult ſuo diſſolutiſſimo ſubeſſe imperio; & ſimilis Claudiani Rufino, *Cuncta ferit, dum cuncta timet*, & ut corda ſingulorum transverberet, jugulum filiorum ſingulorum invadit. Et ut video, multi hodie in Europâ crudeliores Herode exercent iniquam tyrannidem, tametſi minùs noti, quòd magis cauti. Plateæ tabo madidæ, & rivi intincti ſanguine Regem illum inclementem infamant; at hodie noſtri Herodes extrahunt ſanguinem pauperum & innocentum, & ne maculæ maneant criminis indices, ſanguinem ipſiſſimum exſugunt. Aut dicito. Quid aliud eſt onerare populum contributionibus, novis vectigalibus ruſticos, iteratis impoſitionibus plebæos, quàm extrahere ſanguinem innocentum & pauperum; & ne maneat ſceleris indicium, exſugere. Non condemno tributa, ſine quibus Reſpublica ſtare non poteſt. Sed condemno tyrannica illa jura (ſic Pſeudopolitici nominant latrocinia) non pro neceſſitate publicâ, ſed pro privato arbitrio poſita. Sed quid faciam, inquis, ſi Rex abſolutâ potentiâ condemnat innocentes, & pauperum ſanguinem exſugit? Si ſis perſona publica, bono conſilio regiam animoſitatem remitte, æquitati fave, nec graſſanti injuſtitiæ conſenti. Si privata, nihil temerè aggredere, ſed tamen jura naturalia conſule, & innocentiam juxta regulas prudentię defende. Quod ſi major tuâ æquitate fuerit ſuperiorum iniquitas, non jam chriſtiano Regi, ſed Herodi atheo ſubes; & indiges majore remedio. Surge igitur, & accipe pueros tuos & uxorem tuam, & fuge in Ægyptum. futurum eſt enim ut Herodes, aut te, aut ſaltem illos, quærat ad perdendum: pręſtat enim exulare apud ſanctos, quàm repatriare ſub iniquis. Fuge, fuge. Non eſt dedecori fuga, ubi notabilem jacturam incolatus inferret. Fuge audacter Herodem, quem ipſemet mundi Conditor, non quidem ut evadat, ſed potiùs ut te erudiat, exſûgit.

O Devs-Homo! Potentiſſime Princeps! Tua fuga me inſtruit, ut fugere diſcam pericula, quoniam, qui amat periculum, peribit in illo; at illam ego cum omnipotentiâ tuâ conciliare non poſſum. Hæreo, hæreo. Divm fugientem video; & cur fugere debeat ignoro. Fuga, nota eſt, quæ ingenuo homini convenire non poteſt: quo ergo modo Deo non ſolùm militi, ſed exercituum ſupremo Rectori conveniet?

Aliquę occurrunt ſolutiones potiores breviter dilucidabo. Dico igitur primò, Duelli leges, magno ſanguinis profluvio ſcriptas; eſſe juſtas, quandiù prudentiæ ſerviunt, & à neceſſitate dictantur; & illas omninò permittere, ut honeſta perſona ſine honoris jacturâ poſſit ſerpentem aut quamcumque aliam beſtiam ferocem fugere. imò & hominem delirum aut ebrium. Cùm igitur humanitatem omnem jam exuiſſet Herodes, & velut ſtygius quidam Cerberus in totam Palæſtinam ſævitet, decuit novum Adamum illa fuga; & mora quæcumque dedeceret. Doceantur igitur, tenelli ſuæ opinionis amantes, non omnem fugam ignominiam inferre, non omnem timorem eſſe indicem puſillanimitatis; ſed illum, qui animum obſedit, ubi non ſubvenit timendi occaſio. Et ego ad aliam ſolutionem tranſgredior.

576. Dico igitur eſſe varias fugas in bello, ſine quibus non poſſet facultas militaris ſtare. Propono illam, quam *receptum* appellant, cùm Imperator aliquis rebus examinatis ad ſuum locum regreditur; hic enim diſcedit ab hoſte, ut colligendo militem, ſecuriùs & fortiùs revertatur. Talis fuit Christi *fuga*: vel verbo militari, *receptus*; Hiſpano *retirada*. Exercitum ſuum diſpoſuit his diebus. Ipſe occupavit aciei frontem; & Stephani lapidibus loricam erexit fortiſſimam, quam munivit foſsâ, plenâ ejuſdem protomartyris ſanguine. Alas aciei ſubminiſtravit Evangelica Aquila, quam heri celebramus. Aquila, cujus pennæ ſunt *cañones*, (placet Hiſpana vox, ſonat enim & *plumas*, & *tormenta bellica*) qui poſſunt reddere ſecuram totam aciem. Hanc formant noſtri Infantes, (placet iterum Hiſpana vox, aciem enim Noſtrates *Infanteriam* appellant) & Angelus hujus Teſſarariis exercitûs, indicit, ut Christvs ſe recipiat ad Ægyptum, hoc eſt, ad locum anguſtum (ſic vox exponitur) tum ut [illegible] exercitum ob oculos habere poſſit, tum [illegible] ſtodiat ſuâ præſentiâ univerſas angu[illegible] quas poſſent milites tyrones deflu[illegible] go notâ digna eſt hæc fuga, ſiquidem agge[res], alæ, acies manent; & ſolùm Imperator nu[llâ]… ad debitum locum ſe recepit.

577. Addo conceptum alium. Scis eſſe frequentiſſimum ſtratagema, ſi alii ſimulent fugam & alii occulti illos, ſiqui profugos perſequuntur, invadant. Qui pugnandi modus ſecuriſſimus eſt, & ab Hiſpanis *Enboſcada* vocatur. Dicam igitur, Christvm habuiſſe milites ſuos occultos & tectos. Furit Herodes, & quantus eſt Christvm nondum fantem invadit. Simulat fugam Christvs, Herodes, & Principes Synagogæ perſequuntur fugientem, & in generoſos illos milites incidunt, quos hodie celebramus. Ecce fugit Christvs, non timore, ſed arte; fugit, ut occaſionem præbeat ſuo militi, ſuis infantibus (Hiſp. *A ſus infantes*, hoc eſt, ſuo Peditatui) adipiſcendi generoſam victoriam. Pugnate igitur, fortiſſimi Infantes, & cantate *triumphum*. Sed qui pugnabitis, qui brachia non poteſtis movere? qui victoriam cantabitis. qui fari neſcitis? Cantate nihilominùs, quoniam victoria non canitur lingua ſed triumpho; & is non adquiritur manibus, ſed merâ tolerantiâ & patientiâ.

578. Eſſe apud diverſas nationes, etiam in mundo, diverſos oppugnandi modos, addam. De Parthis Naſo.

Tergaq; Parthorum, Romanaq; pectora dicam,
Telaque ab adverſo, quæ tavet hoſtis equo.

Parthi enim fugiendo illuſtres ſæpè victorias reportarunt. Fugit igitur Devs, ut nos doceat hunc dimicandi modum omninò obſervari debere in conflictu morali. Optimè enim reſiſtit tentationi, qui orat Devm, ne in illam involuntarius inducatur; qui ſemper eſt timidus; qui ſemper fugit: nam qui quærit periculum, in illo perit. Sanè tres habet inimicos Anima; Dœmonem, Mundum, Carnem; Propriam voluntatem, Divitias, Voluptatem: Et ut fugiant pugnaturis præcipitur. *Fugite fornicationem*, dicitur provocato à Luxuriâ. *Vade; vende, quæ habes, & da pauperibus, & ſequere me*, contra divitiarum deſideria pugnanti: & obſeſſo ab ambitione dominandi, *Obedite Præpoſitis*. Et ut verbo omnia comprehendam,

ſin-

ſingulis dicitur, quòd fugiant: quoniam in tentationum arenâ, ſi libeat fugere, licebit vincere.

579. Occurrit locus appoſitiſſimus huic veritati confirmandæ. *D E V S vitam meam annunciavi Tibi.* ait Rex Propheta: & legunt alii, *fugam meam*, & optimè, quia ſæpè vitæ ſecuritas victoriaque (realiter, & etiam moraliter)in fugâ opportunâ conſiſtit.

Multa fecerat pro Abſalone David: illi vivebat per amorem; illi volebat commori per compaſſionem;& dicebat, *Quis mihi daret, ut morerer pro Te, Abſalon, fili mi?* Sed hunc ipſum affectum nullo carmine expreſſit: interim reperîmus *Pſalmum, in laudem David, cùm fugeret à facie Abſalonis.* ut poſſit non obſcurè colligi, opinione Davidis majore laude dignum fuiſſe, quòd fugerit ne Abſaloni noceret,quàm quòd voluerit pro illo mori. Dicamus igitur,CHRISTVM Dominum fugiſſe hominem, ne noceret homini. nam ſicut vitro invadenti lapidem, expediret, quòd iſte fugeret; ſic expediebat fragilitati Herodis, ne in CHRISTVM lapidem angularem impingeret.

580. Vidi ſemel Principem quemdam in arenâ cum Magiſtro currentem; & quoniam manus tenera lanceam gubernare non poterat,illam in medio curſu à vento rapi, & præcipitari in arenam. ſine ignominiâ tamen ob experti Magiſtri concurrentis ingenium, qui ſuam etiam eodem modo dimiſit, ut putaret populus lanceæ lapſum priorem non fuiſſe infortunium ſed artem. Et ut Divinis Humana correſpondeant, vidi diſcipulos fugientes, & DEVM dicentem, *Sinite hos abire*, ut illa fuga, temerè inita,aliquibus præcepta, aut ſaltem permiſſa videretur. Et quidem multa fecit DEVS, quæ eſſent Divinâ indigna majeſtate, ſi DEO facta; at ſingula ſunt ſummæ miſericordiæ indicia,quia facta mihi. *Mihi pavet*, ait Præſul Mediolanenſis,*mihi timet*, *mihi triſtis eſt*, *mihi dolet*. addo ego, *mihi fugit*. Quo enim modo mihi ſuaderetur paupertas,obedientia,continentia,ſi non viderem has virtutes in CHRISTO? Præponerem proculdubio egeſtati divitias; imperium ſubordinationi; voluptatem, carnis propriæ martyrio! at quia aliter CHRISTVM vixiſſe video, aliter omninò philoſophor. Sic etiam mihi fugit CHRISTVS, admonitus tamen divinitùs, ut diſcam Ego miſer, & nimiùm meæ authoritatis tenax, fugam indictam cœlitùs [puta illam, quam provocatus ad duellum non poſſet ſine mortali culpâ omittere] humanitùs carpi non poſſe. Fugiam igitur, Domine IESV & te fugientem perſequar: fugiam, inquam, univerſa illa, quæ mihi fuerunt impedimento,ne te aſſequar.Fuge igitur, dilecte mi, ſimilis capræ hinnuloq; cervorum: fuge, inquam, quia mihi fugit; ſiquidem me fugiendo doces, qui debeam præcipitia fugere.

581. Adhuc nova occurrit expoſitio; nec illam fugio. Quid dicam? Fugit DEVS in Ægyptum.Sed cur? *Mortem*, ais, *fugit ut ſalvet vitam*: at ego, *ſalvat vitam*, inquam, *ut quærat & inveniat mortem*. Sed quomodo? An-non præſtò erat mors,& Herodes eam inferre paratus? cur quæſitum aquam quis culmina montium adſcendit, qui littora maris, & oſtia fluvii præpotentis inhabitat? Cur ad Ægyptum quæſitum mortem, quando in Iudæâ tanta copia ſanguinis innocentis effunditur? Reſpondeo ad mentem Africani Doctoris, mortem fugiſſe CHRISTVM, non quidem ut illam ipſe fugeret,ſed ut pateretur acerbiorem. Non diſplicet Redemptori meo mors, ſed circumſtantia illam concomitans, quoniam illi placet quidem mors quà mors; diſplicet quà brevis, diſplicet quà dulcis: veroſimile eſt enim nefarios illos carnifices non torſiſſe infantes,ſed primo ictu occidiſſe.Vult igitur, Redemptor meus, non ſolùm ſubire mortem,ſed acerbam,longam;mortem,cui vita durior,& paſſio amariſſima præeat.

Sed hæreo. An-non CHRISTVS Dominus,ſi fuiſſet ab Herode occiſus,orbem terrarum redemiſſet? Quod ſi redemiſſet; ſat erat mori dulciùs; & ſi hoc ſatis, ſuperfluum erat mori acerbiùs. Et ſi hoc eſſe ſuperfluum aſſeratur,non aſſeretur verè dixiſſe Ariſtoteles, *A DEO & Naturâ nihil fieri fruſtrà.*

582. Vt huic dubio reſpondeat Auguſtinus, duas in CHRISTO qualitates ſolidè & acutè conſiderat;ipſe enim fuit & Redemptor & Amans. Addit, vel unam guttam ſanguinis fuiſſe ſufficientem, ut homines redimeret. At judicat brevem illam & leviorem mortem, quam ſub Herode pateretur, debere dici inſufficientem: & quia videtur contradictoria loqui,exponit mentem ſuam,& ait,*Quod ſatis*

erat

Digitized by Google

erat Redemptioni, non ſatis erat Dilectioni. Et meritò: aliud enim eſt ſolvere debitoris inſtar, aliud inſtar amantis. Solvit igitur litrum CHRISTVS Dominus, non tanquam purè debitor, ſed tanquam amans: adeòq; litri magnitudinem non metitur noſtra neceſſitas, ſed ejus Amor. Et quidem tam eximio Amori, parum erat interimi innocentiam infantem, innocentiam neceſſariam, quando virtus non eſt, ſaltem in nobis, qui uſu rationis aliquibus annis caremus. ſed requirebatur innocentia robuſta, ætas in univerſis libera, ut ſatisfaceret pro peccatoribus DEVS innocens.

583. Sed hinc aliquid diſco, & video aliud eſſe in Republicâ quam componimus, liberare fidem, aliud amare. Liberant fidem, qui officio ſatisfaciunt; amant, qui ſupra onera officii ſupponũt humerum, ut Monarchiam collabãtem ſuſtentent. Omitto illos; qui neutrum volunt facere; dantur enim tres cruces, & qui non voluerit Mundo crucifigi cum CHRISTO, poterit crucifigi cum Dimâ, ut vel ſic reſipiſcat; aut etiam, ſi voluerit, cum Geſtâ, ut corpore pereat & animo. Venio ad illos, qui fidem liberant, non tamen amant.

584. Occurro Ruſticis (etiam iſti cùm agimus Politica, inſtrui debent; ſunt enim Athlantes Reipublicæ, cujus onera fortiter ſuſtinent) modumque ſolvendi decimas Eccleſiæ, & pendendi Regi vectigalia conſidero. Ille primò obvios manipulos cedit Paſtori; hic pœnali tributorum legi ante ſententiam non ſatisfacit, & quantùm induſtria prævalet, tributum aut diminuit aut differt; ille alius ſimulat paupertatem; ne obedire pœnali præcepto cogatur. An-ne ſatisfecerunt? Reſpondeo quidem ſatisfeciſſe debito ſed non amori. Non habet obligationem ruſticus dandi meliora Eccleſiæ, & modò in quantitate non ſit fraus, non eſt cur dare primùm obvia non poſſit. Sed qui tam ſeverè procedit; ſolvit, non amat. Sic etiam de vectigalibus philoſophator: Si lege morali exigantur, ſubditus tenebitur omninò moraliter: at quæ merè pœnali exiguntur, non ſolvet ante judicis ſententiam, ſi non amat. Amantes enim ſolvunt cùm poſſunt, & quantum poſſunt & non amantes, cùm non ſolvere nequeunt; & tunc etiam nec vel unum quadrantem, quem utiliter negare poſſunt.

585. Sicut inferiores omnes debitores ſunt Principi, non tamen ſunt omnes amantes: ſic etiam Principes debitores ſunt ſubditis, non tamen omnes amant. Pulchrè id oſtẽdit CHRISTVS, ſuperiores in Mercenarios & Paſtores diſtinguens. è quibus illi ſtipendio moventur, iſti amore. Fugit mercenarius, quia mercenarius eſt, & mercenarius eſt ille Princeps, qui fugit laborem & onus, & ſolummodò quærit dignitatis honorem, divitiarumque commoditates. Quòd ſi Miniſtros dignos Reipublicæ præficiat, fortè ſatisfacit debito, ſed non amori: hic enim perſonalem aſſiſtentiam & curam hypoſtaticam poſtulat: exigitque, ut Superior ſit Paſtor, & vitam ſuam exponat pro ovibus ſuis.

586. Iterum, *Fuge in Ægyptum*, audio, & iterum quæro rationem. Tertullianus me juvat. Dico ideò CHRISTVM fugiſſe mortem unicam, ut multas ſubiret. *Non*, inquit, *ſimplex mors, non ſimplex paſſio, ſed ſaginari voluptate patiendi diſceſſurus volebat.* O ſumma Verbi æterni erga creaturas peccatrices dilectio? ô ſummæ indicium charitatis! Fugit mortem, ut mortes inveniat; paſſionem brevem, ut ſubeat multas & prolixas paſſiones. Vel dicito. An-non fuga mors altera? imò morte naturali rigidior: & talis, quam nemo nobilis ſubire debeat, ne mortem ſubeat? An-non exilium eſt politica Mors, & in jure *mortui civiliter* proſcripti nominantur? An-non banniti moriuntur in timore, vivunt in ſpe; quibus illa eſt vehemens, iſta leviſſima, & umbra quælibet imago mortis? An-non mortem maſticant millies, tranſglutiunt centies; ſemper patiuntur: & quam ubique timent, nullibi non exſpectant? Et ſiquidem CHRISTVS erat ab Herode proſcriptus; & in ipſo ſumma Innocentia ab eximia Nequitiâ erat, ut ſic loquar, bannita; debebat multas mortes pati opinione & timore, ne unam reverâ pateretur. An-non morimur Mundo, cùm vota emittimus, & ſubſtantiales virtutes obſervamus? Et ſi homines hoc modo morimur, id etiam genus mortis ſubiit CHRISTVS, qui has virtutes ſanctiſſimas devovens Patri novo titulo fuit mortuus mundo. An-non etiam ſunt crudeliſſimæ mortes perſequutionem pati in patriâ, vendi ab uno diſcipulo, negari ab altero, decredi ab alio, deſeri ab omnibus; flagellari, ſpinis coronari, ſputis obrui, colaphis excipi; irrideri, contemni, peſſumdari?

Digitized by Google

-Et tamen omnes iſtas mortes paſſus eſt pro nobis author vitæ, antequam pro nobis moreretur.

587. O bone IESV, quanta Tibi debemus, & quàm parum, aut ut meliùs dicam, quàm nihil ſolvimus! Nos miſeros! actiones noſtræ non ſolùm non reſpondent amori (ſumus tepidi) ſed neque debito (ſumus avari.) Ergo, qui ſciviſti pro homine plus quàm debebat ſolvere, digneris eſſe contentus quando ſolvit multò minùs quàm debet.

Plura dicturus eram. ſed diſtrahor; fugis enim in Ægyptum Domine IESV, & ego ſi tecum etiam fugiam, confugiam, & diſcam hujus fugæ cauſam. An-non inſinuavero plurimas? maximè: ſed decreta divina fundantur infinitâ ratione, quam rimari homo poſſit, non tamen aliquando exhaurire. Dicam igitur, cauſam fugiendæ mortis, deſiderium ejuſdem mortis fuiſſe; amat enim DEVS hominem, & in amoris teſtimonium ſe morte dilectiſſimâ privat. *Fineza es*, placet id exprimere Hiſpanè: Amor enim multorum opinione non Cyprius, ſed Iberus jam eſt, & utinam ſicut eſt gentis provincialis proprietas, ita etiam ſemper eſſet purus & bonus. Sed malo male amaſſe, quàm male odiſſe, & amorem purificaturus, oculos ad divinum converto. *Finezam* voco teſtimonium Amoris; non enim videntur ſcire amare Latini, ſiquidem conſignificante voce carent. Vel dicam, Non-ne placent DEO, jejunia, abſtinentiæ, diſciplinæ, mortificationes, imò & ipſa Martyria? An-ne DEVS, ita eſt crudelis, ut ſanguinem humanum epotet, & noſtris miſeriis delectetur? Minimè. Cur ergo, dolores noſtros amat? Quia vult amari; & mortificationes ad DEI gloriam ſuſceptæ ſunt teſtimonia Amoris, & ut Hiſpanè dicam, *ſon finezas*. Vel pone Hominem ob avaritiam jejunantem, hypocriſis causâ pœnitentem, mortem in duello fortiter patientem pro amaſiâ, & videbit quanti hæ miſeriæ fiant. Punientur dubio procul in ipſo, quæ coronarentur in altero, quoniam hujuſmodi mortificationes tunc ſolùm bonas dico, cùm *finezas*, & DEI amari teſtimonia.

588. Dedit nobis DEVS opes, opulentiam; divitias; imò & totam terram; imò etiam totum cœlum, noluit tamen munera vocare *finezas*, & intenſæ dilectionis indicia [quoniam hoc muneribus nomen tunc priùs cœpit competere, cùm Devoti permitti Monialibus; aut etiam Servitores Reginæ Pediſequis, quæ voto fortè, non tamen ab illis differunt obſervantiâ.] Sed ut dilectionis ſuæ CHRISTVS exhiberet ſpecimen, ſe privare propter hominem voluit re dilectiſſimâ; hoc eſt, morte; hac enim nihil diligebat intenſiùs, nil ardentiùs amabat.

589. Hinc eſt, quòd contemplativi Doctores, cùm CHRISTVM Dominum in ventre Mariano conſiderant, illum ſummos ibi dolores paſſum aſſerant; hoc eſt, doluiſſe omninò, quòd moras paſſio traheret, nec pati pro hominibus poſſet. Tanti enim faciebat dolores, ut diceret, *Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum*: ut videretur tormentis frui & eorumdem expectatione, aut etiam dilatione torqueri. Vnde ſi invidiæ capax eſſet Infans DEVS, aut nullus, aut ſolis Infantibus noſtris invidêret, quibus vix enatis pati & mortem ſubire, divinitùs conceſſum eſt.

590. Vt igitur, Domine IESV, plus patiaris, paſſionem differ; fuge in Ægyptum, ut te vehementiùs torqueat amatæ paſſionis dilatio. Interim ego, & Te proſequar animo, & Te manebo oculis, ut quid Te abſente faciat, aut cogitet Herodes explorem; certò ſciens, nihil boni unquam facturum hominem abſente DEO.

Sed prodeſt contextum recognoſcere. *Angelus Domini*, ait Matthæus cap. 2. b. 13. apparuit in ſomnis Ioſeph dicens, *Surge & accipe Puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum.----Qui conſurgens accepit Puerum & Matrem ejus nocte, & ſeceſſit in Ægyptum.* Ecce ſummæ obedientiæ exemplum. Ecce juſſionis & exſequutionis concurſus, obedientiæ apex, & religioſæ perfectionis faſtigium. Ecce velut in eodem inſtanti temporis præceptum Angeli, & Ioſephi obedientia coëxiſtunt? Hanc Obedientiæ puritatem Monachis ſuis S. Benedictus proponit cap. V. ſanctæ Regulæ dicens. *Primus* (ſummus) *Obedientiæ gradus eſt Obedientia ſine mora. Hæc convenit his, qui nihil ſibi* CHRISTO *chariùs aliquid exiſtimant.----Hi tales relinquentes ſtatim quæ ſua ſunt, & voluntatem propriam deſerentes, mox ex occupatis manibus, & quod agebant imperfectum relinquentes, vicino obedientiæ pede jubentis vocem factis ſequuntur. Et veluti*

uno

Digitized by Google

uno momento prædicta Magiſtri juſſio, & perfecta Diſcipuli opera in velocitate timoris DEI ambæ res communiter citiùs explicantur, quibus ad vitam æternam gradiendi amor incumbit. Cur nocte ſurrexerit Ioſeph, ſcio; ſurrexit nocte, quia nocte recepit præceptum, nec moras traxit ſtatim obedire paratus. Sed cur, Domine IESV, nocte præcipitur Ioſepho, quòd egrediatur, & Te condúcat in Ægyptum? Satisfaciat Hieronymus [libr. 1. Comm. in cap. 2. Matth.] *Quando tulit Puerum & Matrem ejus, ut in Ægyptum tranſeat, nocte tulit, & in tenebris; quia noctem ignorantiæ, à quibus ipſe receſſit, reliquit incredulis. Quando verò revertitur in Iudæam, nec nox, nec tenebræ ponuntur in Evangelio, quia in fine mundi Iudæi fidem, tanquam CHRISTVM ab Ægypto recipientes, illuminabuntur.* Solis abſentia eſt nox, præſentia dies; & quia CHRISTVS Sol Iuſtitiæ eſt, ideò illo redeunte illuminabuntur Iudæi, qui illo recedente obſcurantur.

591. Diſceſſit noctu CHRISTVS Dominus, quia illo fugiente nox ignorantiæ & culpæ in totâ ferè Palæſtina remanſit. *Et tunc Herodes,* ſic habet Sacer Textus; *videns quoniam illuſus eſſet à Magis, iratus eſt valdè.* Sed contra quos? clara res eſt; contra Magos ſolummodò. Et quid fecit, ut expleret furorem? *Occîdit omnes pueros.* O rem miſeram, communem tamen! Semper Regum deſidiam, luunt ſubditi; ſemper Principum controverſias vaſſalli. Sic etiam olim apud Græcos; ſic etiam apud Latios: ſic & hodie apud nos. Exorbitabant Agamemnon & Menelaus, & exorbitantiæ hujuſmodi expiabantur Græcorum ſanguine; unde illud Axioma, *Quidquid delirant Reges, plectuntur Achivi,* aut ortum aut ſaltem plauſum habuit. Et quid etiã aliud bella Pompeii & Cæſaris, quàm privata deliria Potentiorum, & tamen plurimo ſubditorum ſanguine expiata? Et ſi res bene examinetur, controverſiæ, qualeſcumque ipſæ, Regum deliria ſunt, quæ ſtant multorum innocentum ſanguine.

592. Omnia, quæ vidimus in diverſis provinciis, & lugemus hodie in utrâque Germaniâ, omnia in compendium & ſpecimen videtur reduxiſſe Evangelicus iſte Tyrannus, apud quem *Dat veniam corvis, vexat cenſura columbas*: & quoniam infantes ſunt ſinceritatis columbinæ, curat univerſos interfici.

Aperio oculos; & inter Dœmonem Herodemque nullam ego differentiam reperio. vel ſi aliquam, quod in ipſo ſit Diabolus obſeſſus à Rege, cum aliàs mali Reges obſeſſi videantur à Diabolo. Porrò, ubi privatus vir delinquit, tentari dicimus à Dœmone, non ſciviſſe inſultum obſidentis retundere, hoſtili violentiæ ceſſiſſe. At quando peccant Reges, Diabolos obſeſſos regiâ majeſtate videmus; vel quod ipſi in Dœmones videantur tranſire; vel quod ad tam eminentem malitiam aſcenderunt, ut non tentari à Dœmone, ſed ipſum tentare videantur. Vel dicito; An-ne omnes Dœmones ſimul congregati in comitiis ſcirent tantum facinus, tantum crimen proponere, quantum occidere millenos innocentes fuit? Iob erat innocens, & authoritatem in bona, imò in carnem auſus eſt Sathan petere & obtinuit; at authoritatem in vitam & honorem, ne cogitare quidem auſus, hodie ab Herode ſuperatur & vincitur. *Hic* enim non jam unum, ſed innumeros *innocentes*, reos agit læſæ majeſtatis; & ſimul honore & vitâ privat. *Dæmon,* ait Cyprianus, *omnia virtutum genimina in ipſo ortu ſtrangulare molitur.* imò & ſtrangulat obſeſſus à Rege. Tolle Regem iniquum; tolle tyrannum obſidentem, & Dœmonis impotentiam videbis. Multa hodie facit, multa exſequitur contra innocentiam teneram, quoniam armatur ab Herode. Sed ſi rem bene examinem, etiam Tyranno armatus Dœmon, cum magna videtur conari, nihil facit; imò prodeſt omninò ubi nocere peroptarat. Auguſtinus [Serm. 10. de Sanctis. Append. 72.] *Ecce profanus hoſtis, ait, nunquam beatis parvulis tantum prodeſſe potuiſſet obſequio, quantum profuit odio.*

593. Occîdit quidem Herodes omnes pueros. Bone DEVS: nocenti parci, ne patiatur innocens, ſæpè obſervavimus: at perdere multas innocentum myriadas, ne non pereat unus & ſolus, qui per eſſentiam innocens; ſolius Herodis eſt. Quod ſi aliquis Rex in Europâ actiones ſimiles aut olim fecerit, aut hodie faciat, etiam Herodes eſt. Ob unius juſti reverentiam injuſto ignovit Eliſæus, cum Roboamo impio, ob Ioſaphæ Regis pietatem: Civitati peccatrici ob unum juſtum ignoſcitur, nam Hieroſolymæ ſceleſtæ venia

con-

conceditur divinitùs propter merita Regis Ezechiæ, Angelum militem à Deo impetrantis, & cęlitùs Sennacheribi copias numeroſas[hoc eſt, 185000. Aſſyrior.]4.*Reg.*19. delentis. Scio Sodomæorum regionem fuiſſe habituram veniam, ſi habuiſſet decem juſtos, & Segóri civitati tametſi peccatrici conceſſam, ut tres juſtos (Lothum & filias ejus) excipere poſſet hoſpitio. Cæterùm velle occidere unum innocentem, & ne fruſtretur votum, omnes innocentes, ſupra hominum aut Dœmonum etiam malitiam, ſolius Herodis eſt. Comparat Adamum cum Dœmone Bernardus meus, & illum tametſi abſolutè peccatorem, relativè innocentem pronuntiat! & ego Caipham ipſum cum Herode compono, ipſumq; comparativè innocentem appello. Nam ille, ut totum mundum nocentem ſalvet, unum innocentem condemnat; *Oportet*, ait, *ut unus moriatur pro omnibus, ne tota plebs pereat.* At iſte ut unum innocentem condemnet totum infantem mūdum, cui dominabatur, interimit: plures Pueros ubique terrarum deleturus, ſi dominaretur ulteriùs. *Oportet*, ait, *ut omnes moriantur pro uno, ne iſte unicus innocens gladium evadat*. Nec impunè. quoniam aſſerente Auguſtino, *Miſer timuit Herodes, & pro parvulo occìdit parvulos. Et timens regnum amittere, non meruit cæli regem cognoſcere*.

594. O quam verè ab Eccleſiâ dicitur, *debilia mundi, DEVM eligere, ut vincat fortia.* Habebat olim Ægyptus ſuum Herodem, quia ſicut hodie ſævit alter in Palæſtinâ Pharaon, ſic etiam tunc inſoleſcebat alter Herodes in Ægypto. Innocentes, Iſraëlis poſteros, quos hoſpites admiſerat, mancipia fecerat, & crudeliſſimè tractabat. Iubet illos liberos dimitti Devs; & Pharaon obedire recuſat: & vitâ indignus bello oppetitur ab exercituum Domino. Non indiget omnipotens Elephantum turritorum numero; nec camelorum aut etiam equorum ſtrepitu; ſufficiūt ei debilia quæque, ut atterat etiam fortiſſima. Ergo, Pharao bello te præpara, quoniam jam in campo exercitus adverſarius diſponitur. Ecce exploraturæ tuam potentiam Ranæ, imbelles beſtiolæ, præcurrunt; ſequuntur alæ Pulicum, Cimicum, Crabronum, Scarabeorum, Papilionum, & Erucarum manicę Pediculorum turmæ. Aciem formant minutiſſimæ Muſcæ; claudunt Locuſtæ; & ne deficiant Tubæ & Tympana, ſtrident Cæciliæ, Tabani, Grylli, Cicadæ, & Oniſci. Attende Pharao rem miram auditurus es. Ipſiſſima hæc animalcula te opprimen t, confundentque. Et tu, Iudaice Pharao, aperi oculos, nam iſti ipſimet innocentes, quos oppetis, milites ſunt Infantis Dei, à quorum potentiâ generosâ vincêris. Vincêris quidem; quoniam intentum tuum eſt impedire Infantis Dei intentum, puelli Regis imperium, & tamen tu militabis ipſi, cùm contra militare putabis. Innocentes occîdis. Et Lipomanus. *Tranſmittit infantes infans CHRISTVS: nova xenia Patri, primitias Genitori*. Conſonat Auguſtino, qui [ſerm. 10. de Sanctis] ait, *Aliorum quidem pretioſa mors Martyrum, laudem in confeſſione promeruit; horum in conſummatione complacuit. Quia incipientis vitæ primordiis ipſe eis occaſus initium gloriæ dedit, qui præſentis terminum impoſuit. Quos Herodis impietas lactantes Matris uberibus abſtraxit, qui jure dicuntur Martyrum flores, quos in medio frigore infidelitatis exortos, velut primas erumpentes Eccleſiæ gemmas, quædam perſecutionis pruina decoxit*. Et ibidem. *Beata es Bethlehem terra Iuda, quæ Regis Herodis immanitatem in puerorum extinctione perpeſſa es; quæ ſub uno tempore candidatum plebem imbellis infantiæ DEO offerre meruiſti*. Et in eodem conceptu Eccleſia in hymno. *Salvete flores Martyrum, Quos lucis ipſo in limine CHRISTI inſequutor ſuſtulit, Ceu turbo naſcentes roſas; Vos prima CHRISTI victima, Grex immolatorum tener, Aram ſub ipſam ſimplices Palma & coronis luditis*. Vincit igitur Christvs, quia in tot martyrum millibus à Te interemptis, & emptis à ſe coronatur. *Ideò cum ſummâ exultatione gaudeat Terra Cæleſtium Militum, & tantarum Parens fæcunda virtutum*. [Aug. ſerm. 10. de Sanct.] nam tam ſancto rigata ſanguine millenos deinceps milites ad acies Empyreas tranſmittet.

595. Sed quo coronari modo poterunt innocentes? An actus neceſſarii & liberæ voluntatis impotes coronâ digni? Aſſerunt & negāt Scriptores, heterodoxas opiniones protrudunt. Ego Aug. citatum aſſequor, aſſerit enim, *quantum in beatos parvulos abundavit iniquitas, tātum in eis gratiam benedictionis* (& gratiæ benedictionem) *refudiſſe*, cur enim non poſſent propter Christvm coronari divinitùs,

tùs, qui propter eumdem damnabantur humanitùs? Fuiſſent inſigniti mei parvuli, nullâ prorſus coronâ, ſi Iudex opera operantium reſpiceret: at quia reſpexit paſſionem ſuorum militum, CHRISTI meritis & ſanguine nobilitatam, ecce enim ex ſolo hoc beatos eos dicent omnes generationes. Similis fuit paſſio Infantum Baptiſmo, qui etiam innocentium originarias culpas eluit;nam hic Infantum cãdidatus exercitus ſanguine proprio baptizatur, CHRISTI meritis elevatur horum martyrum paſſio,defectus rationis CHRISTI libertate ſuppletur;& miſericordiâ divinâ corona cęleſtis conceditur.Et ut famam famâ,honorem honore recõpenſent,qui ob crimen regiæ Majeſtatis læſæ antequam fari ſciant, cõdemnantur,declarãtur divinitùs Principes,militiæ cęleſtis. Quod clariſſimis teſtimoniis perſuadeo.

596. Hærebant Iſraëlides ad mare rubrum omnipotentiâ Cõditoris diviſum Aminadab audentior univerſis voluit eſſe præcurſor,& Primatis glorioſam laureolam obtinuit. Et Ioabo, quoniam in inſultu prior obſeſſam fuit civitatem ingreſſus, primas obtulere univerſi. *Aſcendit Ioab primus, & factus eſt Princeps*. (has hiſtorias recenſeo, noſtri temporis mores non urgeo; bene enim ſcio, ad militiæ dignitates hodie nobiles & divites inexpertos adſcendere; & expertiſſimos milites poſt magna ſervitia intermitti) ſed ex Aminadabi & Ioabi promotione ſic infero. Ergo, ſi rationis paritas alicubi debeat admitti,cœleſtis militiæ Principes ſunt Innocentes, utpotè primi, qui martyrium ſunt pro CHRISTO perpeſſi.Ipſi enim, ſimiles Græcis protomartyribus, qui apud Cyprianum, *Surgentes, belli impetus primos immobili robore & inconcuſſa ſtabilitate fregerunt*. Has martyrii primitias ſinguli Patres diverſis proſequuntur elogiis, & Auguſtinus[ubi ſupra]ſicut florem à fructu, ſic Paſſionem Infantum diſtinguit à Sãctorum adultorum Martyriis.Flos recreat,fructus nutrit;& ego Innocentes, Martyrum florem, devotiſſimè admiror, at cum majore fructu reliquos imitor, & eorum exemplo ſuſtentor.

Primitiæ Martyrum fuerunt innocentes hi parvuli; ſed præter hoc etiam reperio in eis Martyrium adeptum fuiſſe aliquam excellentiſſimã prærogativam, quâ in univerſis caruit.

597. Vel aperite oculos, & Martyres univerſos videte. Alii occiſi ſunt ob CHRISTI imagines,alii ob fidem,aut aliquam aliam virtutem; nemo præter infantes noſtros ſublatus eſt ob CHRISTI defenſionem perſonalem. Hi ſublati,ne occideretur CHRISTVS; omnes enim trucidavit ſacrilega Herodis reſolutio,ne CHRISTO ignoſceret;& quia de ſingulis dubitabat, in ſingulis unum CHRISTVM ſaltem opinione occidebat.

598. Claudo diſcurſum meum, & hanc unicam ſpeculationẽ adjungo.Suadetur Rhetori, ut priùs loqui, quàm placere deſinat; & ego ne placere deſinam,verbis finem impono, claudendo orationem cõceptu, qui mihi prodeſt, & vobis diſplicere non poterit. Sic rem conſidero.Occiſus eſt CHRISTVS,ut univerſos redimeret; & ut CHRISTVM redimerent, occiſi ſunt noſtri Innocentes.Ille Redemptor Hominum univerſorum eſt; iſti ipſimet CHRISTI Redemptores. Damnati eramus morte, & moriendo pro nobis CHRISTVS Dominus à debito mortis redemit. Et CHRISTVM ab Herode damnatum moriendo pro ipſo Martyres Innocentes redemerunt. Quod in Abrahami ſacrificio myſticè video delineatum. Ibi ſententia capitalis concernebat Iſaacum, & affecit Agnellum, pueri interimendi Redemptorem.Et hìc ſententia illa tyrannica reſpiciebat CHRISTVM, & exſecutio Agnos iſtos CHRISTI Redemptores reſpexit. An-ne apud Philoſophos admitti poterit mutua cauſalitas? debebit ſæpè. Et in iis parvulis præcipuè, qui nobiſcum,videntur & vident,amantur & amant; & præter nos redimuntur & redimunt. Nimirùm, ſanguine CHRISTI à manu infernalis Herodis redimuntur, & redimunt ſuo ſanguine CHRISTVM à manu Humani illius Dœmonis, qui gubernabat Palæſtinam.

599. Docent moriendo pro CHRISTO pro ſeipſis morituro, Principum & Inferiorum concordiam,ſummam eſſe debere,voluntatem analogam,& amorem reciprocum. Vacat genio Monarcha? indulget deliciis? ne unam quidem ſomni horam vult impendere in utilitatem Reipublicæ? Stultus ſim, ſi mori pro illo velim. Eſt paratus mori pro ſingulis? ingratus ſim, ſi nolim pro illo mori,ut reliquis poſſit prodeſſe. Redimam eum à morte, etiam ſanguine fuſo, quoſcumque me voluerit, à ſimili miſeriâ redimere: nam Superioris & Subditi reciproca eſt neceſſitudo, & quando ille eſſe Redemptor dedignatur, in-

Digitized by Google

indignus eſt, qui Subditos habeat Redemptores.

600. ☙Et nos, Optimi Subditi, quia Regem amantem habemus, eſſe amantes debemus aut amentes; quoniam non redamare amantem,amentia eſt. Quia habemus Regem Patrem, tenemur eſſe filii, eique non timore ſervili,ſed reverentiali obtemperare.Quia habemus Regem Paſtorem, qui pugnat pro nobis, & animam ſuam adhuc in ætate tenellâ ponit pro ovibus ſuis;debemus oves eſſe mitiſſimæ, & ſicut agni ad occiſionem ducti, malle mori,quàm illum periculo exponi permittere.Et quia Regem Redemptorem habemus, nimirùm potentiſſimum, qui nos ab hoſtium gladio liberavit; tenemur agere Redemptorum officium, illum à curis & periculis noſtrâ fidelitate liberando. Et tandem, ſiquidem habemus Regem CHRISTO Domino ſimilem; nos ſimiles Infantibus Innocentibus ſimus.

601. ☙Similes inquam vobis,candidiſſimi Cœlites; vos enim ſequimini Agnum, quocumq;iërit; & nos vos ſequimur, quocumque iëritis. Imitabimur vos, ſi non in ætatis teneritudine, in innocentiæ puritate. Parati ſumus mori pro CHRISTO Domino. Parati interimi pro fide & Eccleſiâ Catholicâ. Parati pro Patriâ. Parati pro noſtro Auguſtiſſimo Cæſare, pro eius Gnato Bohemo & Hungaro Rege. Annos felices & finis neſcios numeratis; ut nos annum præſentem deſeramus feliciter, & auſpicatiſſimè ineamus ſequentem, orate DEUM, Imperatorique, & Regi noſtro, Patrem & Filium Spiritum Sanctum, nec non vitam,valetudinem,& felicitatem impetrate; & ſi infortunium, quod abſit, capiti alterutrius immineat, ſicut veſtro ſanguine CHRISTUM à morte redemiſtis, ſic noſtrum Cæſarem Regemque redimitote noſtro ſanguine. DIXI.

Ne omnia, aut eſſe merè ſpeculativa, aut publicæ Rei faſtigium concernere dicantur, adeòq; debere potiùs in Schola tractari, nec poſſe ad praxin & effectum reduci; has Politicas epiſtolas, ad diverſos Amicos prout tempora tulerunt ſcriptas & miſſas ſubſcribo, ut vel ſic Politicam etiam Regularem promoveam.

PERILLUSTRI DOMINO

GABRIELI DE ZEPEDA

SALUTEM.

ARGUMENTUM. *Dives & benemoratus ſenex, filium ſuum amantiſſimum, quem jam ſedecim annis omni virtute inſtruxerat, & bonis literis erudiri curarat, DEO conſecraturus, quæſierat ſibi inſinuari ordinem DEO gratiſſimum, ut illum eò poſſet dirigere. Cui breviter, tametſi conſultatio eſt graviſſima, literæ ſequentes ſatisfaciunt.*

602 AGens de fœmina prædivite Auguſtinus, una brevi periodo multos avaros opulentos proſcidit. *Maiores noſtri*, ait, *ideò copiis omnibus abundabant, quia DEO decimas dabant, & Cæſari centum reddebant. Modò autem quia receſſit devotio DEI, acceſſit inductio fiſci. Nec tollit fiſcus, quod non tollit CHRISTUS. Hoc pro turpibus datur, quod pauperibus non erogatur.* Et tu quidem, mi Gabriel, Maioribus noſtris maior es. omnia vis dare DEO, & quia inſtrui deſideras me conſulis, & electionem laudo, ſcis enim ſolere DEUM etiam minimis ſuam voluntatem revelare. Si uberiorem inſtructionem deſideres, lege aureum illum libellum, qui recuſus eſt Romæ apud Franciſcum Corbellettum, anno 1628. cui titulus, APOLOGIA PERFECTIONIS VITAE SPIRITUALIS, ſive, *Propugnaculum Religionum omnium, ſed maximè Mendicantium, contra Epiſtolam Theologi cuiuſdam ad quemdam Magnatem ſcire cupientem, quo modo poſſet diſtribuere bona ſua temporalia ad pios uſus cum utilitate quàm maximâ animæ ſuæ: & cui Ordini Regulari unum è nepotibus ſuis vitæ Religioſæ deſiderio captum deberet addicere. Authore Reverend. P.F. Nicolao à IESU-MARIA Carmelitâ diſcalceato Polono.* In hac enim Theologi Anonymi Epiſtolâ contra omnes Monaſticos Ordines prurientem obſervabis

Digitized by Google

affectum, & in Apologiâ ſinceriorem affectum: fortè etiam aliquando contrariâ opinione præventum, ſed condonandum aliquid eſt Apologiæ, multa enim nimis ponuntur in Epiſtola, quæ non poterunt ad debitam mediocritatem reduci, niſi in contrarium animosè torqueantur. Sed quia fuſiùs omnia in hoc libro, ut tuæ piæ curioſitati ſatisfaciam, rem expendam breviſſimè, & ſex perſtringam Concluſionibus.

603. PRIMA. *Non omnia bona ſunt utilia, nec omnia meliora utiliora*. Aſcenditur; quoniam bonitas eſt duplex abſoluta, & relativa; & multa abſolutè eſſent bona, quæ reſpectu talis loci temporis & perſonæ convenientia non ſunt. Nam & negatio gratiæ, quâ prævidemur abuſuri, gratia eſt; & tamen gratia bona eſt. Datus fuit Paulo Dœmon: qui illum vexaret, & licet abſolutè conſideratus Dœmon bonus non ſit, fuit bonus Paulo, nam virtus in agone perficitur.

604. Hinc conſtat non eſſe bonam conſequentiam. *Religio eſt bona, ergo, quicumque illam poteſt amplecti*: Apoſtolatus enim bonus erat, & tamen Iudæ bonus ipſe non fuit, adeòque nec imprudenter compelli poteſt adoleſcens, ut religioſus fiat; ſed debet Confeſſarius, ejus etiam mores & conſcientiam diſcutere, & videre. An rebus omnibus conſideratis ille juvenis religione abuſurus credatur; meliùs eſt enim laſcivo adoleſcenti uxorem ducere, quàm uri; meliùs avaro non profiteri paupertatem; meliùs duro & ſuperbo non debere obedire. quoniam ut bene in Collatione Ioannis Abbatis Caſſianus ait, *Meliùs eſt devotum in minoribus, quàm indevotum in majoribus profeſſionibus inveniri.*

Ergo, mi Gabriel, filii tui devotionem & ſpiritum ne metiaris ex tuo, ſed ejus mores inclinationeſque diſcutias, & ſi ſanctiorem in Monachatu, quàm in Cœlibatu, aut etiam in Matrimonio eum futurum ſperes, illi audacter ſtatum regularem perſuadeas; aliàs illum in quo magis DEO ſervire poſſit.

605. Si adoleſcens ipſiſſimus aptus Religioni credatur; adhuc examinandum eſt, cuinam poſſit convenientiùs addici. Vnde ſit

SECVNDA CONCLVSIO. *Religio, quæ uni eſt convenientiſſima, alteri eſſe poterit diſconveniens.* Legatur Epiſtola prima S. Bernardi, in quâ Cluniacenſiũ mores, aliàs bonos benignoſque Roberto ſuo malos & inconvenientes vir mellifluus exiſtimat, qui ſibi viſus majore indigere rigore.

TERTIA. *Cùm examinatur Religionis perfectio, conſiderandus eſt ſtatus præſens, non verò rigor primitivus*. Et ratio eſt; quia non formabor ego antiquis moribus, quos non obſervo; ſed præſentibus, quibus obſtringor.

QVARTA. *Prudenter poteſt alicui ex causâ perſuaderi ut adeat potiùs Religionem benignam quàm auſteram; nunquam ut relaxatam.* Vt concluſionem intelligas, adnotato; in hoc Religionem benignam à relaxatâ diſtingui; quod illa graves obligationes non habet, & hæc graves habet & non obſervat, quam ob rem relaxatam judicabo omnem illam, in qua mortalia crimina tolerantur impune. Nempe in Hiſpaniâ illam, quæ Religioſorum & Religioſarum devotiones titulo honeſtæ recreationis tolerat; & frequentes cum fœminis confabulationes permittit. In Germaniâ illam, quæ jejunia Eccleſiaſtica non obſervat, aut in recreatione ad ebrietatem & crapulam potum & cibos ſubminiſtrat. Putaremque ſecuriùs tenerum adoleſcentem, in domo paternâ remanſurum, quàm ſi ad talia monaſteria diverteret. corrumpunt enim bonos conſortia parva, & qui cum ſancto parente ſuo ſanctus erat, cum perverſis debebit neceſſariò perverti.

606. QVINTA. *Locus, ubi caro non maceratur, tametſi contemplationes, orationes unitivas, aut ſi malis revelationes nundinetur, ſecurus non eſt*. Oſtenditur. Quoniam caro etiam macerata & afflicta, tam rebellis eſt animo, ut à noſtri temporis hæreticis poſſe continentiam ſervari non credatur, qui ideò votum caſtitatis condemnant. Non eſt hæc hæreſis nova; illam ſub ipſum Eccleſiæ initium, multi molles ingenioſi docuerunt. *Hoc docuit Dormitantius*, ait Hieronymus, contra Vigilantium hæreticum, quem mavult vocare Dormitantium, *libidini frena permittens; & naturalem carnis ardorem, qui in adoleſcentiâ plerumq; ferveſcit, ſuis hortatibus duplicans, imò extinguens coitu fæminarum, ut nihil ſit, quo diſtemus à porcis, quo differamus à brutis animantibus, quo ab equis, de quibus ſcriptum eſt: Equi inſanientes in fæminas facti ſunt mihi, unuſquiſq; in uxorem proximi ſui hinniebat. Hoc eſt, quod loquitur per David Spiritus Sanctus,*

Digitized by Google

ctus, Nolite fieri ſicut equus & mulus, in quibus non eſt intellectus.

607. ☞ Porrò Auguſtini ſententiâ difficilis quidem eſt, ſed non impoſſibilis caſtitas. In ſermone ſic ait, *Inter omnia, certum eſt, Chriſtianorum duriora ſunt prælia caſtitatis; nam ibi continua pugna, & rarior victoria: rara enim concordia formæ atq; pudicitiæ; Rara avis in terris nigroq; ſimillima cygno.* Et quia difficillima, deſidi animo impoſſibilia ſunt. teneo ſervido adoleſcenti ſaginare ſe carnibus, lautè vinum bibere, molli lecto, mollibus veſtibus uti, & tamen caſtum eſſe, humanitùs eſſe impoſſibile. Loquor in ſenſu compoſito; quoniam in diviſo poſſe adoleſcentem per DEI gratiam, quæ præſtò eſt omnibus, ſervare continentiam, ſi velit, liberè affirmaturus ſum. In ſenſu inquam diviſo, hoc eſt, ſi quanquam neceſſitas poſtulat, ab opiparâ & lautâ menſâ abſtractus, vino abſtinens, mollem lectum tollens, veſtes delicatiores exuens, incipiat agere vitam pœnitentem & duram, totam contemplativam, totam ponderativam, totam prudentem; ut vel ſic poſſit laſcivientem concupiſcentiam ſubjugare. Hieronymus epiſt. 96. *Alia peccata extrinſeca ſunt, ſicut avaritia, & alia: ſola libido inſita eſt. Grandis enim virtus eſt, quod natus ſis in carne, non carnaliter vivere; tecum pugnare quotidie, & incluſum hoſtem, Argi (ut fabulæ ferunt) centum oculis obſervare*: Et quidem ſi centum oculis indigeo ut caſtus ſim, quî vinum mentem excœcans bibere, & opiparos cibos laſciviam intendentes devorare poſſim, & tamen ſervare caſtitatem non video. Debeo jejuniis enervare adverſarium, ſobrietate oculos binos à naturâ conceſſos emungere; novos à DEO impetrare, orando, gemendo, clamando. Et concludo Monaſterium, in quo lautè bibitur & comeditur, molliter veſtitur, delitiosè dormitur, oratio mentalis non curatur, eſſe relaxatum omninò, & non Novitiis; ſed Reformatore indigere. Vt obiter mirer Theologum illum, contra quem citatus Carmelita Apologiam ſcripſit, tam parvi externam corporis macerationem & vitæ auſteritatem facere. At illi præter Iuniores alios Arnoldum Cathium S.I. attentè legendum propono. Ipſe enim in Canticorum Paraphraſi cap. 4. ad illa verba, *Collem thuris*, Orationem Mortificationi poſtponit. *Illud tamen*, ait, *non fruſtrà, quòd myrrhæ mortificationis mentem, thuri verò orationis collem dedi, ut utrumq; quidem ſanctum. Tibique Sponſo meo perplacens eſſe oſtendam. Si tamen alteri eorum plus tribuendum ſit, id mortificationi meritò concedatur.*

608. ☞ SEXTA. *Nemini conſulendum ut nomen det Religioni, quæ ſimul labore manuum & lectione ſcholaſticâ careat.* Vt rem intelligas, ſuppono nec omnes literis vacare poſſe, nec omnes manibus laborare, & tamen nemini licere eſſe otioſo (otium enim eſt fomentum vitiorum, & *Otia ſi tollas, periere cupidinis arma.*) Ergo, conſideranda eſt indolis & genius devoti adoleſcentis, qui ſi amet literas, & tamen eò mittatur, ubi illæ non curantur, Reipublicæ & ipſi iniuria fiet. Reipublicæ quidem, quòd uno ingenio, quod multa bona præſtare poſſet, ſpolietur; ipſi, quod damnetur ignorantiæ pœnâ, cùm poſſet, ſi occaſionem & tempus haberet, eſſe ſapiens. Nec volo hinc inferri eſſe aptiſſimam omnibus & quibuſcumq; ingeniis Benedictinam Religionem, prout nunc iacet, non enim proprio amore prævenior, ſed coram DEO conſultus, reſpondeo coram DEO. Dico igitur, Regulam D. Benedicti, ſi ſervetur ad literam, omni homini convenientem eſſe, quoniam regularis diſcretio & Abbatis prudentis ſe attemperat cuiuſcumque moribus & ingenio, non enim iudicat quoſcumq; cuiuſcumq; diſciplinæ capaces. Propono Caput XLVIII. & ex ipſo has periodos excerpo. *Otioſitas eſt inimica animæ: & ideò certis horis occupari debent fratres in labore manuum, certis iterum horis in lectione divinâ. ----Siquis verò ita negligens & deſidioſus fuerit, ut non velit, aut non poſſit meditari aut legere, injungatur ei opus quod faciat, ut non vacet. Fratribus infirmis vel delicatis (nota hoc bene) talis opera aut ars injungatur, ut nec otioſi ſint, nec violentiâ laboris opprimantur.* Iudicavit igitur, Vir ſanctiſſimus & prudentiſſimus hominem duabus rebus agere, ut tempus impendat utiliter, literarum ſtudio & exercitio manuum. Debent igitur eſſe in monaſtico Ordine Philoſophica & Theologica etiam Collegia, in ſingulis Cœnobiis moralis Theologiæ gymnaſium; & etiam conciones & diſputationes frequentiſſimæ: debet etiam ante meridiem & etiam poſt meridiem manibus laborari, muſicæ ſtuderi, ut nec vel horæ quadrans tota die otio & periculo animæ conceda-

Digitized by Google

datur; Commendo igitur Benedictinam Religionem, aut quamcumque aliam illi ſimilem, modò hæc mea commendatio ſtet Concluſioni tertiæ, quam præpoſui.

609. Hæc dicta ſunto in genere, ut illis pro tuo ingenio & diſcretione utaris: & in ſpecie loqui non poſſum, non enim filii tui mores cognoſco, nec ſum menſus genii vivacitatem. ſi vellet frequentare me, meliùs noto poſſem conſulere vitam convenientiorem. Apud Patres Ieſuitas florent literæ, non tamen manuum labor cognoſcitur, nec ideò otiantur, qui ſtudere non poſſunt, nam inter alias ſanctiſſimas conſtitutiones illa eſt præcipua, quod portam tam facilem habeant, ut ſuam Rempublicam non ſolùm nocivis, ſed etiam inutilibus perſonis exonerent, quæ ſi transferretur ad alios Ordines, multæ controverſiæ ceſſarent. Illam omninò debet ex Regulæ præſcripto obſervare Benedictinus Abbas; dulciùs tamen, hæc enim inter Nos & Ieſuitas differentia, ut nos neminem innocentem poſſimus dimittere, illi poſſint, modò detur cauſa, puta ſi ille citra ſuam culpam, videatur eſſe Religioni oneroſus: quod tametſi durum videatur, bonum eſt, addit enim ſtimulos, ut ſinguli tantum ſplendorem ſuâ converſatione & pietate Religioni addant, ut oneroſi eſſe non poſſint. Florent prætereà Carmelitani excalceati, florent Capucini, florent Dominicani & Franciſcani; florent Minimi; & florent quicumque Religioſi in illis Monaſteriis in quibus Regulæ diſtrictio obſervatur.

Tu rem conſidera, nec temerè ſententiam præcipites; ſed aperiendo animum tuum & ſinceriùs & clariùs, me, vel alium doctiorem conſule, & vive felicibus annis.

DEVOTO ADOLESCENTI
IOANNI FRANCISCO NOVITIO.

SALVTEM PLVRIMAM.

ARGVMENTVM. *Reſpondet modum prudenter in Novitiatu vivendi & agendi quærenti, cùmq; ad perſeverantiam hortatur.*

610. INſtrui deſideras, ingenioſè adoleſcens, & in ipſo deſiderio errabundus inſtructione indiges, ne alienam inſtructionem inquiras. Iam reliquiſti mundum, & ad novum orbem tranſlatus veteris ne memineris. Iam tibi perierunt omnes urbes, omnes amici, omnes Doctores: & quia Homo es, & mundo carere non potes, totus mundus tibi ſit monaſterium, & quidquid extra illud, id etiam extra mundum in ſpatiis chimericis aut imaginariis fingi potiùs quàm eſſe præſuppone. Iam Tibi patria eſt Præmonſtratenſis ordo; natale ſolum monaſterium; pater, Prælatus; fratres, ſinguli Religioſi; pœdagogus, Novitiorum magiſter. Non eſt ergo, cur extra Ordinis Tui mundum regularem aliò aſpires; nec cur aliquid quæras. Si dubites, Magiſtrum tuum interroga, & illi diligenter obedi. Novum vitæ rigorem ne ſectator, ne deſiderato, ne laudato: in nullâ re à rigore præſcripto deficito; vitam humilem & obedientem agito, qualem reliqui Sancti, apud quos vota ſolenniter es emiſſurus. Sine meditatione difficilior eſt regularis converſatio, quàm ſine viatico iter; multas ſuggerere poterit aliorum Authorum devotio, ſed mellifluus meus Doctor, ſe excitabat ad majorem virtutem, *Bernarde, ad quid veniſti?* ingeminans. Ergo, te frequenter interroga, & ad quid veneris in mundum, & ex mundo ad quid in Religionem accuratè perpende.

611. Prima meditatio omni etiam viro ſœculari communis, exſtat feliciter deſcripta linguâ Hiſpanicâ authore incerto; & illuſtrata gloſſis Lupi de Vegâ, & aliorum ingeniorum illuſtrium; quam dignam judico; quæ debeat à te conſiderari. Hæc Tu Tibi;

Yo paraque naſci? para ſaluarme!
Que tengo de morir? es infalible!
Dexar de veer à Dios y condenarme?
Triſte coſa ſerà, pero poſſible;
Poſſible? rio, duermo, y quiero holgarme!
Poſſible? y tengo amor a lo viſible!
Que hago? en que me occupo? en que me encãto?
Loco debo de eſtar, pues, no ſoy ſanto!

Vidi aliquas virorum, etiam grandium, verſiones, nullam tamen quæ Authoris ſpiritum aſſequeretur. Ego olim ipſum ſum imitatus, & ſic luxi.

Hæreo, contemplor, ſpeculor, conſidero, plango;
Meque ipſum admirans me quoq; ſæpè rogo.
Ipſe ego cur natus? Natus ſum ut ſydera calcem,
Sancta oculis videam corpora, mente Deum.

An

Digitized by Google

An moriar? Certum eſt, ſolvit natura tributum;
Nemo fuit liber, nemoque liber erit.
An potero flammas incurrere, perdere cælum?
Empyreum potero perdere, inire Stygem.
Quid? Potero, & genio ſtudeo? tero tẽpus! Olympi
Immemor, hunc mundum deſidioſus amo!
Quid facio imprudens? quid cogito? fortè laboro
Phreneſi, & amenti mens mihi prorſus abeſt.
Deliro omninò ſiquidem committere culpas,
Non ceſſans ſuperos ſpero ſubire polos.

Secunda ſoli Religioſo Meditatio conveniẽs, fundari poterit Melliflui mei Doctoris exemplo, qui, ut habetur in vita libr. 1. cap. 4. *ad cuſtodiam ſui cordis & propoſiti conſtantiam, hoc ſemper in corde, ſæpè etiam in ore habebat, BERNARDE, BERNARDE, AD QVID VENISTI? Et ſicut de Domino* [Act. 1.] *legitur, quia cæpit IESVS facere & docere à primâ die ingreſsûs ſui in cellam Novitiorum ipſe cæpit agere in ſemetipſo, quod alios erat docturus.* Quin & exſtat libellus, qui inſcribitur, *Ad quid veniſti*, qui hoc beatiſſimum lemma uberiore devotione dilucidat, & à B. Bernardo adhuc juvene eſſe ſcriptus creditur à viris doctis, quos ſequutus eſt Gerardus Voſſius Præpoſitus Thurgenſis, qui illum Romæ edidit, & adſcripſit Bernardo, quem ad Epitomen reducere videntur hæc Diſticha.

Me totum intueor, ſileo (mirabile dictu!)
Quod nunc dicendi ſit mihi tanta ſeges.
Iniicit eloquii filo admiratio falcem:
Sæpè aliis ſileo, ſed mihi ſæpè loquor;
Ad quid veniſti? Quænam te cauſa coëgit
Hanc tentare viam? Religionis amor.
Quidnam eſt Relligio? Indumentis mollibus uti?
Degere tranquillè? commoditate frui?
Deſipis omninò, ſi iſthæc phantaſmata credis,
Talia ſi quæris, turpiùs ipſe ſapis.
Relligio eſt vallis lachrymarum. Veneris ergo
Vt plangas culpas, utque petas veniam.
Relligio eſt campus Mavortius. Ergo perennem
Veniſti ad pugnam: plurimus hoſtis adeſt.
Invigila, perſiſte, time, timor arma miniſtrat,
Inſultus dubii, multa pericla manent.
Dormis? inſanis. Hanc vitam diligis? erras,
Indulges genio? praſtò perire placet.
Reſpice candorem veſtis; Monearis, & illo
Pectus, cor, animum tinge colore tuum.
Ne Cygno ſimilis mentire colore colorem,
Candidus exteriùs, interiùſque niger.

His duabus meditationibus animum præpara, ut ad veri amoris perfectionem adſcendas; ut actum veræ contritionis elicias, & Deo ex toto animo dices poſſis.

NO me mueue, Señor, para quererte
El Cielo, que me tienes preuenido:
Ni me mueue el Infierno tan temido,
A no dexar por eſo de temerte.
Mueues-me Tu, mi Dios; mueue-me el veer-te
Clauado en vna Cruz, y eſcarnecido;
Mueue-me el veer tu cuerpo tan herido;
Mueuen-me tu afientas y tu muerte.
Mueue-me alfin tu Amor en tal manera,
Que ſino vbiera Cielo, yo te amara,
Y ſino vbiera Infierno, te temiera.
No tienes, que me dar, porque te quiera,
Porque ſi quanto eſpero, no eſperara,
Lo miſmo que te quiero, te quiſiera.

Legiſti, Spiritumque Poëtæ admiraris, & in Authoris notitiam venire deſideras? Laudo quidem affectum; & ne te pie fraudem deſiderio, ſubjungo, me olim hoc Epigramma (*Soneto* Hiſpanicè) ex libello manuſcripto, quem mihi Vir quidam nobilis & Religioſus communicavit, conſcripſiſſe; & non ſine ſolamine legiſſe hunc Titulum, *Soneto que compuſo S. Franciſco Xauerio a vn CHRISTO crucificado, de quien era muy deuoto.* Vt videas bonas literas & ſanctitatem appoſitiſſimè conjungi, ut carpas qui virtutis prætextu ſtudia literarum inſectati, otio & nugis indulgent. Sed quia Hiſpanica non æquè intelligis, ora eundem Divum, ut ſuum mihi ſpiritum communicet, ut poſſit vel me collaborante latinè eloqui Senſum exprimo, & CHRISTVM alloquor:

OMnipotẽs Princeps, ſatis eſt, vim sẽtio flãma
Immenſa; Satis eſt, frigore nam crucior.
Ardeo, frigeſco. Nix ſum divinitùs ardens;
Concreta, & ſummo frigore flamma rigens.
Nec mirum, ſiquidẽ timeo, quẽ diligo, Chriſtum:
Nec mirum, ſiquidẽ eſt nix timor, ignis amor.
Nõ feror, ut redamẽ Empyrei ſpe: triſtis Averni
Horrore æterno non feror, ut timeam.
Vt timeam me urget tua paſſio: vulnera, plagæ,
Lancea, crux, clavi, mẽque corona movent.
Vt verbo dicam, Timor in me cauſat Amorem;
Diligit ipſe Timor, quem timet ipſus Amor.
Sincerè prorſus: nam ſi non eſſet Olympus,
Nullaque ſperarem præmia, diligerem.
Si Orcus non eſſet, nec vindex pœna, timerem,
Nulla timor verus, nullaque curat Amor.

Om-

Digitized by Google

Omnia poſſideas licèt, & ſis dives; Amoris
Præter Te, pretium retribuiſſe nequis.
Nam mihi, ſi optarē nulla, & ſi nulla timerem,
Nec Timor eſſet iners, nec minor eſſet Amor.

Hic eſt ſinceri Amoris actus, quem ſicut linguâ, utinam etiam corde intimo proferre poſſem. Hoc Amore unimur divinitùs, & à maculis humanitùs contractis purgamur. Semel eo elicito puritatem animi conſervare opus eſt, quoniam ut Epiſt. 139. ait meus Bernardus, *abſque perſeverantiâ nec qui pugnat, victoriam, nec palmam victor conſequitur. Nutrix eſt ad meritum, mediatrix ad præmium, ſoror patientiæ, conſtantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unanimitatis vinculum, ſanctitatis propugnaculum. Tolle perſeverantiam, nec obſequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Sola eſt cui æternitas redditur; vel potiùs quæ æternitati hominem reddit: dicente Domino, Qui perſeveraverit uſque ad finem, hic ſalvus erit.* Audiviſti ſententiam: igitur, ſi vis ſalvus fieri, perſevera, & vive DEO & Ordini pluribus annis.

ANDREÆ MARIO

RELIGIOSO IVNIORI.

ARGVMENTVM. *Quam ille Politicam erga ſe & erga confratres obſervare debeat ediſſerit, ipſumque inſolidâ virtute format.*

612. DEI favore & Cauritinenſium Dominorum clementiâ Ordini incorporatus es, ut ubi multi Sancti DEO vixêre, ubi & multi convivunt, tu etiam eorumdem numerò adſcriptus, reddas Altiſſimo vota illa, quæ diſtinxerunt labia tua. Iam meres ſub nobiliore labaro, & indiges novâ Politicâ. Omnis homo eſt ſociabilis; ſed Monachus eſſe debet ſocius; tenetur enim non ſibi ſoli, ſed etiam aliis vivere, aliorum portare onera, & curare ne agat, quæ ab aliis tolerentur. Sed quia generalior doctrina, inefficacior eſſe ſolet, aliqua documenta ſpecialia, quæ experientia me docuit, breviter & amicè ſubjungam.

Primò, Monachi Adoleſcentis virtus, ſi nil omninò omittat ex his, quæ communis Monaſterii Regula indicit, & Majorum exempla cohortantur; ſi avitos mores diligenter obſervet, nec vel ſemel ſe abſentet à choro, aut alio Communitatis actu; quoniam Adoleſcens, cui aliqua relaxatio conceditur, creſcet ſimul fervoris remiſſione & ætate, nec olim bonus ſenex erit.

613. Sicut Regulari vivendi normæ nihil ſubtrahere, ſic nec addere Iunior, ſed communi obſervantiâ contentus, ita debet procedere; ut nemini videatur ſingularis. Poterit tamen ſine ſingularitatis notâ in cellâ ſuâ meditari, cilicio uti, diſciplinam recipere, abſtinere à vino, ciborum mediam partem relinquere; tum quia in bene formato Monaſterio hæc à pleriſque fiunt; tum quia hæc ab aliis vix poſſunt aut ſciri aut notari.

In colloquio ſit pius, hilaris & obſequioſus; ad Seniorum mandata paratiſſimus; omnium communis amicus, & nullius amicus ſingularis. Non ſunt negotia adoleſcentum tanta, quæ fidelitate ſpeculi egeant, adeòque bene poterit in juvenili ætate *Pyrithous* Theſeo, Oreſtes Phoceo, & Eurialus carere *Niſo*.

Omnem omninò comparationem fugiat: Sancti enim ad gradus humanitùs reduci nequeunt, & peccatores nolunt. Vidi duriores controverſias ex incautâ collatione ſubortas; unuſquiſq; enim præferri optat. Et ſi poſtponatur ægrè fert. Eſt ſupra Adoleſcentis ſciētiam & officium, reſolvere. An Petrus ſit doctior Franciſco? An ſanctior Eliphonſo? An Antonio prudentior? An talis Ordo tali ſit præferendus? An tale Cœnobium Viros meliores habeat, & meliùs vitam regularem obſervet?

614. Si contingat, quod abſit, Communitatem dividi, & alios eſſe Pauli, alios Apollo; Prælato adhæreat, non ita ut criminum fiat complex, ſed ne ſit ſchiſmaticus & inobediens. Et hoc ob plurimas rationes, è quibus nonnullas recenſebo. Primò enim, ſtando conſcientiæ, ſolenniter promiſit obedire Prælato, & voto tenetur ſatisfacere. unde ſi Senior aliquis inobedientiam ſuadeat, haberi debet ut ethnicus & publicanus: ut ſchiſmaticus, & intra articulos fidei Regularis hæreticus. Secundò etiam, ſtando honori, nemo prudens ab Abbate diſcedit. Quoniam quotquot ſchiſmaticæ factioni ſubſcribunt. etſi triumphare viſi, contrahunt æternam maculam; ſemper audiunt

diunt *Murmuratores*, *contentioſi*, nunquam ſolent promoveri ad altiora, nunquam à Majoribus Viris amari. Tertiò ſtando commoditati, quam pauci contemnere ſolent, præcipuè ſi cum pietate & honeſtate ſit conjuncta, ut Religioſus prudens Antiſtitem ſequatur opus eſt. Quoniam ab amico Superiore multa poteſt ſperare, multa ab inimico timere, cùm ſit nemo qui è manu ejus poſſit eruere. Et tamen à diſcolis Abbatis æmulis nihil timere aut ſperare poſſit,cùm & ipſi ſummopere periclitentur. Igitur Adoleſcens, cautè in causâ turbationis loquatur, neminem defendat, neminem aut condemnet aut carpat; Prælato ſuo ſecundum Regulam obediat, etiam contra Conſpiratores præcipienti; diſcolis ſerviat in perſonalibus neceſſitatibus, quæ publicam turbationem non tangant; & in materiâ ſchiſmatis non obediat. Plura ſubjungerem niſi haberes ob oculos D.Auguſtinum, VVaſtenenſem Regularem Canonicum, virum bonum & pium, cujus fortuna plus deprædicat, quàm multi Concionatores poſſint. Nomine ſuæ Communitatis cauſam egit contra Prælatum ſuum (an color plauſibilior & juſtior videretur:) in causâ prævaluit, & Prælatum convicit, & ut deponeretur obtinuit (an eventum fœliciorem expectare ipſe potuit?) ſed quid inde honoris aut commoditatis lucratus? A monaſterio ſuo exul, à ſuffecto Prælato non aliter quàm ad carceres & catenas admittitur, inquietus dicitur, & qui poſſit unumquemq; Antiſtitem dignitate privare. Timetur ab omnibus, amatur à nullo; & ſi ad aliquod ſui Ordinis monaſterium causâ devotionis divertat, quando diſcedit gratior eſt. Ecce hæc habet, quòd Abbatem triumphaverit,& infer fortunam quam habuiſſet,ſi fuiſſet victus nec intentum adæquatè probaſſet. Igitur rem bene conſidera; hoc exemplum ob oculos ſemper intuere, & ſi Angelus à cœlo decidat, & Tibi ſuadeat ne Prælato tuo ſecundum Regulam & mores præſcriptos obedias, ne credito.

615. Nec urgebor, ſi dixeris,ex hoc ſequi conſilio Prælatos peccaturos impunè. Quoniam Superioris correctio non ſpectat ad juvenem, in cujus cucullâ aqua benedicta nōdum ſiccata eſt; ſpectat ad Senes,qui fraternè ante viſitationem illum inſtruere poterunt,& ſi non corrigatur, in viſitatione confundere.

Sed quia Viſitationis memini, oportet detegere ſcopulum, in quo Iuniores multi naufragantur,cùm volunt obſervantes videri. Sanè ſi intentus ſis tuis reformandis moribus, aliorum negligentias obſervare non poteris; quod ſi illæ ſint tantę ut ſuâ mole ſe prodant, non teneris.Hoc eſt indoctioris ætatis privilegium, quod poſſis à Viſitatore rogatus, dicere,omnia te judice,regulariter fieri; quia levia non teneris Viſitatori proponere, & gravia, non aliter quàm accuſando potes;nec juvenis accuſare tenetur. in ipſo enim potiùs odium quam zelus præſumitur, & reliqui ſcandalizantur. Sanè accuſare ſanctiorum & ſaniorum eſt; at junioris, ubi rogatus in ſingulari fuerit de re à ſe ſolo visâ tacere:ubi de re visâ à pluribus, dicere ſincerè veritatem.

Hæc pauca volui Tibi, Chariſſime Mari, proponere, ut tuæ petitioni & affectui etiam meo ſatisfacerem; nec plura addo, quoniam non eges pluribus. Creſcent cum ætate etiam obligationes, & tunc novas inſtructiones adjungam; ſperans ut tu etiam novis precibus me DEO & Bernardo, cui commilitamus, commendes. Vale.

EIDEM ANDREÆ MARIO AD PHILOSOPHICVM COLLEGIVM PROMOTO.

ARGVMENTVM. *Qui debeat procedere in Collegio, quæque liceat obſervare aut omittere, breviter & dilucidè oſtendit.*

616 LAudo in te ambitionem doctrinæ; & præcipuè quòd non ſolùm mentem, ſed & mores formare & corrigere prudenti deſiderio feſtines. Diſcere vis, quî debeas in novo Monaſterio procedere, & quia me dignaris conſulere, has paucas lineas & admonitiones tranſmitto.

Deſiderarem primò Epiſtolam illam meam ante unum aut alterum annum ſcriptam, accuratè relegeres, omnia enim quæ ibi dicta ſuppono, & tantummodo addo aliqua paucula,quæ gymnaſium concernant.

Vidi, dum eſſem puer, difficultates graves è cenſurâ opinionum ſubortas; adeòque me

Ff con-

conſule quandiù fueris auditor, nullam hominis Peregrini ſententiam præpone ſententiæ tui Doctoris. Ab illo pendet tua authoritas; nec ipſe commendabit diſcipulum, qui ſe condemnat. Et quidem diſcipulum inſultare Magiſtro, & velle de probabilioritate judicare intolerabilis ſuperbiæ indicium manifeſtum eſt. Cæterùm ſi Profeſſoris opinionem improbabilem aut malam dijudices, ſyllogiſmos tolerat reverentia & civilitas, illam fortiter, ubi detur occaſio, aggredere & impugna,& Catonem Cenſorium ne gere.

617. Sed quia occurrit ſtatim diſputatio de officio divino cum philoſophico ſtudio collato. An nimirùm præſtet legere Ariſtotelem, an Canonicas horas? notandum, Religionem Iuniorum obligationes multas in bonarum literarum ſtudium commutare, adeòque ſicut in jejuniis, ſic etiam in horarum lectione Te debere ſequi Superiorum præceptum morale ſeu pœnale? unde ſicut erit malum omittere horarum lectionem præceptam ratione ſtudii non præcepti, ſic etiam erit malum ſtudium præceptum propter horas non præceptas omittere. Quod ſi ad majores ordines promotus ſis, aut divini officii lectio etiam juniores obligare credatur, ſtandum eſt rigoroſo illi dicto, videlicet, *Maledictum ſtudium, propter quod omittitur divinum officium*. niſi omiſſionem ipſam cohoneſtet neceſſitas, aut aliqua ſpecialis ratio.

Solent argumentationes ipſæ inimicitias parturire, & Tu qui amicus omnium es, & omnibus ſervire deſideras, etiam argumentari poteris, nec alicujus indignationem incurres, ſi nihil loquaris præter formam.

Patieris æmulos & invidos multos, ſi emineas. ſed hoc ſcandalum à tuâ virtute ortum imputabile Tibi non eſt. Sed hanc ipſam invidiam ne urge, ne examina, ne refer; ſed virtualiter illam ignorans, ita erga omnes procede, ac ſi eorumdem malevolam voluntatem neſcires.

618. Nolo Te onerare documentis altioribus, quoniam ipſa non concernunt philoſophicam vitam, & ſubtiliora ſunt, quàm quæ poſſent breviter explicari. Vale.

REV. ADM. DOMINO
D. FRANCISCO DVVALLIO
FIRMODVNENSI ANTISTITI.
S. P.

ARGVMENTVM. *Non debere Prælatos murmuratores & invidos curare ſed ſanctè & ſincerè procedere.*

O Mi Franciſce, nimiùm anxie. DEO & hominibus debitor es; non tamen teneris mala facere, ut improbis hominibus placeas, quibus bona omnia diſplicent. Non ſemper murmuratores maculant; vel ſi maculare dicuntur, ſe ſæpiùs, quàm illum de quo murmurant. Porrò teneris non ſolùm bonus eſſe, ſed & videri; quod ſi bonus ipſe ſis, & ſcelerati & diſcoli videntes opera tua bona, non glorificent Patrem qui fecit has virtutes in Te, ſed abutantur potiùs tuâ patientiâ; Te non maculant, ſed ſe eſſe invidos & calumniatores oſtendunt. Si decredis; quantum ſit Prælati onus;& quæ oneri ſint annexa gravamina; ignorare videris. Et ego, ut Tibi faveam, illud pondero, & hæc accuratè deſcribo. Sic eloquor;

O Cargas de vn Prelado Religioſo!
Si alivia, es facil: y ſino, peſado;
Si duerme, es en eſtremo deſcuydado;
Si vela, peca ya de reçeloſo.
Si reprehende, es brauo y riguroſo;
Si en algo diſimula, acobardado;
Si igualmente acudiò, inconſiderado;
Y partial, ſi acudiò al meneſteroſo.
Ya ſino tiene amigos, es terrible;
Y ſi los tiene, dizen haze vando;
Es prodigo, ſi da, ſi guarda, ofende.
No tiene grauedad, ſi es apacible;
Y ſi la tiene, va menoſpreciando;
Si le veen puntual, alto pretende.
Si habla blando, vende;
Su meſurarſe es malo;
A ſu neceſidad llaman regalo,
Y al cabo es cuenta larga;
Libreme Dios de tan peſada carga.

619. Sic quidam Poëta Pius Religioſuſque, & me judice eloquentiſſimè & ſubditorũ obloquutiones inter alia deſcribit, quem pla-

placuit latinè introducere, ut meo labore iterum eloquentem audiamus. Sic inquam;

PRælati ô cidaris, Monachis incognita multis!
O parvo ſummus tectus honore labor!
Cura ò difficilis! crebrò exitiale gravamen!
Melle ò conditum virus! inane chaos!
Quidlibet efficiat Prælatus quilibet, errat,
Omnia dente fero corripit Invidia.
Adnuit? eſt facilis. Differt? eſt ipſe moroſus.
Hæret? Difficilis. Diſcutit? eſt nimius.
Si dormit fiditq; aliis, incurius ipſe eſt:
Si tamen invigilet, irrequietus erit.
Si carpit vitium, crudelis dicitur; & ſi
Diſſimulat, mollis; ſi tegit, inſipiens.
Laudat? adulatur. Tacet? invidet. Omnia luſtrat?
Suſpicioſus erit. Nîl videt? eſt ſtupidus.
Diſtribuit cunctis æqualiter omnia Præſes,
Eſt indiſcretus, judicioque caret.
Si minùs is ſano, ſi plus largitur egeno,
Vtriq; inſipiens, alteri avarus erit.
Barbarus aſſeritur, ſi non curavit amicos;
Si curat, ſcripto milite ſchiſma parat.
Si eſt gravis, eſt oneri, imò dicitur eſſe ſuperbus;
Si eſt dulcis, levis eſt & gravitate carens.
Suavia cùm loquitur, vendit, cùmq; aſpera, ſævit;
Dùm monet, eſt audax; cùm tacet, eſt timidus.
Si ſibi ſit rigidus, magnus prætendit haberi;
Si minùs obſervans, relligione caret.
Ergo, ut tranquillè contingat vivere, Salve
Delicioſa quies, dura corona Vale.

620. Hæc Tuæ, Duvalli mi, inſtructioni ſufficiant, & ut certum ſupponens invidos ne CHRISTO quidem pepercisse, ne nimiùm detractores curato; pia & ſancta facito; non ſolùm quæ talia ſint, ſed videri talia debeant; quod ſi aliquis nolit intelligere, ut bene agat, ſibi imputet. Si uberiora deſideres, lege Epiſtolam Abbatibus inſcriptam & Scholio elimato ad Regulam Benedictinam præfixam, in quâ nonnulla omninò vera & à communi notitiâ remotiora explicantur. Lege etiam, ſi vacet, totum ipſum Scholium, aut etiam Theologiam Regularem, ubi multa politica, quæ Abbatialem dignitatem concernunt, accuratè explicantur.

Vale.

REV. ADM. DOMINO
D. FERDINANDO CORDELIO
ABBATI MYRTHACENSI. S.

ARGUMENTUM. *Idem omninò, quod in Epiſtolâ præcedenti.*

621 REgula eſt Iuris Naturalis, quæ docet debere ſentire onera, qui honore fruitur; debereque, qui ad dignitatem promovetur, ſcire: nullam carere annexis gravaminibus, quæ tolerare neceſſarium ſit. Hanc eamdem ſententiam canonizavit Bonifacius VIII. & in Pontificii Iuris ſextum transferens, pronuntiavit hanc legem; videlicet. *Qui ſentit onus, ſentire debet commodum, & è contra.* Reg. 55. in ſexto. Patet igitur, Te omnia Abbatialia acceptaſſe gravamina, cum dignitatem admiſiſti. Murmurare diſcolorum eſt, & Superiorum prudentum non curare. Quàm expoſita ſit obloquutionibus ſuprema dignitas, in epiſtolâ ad noſtrum Duvallium expoſui, ibi Hiſpanicum Carmen latinum reddidi; quod ſi fortè ni legeris, hîc adjungo, ſaltem quoad ſenſum à quopiam Amico ad numeros latinos redactum.

O Prælati onus grave!
Quiſquis ambis tibi cave,
Ne te pondus opprimat.
Cùm vel ipſos id Gigantes,
Fortiores quàm Athlantes
Mole ſuâ perimat.
Audi ſemel de torturâ,
Quam occultat Prælatura,
Hæc pauca quæ defleo.
Nam de damnis animorum,
Quæ vix ullus Prælatorum
Plenè vitat, ſileo.
Eſt Prælatus, non prælatus,
Sed (ſic dicam) eſt Pòſilàtus,
Vel potiùs mancipium.
Quem, ni DEUM purè quærit,
Nihil juvat, imò lædit
Impenſum obſequium.
Dicat, agat, quanta poteſt,
Et impendat, quidquid prodeſt,
Vt abſit obloquium.
Vel in uno ſi defecit,
Nîl valebunt quæque fecit,
Reus erit omnium.

Digitized by Google

Durus audit, ſi inſiſtit;
Nimis lenis, ſi remittit;
O genus ſupplicii!
Dormit? Reus eſt neglectûs,
Eſt-ne vigil? eſt ſuſpectus
Siniſtri judicii.
Indiſcretus proclamatur,
Si quoſcumq; metiatur
Vno ſemper pondere.
Partialis, ſi ſoletur
Quemquam magis, ut videtur
Charitas expoſcere.
Si condonat, timoroſus;
Erit autem rigoroſus,
Si mendoſa corrigit.
Eſt avarus, ſi frugalis;
Sin è contra, liberalis,
Clauſtri bona prodigit.
Levem dicunt gratioſum:
Deſpectorem & moroſum,
Si ſe gravem præbeat.
Legum tenax accuſatur,
Quòd honores aucupatur,
Præſul eſſe ſtudeat.
Eſt ſeverus? condemnatur,
Eſt ſuavis? adulatur,
Venditq; blandicias.
Quidquid bibit, quidquid edit,
Raras turba Fratrum credit
Hæc eſſe delicias.
Si nitatur mente rectâ
Promovere quæ perfecta,
Imperfecti imminent.
Et ſi ut illis obſequatur,
Viâ laxâ gradiatur,
Perfecti non ſuſtinent.
Quis tam prudens hæc vitavit,
Cùm nec CHRISTVM liberavit
Divina Sapientia?
Quando namq; nihil haberent
Ius & Æquum, quod morderent,
Habebit Invidia.
Si amicis ſe privavit,
Væ! Abundat? conjuravit,
Quid miſellus faciat?
Ah! Quis onus hoc tremendum,
Velis remis fugiendum,
Niſi ſtultus ambiat?

Moneo, ut hæc pauca Hexaſticha attentè relegas, quæ ſi ſemel altâ mente concipias modo religiosè & prudenter proceſſeris, obloquutiones & murmurationes non curabis. Hoc fac, & fruêris ſummâ tranquillitate. Vale.

F I N I S.

CA-

CARAMVELIS

MARIA LIBER

ID EST

Primi Evangeliorum verbi, quod LIBER eſt, & in variis ſolemnitatibus Angelorum Imperatrici adſcribitur,

DILVCIDATIO.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IMPRESSVM PRAGÆ TYPIS SCHYPARZIANIS ANNO M.DC.LII.
RECVSVM SANCTANGELII TYPIS EPISCOPALIBVS ANNO M.DC.LXV.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

CARAMVELIS
MARIA
LIBER.

SVMMARIVM.

MARIA *Liber.* num. 622. *Verbum Æternum primus liber: Mundus eſt liber alter.* ibid. *Maria liber tertius. Quanto ſtudio legendus?* num. 623.

Maria Liber ex chartâ. Cur non ex pergameno aut membranis? 624.

Maria Liber in albis. Cur non compactus? 625.

Maria Liber compactus. Dotes & prærogativæ, quæ in cæteris Sanctis ſicut in foliis volantibus impreſſæ, in Deiparâ velut in libro compinguntur. 626. 627. 628.

Maria Liber purus; pelle tamen maculosâ, aut etiam maculatâ compactus. 629.

Maria Liber compactus Deo. 631. *Chriſtus* Α *&* Ω. ibid. *Maria crucifixa.* 632. *Chriſti paſſio in pectore Mariano expreſſa.* 633.

Maria Liber uniceps. De bicipite colubro. 635.

Maria Liber principio & fine carens. 638. *An S. Ioannes fuerit liber?* ibid. *Mariam eſſe librum apodem acephalumque.* 640.

Maria Liber ſcriptus, non impreſſus. 641. *Imperfectiones typi.* 643. *Adamus liber. David liber.* ibid.

Maria Liber impreſſus. 644. *Homo liber. Legis Divinæ tabulæ. Mundus liber ſcriptus.* ibid.

Maria Liber errore carens. 645. *Ius Gentium.* ibid.

Maria Liber unicus. 648. *Sol, Luna, & Apollo ab unitate dicti.* ibid.

Maria Liber finitus Verbum infinitum complectens. 650. *Deus eſt Sphæra: ſed qualis? Chriſtus eſt Verbum abbreviatum.* ibid. *Maria libri Divini Index.* 651.

Maria Liber, ſed non vænalis. Eſt liber gratiâ plenus. Datur, & adquiritur gratis. 652.

Maria Liber in folio. 653. *Sine peccato, venit, ſtetit, ſedit, abiit. Maria arbos.* ibid.

Maria Liber additionibus plenus. 654.

Maria Liber transferendus. 655. *Literæ intelligibiles.* 656. *An Mariam poſſimus in immaculatâ conceptione imitari?* 658. *An etiam in reſurrectione & aſſumptione.* 660.

Maria Liber Abecedarius. 661. *An dari unicus character poſſit, qui omnibus æquivaleat?* ibid. *Liquor ex ſe nullam figuram habet. Chriſtus Oleum.* 663.

Maria Liber Orthographus. 664. *Quid & quotuplex ſit Orthographia?* ibid.

Maria Liber ſine Parentheſi. 665. *Quid Parentheſis ſit? Parentheſis eſt multorum peccatorum converſio.* ibid.

Maria Liber Lemmatum. 666. *Erecta apud Ægyptios ara fuit Virgini pariture.* 667.

Maria Liber, ſed non in ciphrâ ſcriptus. 668. *Occultæ ſcriptionis varietas. Inutilia interdum ſcribuntur in ciphrâ, ut vel ſic pretium habeant.* ibid.

Maria Liber in ciphrâ. 670. *Ignotus & abſconditus Deus. Maria Divinitatis ciphra.* 672.

Maria Liber Polygraphicus. 673. *Quomodo*

Apo-

Digitized by Google

Apoſtoli loquuti fuerint variis linguis? 674. *Maria omnibus omnia.* 676. *Quid ſit* ſuperſperare? ibid.

Maria Liber Steganographicus. 677. *Literæ quando indigeant clari?* ibid.

Maria Liber Grammaticus. 678. *De Grammaticæ caſibus. Grammatica Parthenia caſu caret.* 679.

Maria Liber Polyglottus. 680. *Idiomatum Epitheta. Idioma Virgineum.* ibid.

Maria Liber, qui tamen Aſſyrius non eſt. 681. *Quâ linguâ Matthæus ſcripſerit? Quando inceperit lingua Syriaca?* ibid. *Eſt corrupta. Scribit deorſum, & legit ſiniſtrorſum.* 682.

Maria Liber, non tamen idiomate Orientali ſcriptus. Orientales ſcribunt & legunt ſiniſtrorſum: nihil ſiniſtrum in Mariâ. 683.

Maria Liber Poëticus. 684. *Peccatorum vita liber eſt. Homines ſunt verſus: & cur? Anagrammata VÆ, EVA, AVE.* ibid.

Maria Liber Rhetoricus. 685. *Duæ Scholæ Rhetorum. Deus ſilentium amat. Totâ ille æternitate unicum tantùm Verbum protulit. Angeli habent univerſaliores ſpecies.* ibid.

Maria Liber Mathematicus. Leguntur literæ; lineæ & figuræ conſpiciuntur. 686.

Maria Liber Arithmeticus. 687. *Cur à Matthæo Maria in fine Evangelii ponatur?* ibid.

Maria Liber Geometricus. 688. Diameter, *anagramm.* Dei mater. ibid.

Maria Liber Logarithmicus. 689. *Quid Logarithmus ſit? Nihil reſpondet ſummo numero. Maria creaturarum ſumma.* 690.

Maria Liber Militaris, ut caſtrorum acies ordinata. 691.

Maria Liber contra omnia pericula Mundi. 692. *Eſt liber plenus Crucibus: in quo alta Nomina ſcripta.* ibid.

Maria Liber Chronologicus. 693. *Mariæ vita eſt meridies, peccatorum noctibus & umbris carens.* ibid.

Maria Liber itinerarius. 694. *Eſt miraculorum concauſa.* ibid. *Præſente Mariâ Dæmon non audet. Per Mariam ad Chriſtum devenimus. Maria Dux.* 695. 696. 697.

Maria Liber Muſicus. 698. *An diſſonantiæ dulces ſint, ſi conſonantiis mixtæ?* 700. *Fuga Muſica.* 701. *Cur Serpens Mariano calcaneo inſidietur?* ibid.

Maria Liber Philoſophicus. 702. *Philoſophiæ nomen non bene exponi. Quid importet?* ibid.

Maria Liber Logicus. Quid ſit Logica? 703. *An Logica Mariana ſit Practica?* 710.

De primâ mentis operatione. *Intellectus humanus in culpâ concipit.* 704. *Quid Chriſtus doceat? Quid ſit peccatum? an dentur Sphæræ Cæleſtes?* 705. 706.

De ſecundâ mentis operatione. *An abſtracta poſſint de abſtractis prædicari? Mariæ gratia duplex.* 707. 708.

De tertiâ mentis operatione. *Dici de omni, & dici de nullo.* 709. *Maria eſt Dei Echo.* 711. *Concionator eſt Dei Mater.* 712. *Demonſtratio à priori, & à poſteriori.* 713.

Maria Liber Phyſicus. An natura ſupernaturalitati opponatur? An Maria ſit ſupernaturalis? 714. *Nec Cœlum habuit privationem formæ, nec Maria gratiæ.* ibid. *An homo ſit ſola materia? Materia inviſa.* 715. *Maria altior Angelis.* 716. *Cella, Cœlum.* 717. *Fumus quid?* 718. *Maria in igne concepta.* 719.

Maria Liber Generationis. In illo Generatio ſine corruptione reperitur. 720. *De Staterâ & Librâ.* 721. *Statera culparum.* 722. *Vnam petiit à Domino David, & hanc requirit. Sed quam? Mariam.* 723. 724.

Maria Liber Animæ. 725. *Maria Bibliotheca integra.* ibid.

Maria Liber Cæleſtis. 726. *Maria Cœlum. An Cœli errent?* 727. *Maria Stella fixa. Væ ſoli. Mutuum auxilium. Deus omnia.* 728. 729. 730.

Maria Liber Metaphyſicus. 731. *An individuatio perfectionem importet? An ſingularia ponantur in Prædicamento?* ibid. *Maria in patiendo reagit.* 732. *Conceptus Entis.* 733.

Maria Liber Theologicus. 736. *Maria Theologa. Trina & una.* ibid. *Mariani Hæretici.* 737.

Maria Liber Vitæ. 738. *An detur cauſa prædeſtinationis? An illa ſit Marianum patrocinium?* ibid.

Maria Liber Ethicus. 739. *Mors eſt objectum Philoſophiæ.* ibid.

Maria Liber Politicus. 740. *Optima Reſpublica quæ? Rationalis Reſpublica. Monſtrum Politicum.* ibid.

Maria Liber OEconomicus. 741. *An infauſtus dies Martis? Chriſti & Mariæ connexio. Maria etiam non invocata favet. An Maria fuerit mulier? Hydriæ quales? Supernaturalium cauſarum inſtrumenta.* ibid.

Ma-

Maria Liber theſauri. 742. *Theſaurus, quid? Theſauri ſuffoſſi in Hiſpaniâ*. ibid.

Maria Liber expenſarum. 743. *Rationum libri. An Deus hominum debitor? Quomodo transferantur peccata? An tegantur. Plus Deus concedit, quàm homo poſſit poſtulare. Favores Divini dupli.* 744.745.

Maria Liber Nuptialis. Virginitatis navis. 746.

Maria Liber legum. 747. *Cur ſcripti ſint Pandectæ & Canones?* ibid.

Maria Liber Medicus. Vera medicina, quæ? 748.

Maria libellus ſupplex. 749. *An Deus nobis ob Mariam culpas condonet?* ibid.

ORATIO ANAGRAMMATICA *de dulciſſimo nomine* MARIÆ. 750.

Chriſtum imitari debemus. Alta nomina. Mariæ nomen quantum? ibid.

Maria nomen Tetragrammaton. 751. *An, & cur plures ſcribendi ſint libri?* ibid. Syre *apud Gallos Rex.* 752. *Mauri unde dicti? Maria virtualiter multiplex.* 753.

Maria, *anagramm.* Amari. *verb.* 754. Amari. *nom.* 755. *Abſtractorum nominum energia.* 754. *Doleo, quòd dolere non poſſem.* Superſperare *quid ſit?* 755.

Maria, nomen immortale. 756. *Omnia humana mortalia ſunt.* ibid.

Maria, nomen omnipotens. Abaïlardi Trinitas. An Maria nullipotens? an ſemipotens? 757. 758. 759.

Maria, nomen juſtificans. 760. *Cauſa, vel eſt formalis, vel efficiens, vel impetrans.* ibidem.

Maria, nomen beatificans. 761. *Quanti hoc nomen Angeli faciant?* ibid.

Maria, nomen ſupernaturale. 762. *De nominibus, quæ imponuntur divinitùs.* ibid. *De Ioſephi nomine.* 763.

Maria, nomen fortiſſimum. 764. *Chriſtus magnes. Nomen nomine armatur.* 765. *Magnes ferrum reſpuit & adtrahit. Polus duplex.* 766. *Chriſti nomen armatur. Sebaſtiani Luſitanorum Regis juramentum.* 767. *Duplex orandi formula.* 768. *Quinq; Chriſti vulnera. Maria nomen Pentagrammon.* 769. *Chriſtum Dominum, plus torſit in horto humanæ ingratitudinis, quàm clavorũ memoria.* ibid.

Maria, nomen revelatum. 770. *Emanuël, nomen Chriſti. Hominum apotheioſis. Nomine carent peccatores.* 771.

Maria, altum nomen. 772. *Bellum Bohemicum. Victoria Pragenſis.* 773.

Maria, nomen magnificum. 774. *Abrahamo una Divini nominis litera conceditur.* ibid.

Maria, nomen Eximium. 777. *An detur motus. Vox ſanguinis & lachrymarum.* ibid. *Eximii vocantur Theologiæ Doctores. Mariæ diſputationes: ejuſdem Laurea.* 778. *Vocis* Eximius *etymon.* 779.

Maria, nomen dominans. 780. *Qui Mariæ ſervit, dominatur.* 781.

Maria, Dei mater, anagramm. *Diameter.* 782. *Soli Geometræ à Platone in gymnaſium admiſſi.* 783. *Tria puncta Diametri.* 784. 785.

Maria, mária. 786. *Oculi Chriſti vitales.* 787. *Luget peccata ſua Petrus, quia à Chriſto reſpicitur.* ibid. *Oculi Mariæ potentiſſimi.* 789.

Maria, anagram. *A rami, nempè fructu. Maria Crux.* 790. *Arbos. Maria unica. Eſt ſcala Iacob. Eſt nobilis fideliſque. Ioannes male conceptus, bene natus* (Hiſp. *bien nacido*) 791. *Maria alta. Chriſtiani, membra Chriſti.* 792. *Maria Redemptrix: Stella: Nauta.* 793. *Vngimur Agni ſanguine.* ibid.

Maria, anagramm. *A mirâ.* aliud. *A mari.* 794. *Myrrha quid?* Mos, moris, & Mors, mortis. *Boni mores pariunt bonam mortem.* ibidem. *Chriſtus eſt Myrrhæ lachryma.* 795.

Maria, anagr. *I arma,* hoc eſt, *Ito ad arma,* vel *Ito & armato.* 796. *Qui in mundo armati, & qui inermes? Opera tenebrarum. Arma lucis. Lux lucis.* ibid. *Leges tacitæ. Appellatio.* 797.

Maria, anagramm. *I Aram.* 798. *Reſignationis ſymbolum. Maria ara.* ibid. *Regnant Virginis famuli. An Reges ſint iniqui Dii. Orationis & Mariani patrocinii potẽtia. Dei æquitas.* 799.

Maria, anagramm. *Mî ara,* id eſt, *Mihi es ara.* 800. *Mihi arato.* 803. *Nexus ſanguinis. Crux ara. Chriſtus ara.* 800. *Quid ſit modus? An creaturæ ſint modi extrinſeci reſpectu Dei? Chriſtus modus Virginis. Maria modus Chriſti.* 801. 802.

Maria, anagramm. *Ramia.* 804. *Miſer Hungariæ ſtatus.* ibid.

Maria, anagramm. *A rimâ.* 805. *Cælum verſus homines, aut natant, aut navigant: aut currunt, aut volant. Maria portus, Maria porta, Maria feneſtra, Maria rima. Maria Mundus, Maria munda.* 805. 806.

Maria, anag. *A Mari.* 807. *Venus aborta è mari. Cæli & Aquæ cognatio.* ibid. *Quid deſit paſſioni Ieſu-Chriſti? Deus hominũ piſcator, Maria eſca. Quid deſit orationi Mariæ?* 808. 809.

MARIA LIBER.

622 SVMMA eſt Sapientia Numinis; ſeu, omnia, & ſingula infinitè cōprehendit; omnia æternū concipit, æternùm exprimit, videlicet uno ſolummodò prolato verbo. Hoc verbum realiter ſimpliciſſimum & omnis compoſitionis expers, virtualiter conſideratum, idearum innumerabilium eſt faſciculus, in quo ſunt flores, quos in æternum legas, folia quibus non ſolùm erudiri, ſed & protegi poſſis. Tot flores habet, ut Paradiſus ſit; non jam terrenus ille, in quo vetus homo peccavit; ſed alter Cœleſtis & Empyreus, à quo exulat omne peccatum. Tot habet folia, ut Liber ſit, ſcientiam Dei omnem continens. Eſt Liber unicus; non verbis multis exaratus, quoniam totus ipſe unicum Verbum continet; unicum inquam ſimplex, quia creata Verba multis literis, multis characteribus ſcribuntur, & in toto iſto Libro unicum Verbum, & in toto iſto Verbo unica litera, unicus character Divinitatis eſt. Sed hæc nimis alta erant, & in uno charactere à ſolo Deo comprehendi poterant, & ideò Deus ſumpto omnipotentiæ ſuæ calamo alterum Librum edidit, quem Mundum dicimus. In hoc libro Deus perfectiſſimè legitur, quoniam ut docet S. Thomas, *Deus non eſt nobis notus in ſuâ naturâ, ſed innoteſcit nobis ex operibus vel effectibus: unde hoc nomen Deus eſt nomen operationis, quantum ad id à quo imponitur ad ſignificandum: imponitur enim hoc nomen ab univerſali providentiâ*. Ita ille 1. *part. quæſt.* 13. *art.* 8. Bacillo veteres involvebant ſuorum librorum folia; & Deus circa axem compoſuit hujus voluminis mundani paginas; Terram, Aquam, Aërem, Ignem, Æthera, Firmamentum, Empyreum: ſingula diverſo charactere & idiomate ſcripſit. Subterraneas abyſſos lapidum & metallorum varietate: Telluris ſuperficiem animantibus literis, & vegetativis characteribus? Liquidas Maris paginas naturalibus & artificialibus ductibus; illos delineat dives marinorum animalium varietas, hos plurima carinarum audacia. Inſcripſit aëri volucrum repetitos excurſus; & ætheri Planetarum admirandas periodos. Firmamento ſyderum librationes, & in Empyreo Libri Mundialis capite, tot literas, quot beatos Animos, è terris lectos, & ad Cœlos tranſlatos.

623. An-ne ſatisfecit Deus ſtudio ſuo. Minimè. In primo libro adæquatè & perfectè erat expreſſus totus Deus, at charactere qui à viventibus legi non poſſit. In ſecundo erat expreſſus Deus, ſed inadæquatè & imperfectè, mundialis enim Mundi Liber, tametſi immenſo ſimilis, immenſum Deum capere & referre non potuit.

Ergo ſcribendus eſt Liber tertius, *Domine Deus*; reſpectu noſtri clarior primo, maior ſecundo: nempe Virgo MARIA; hæc eſt, *Liber Generationis IESV-CHRISTI*; Liber, qui oculis humanis poſſit legi, & tamen gratiâ & Deo plenus ſit; tantus omninò, ut quem Cœli capere non poſſunt, ſuo gremio comprehendere valeat.

Huic libro hodie totus Orbis Chriſtianus ſumma felicitate ſtudet, his chartis Catholica Eccleſia impalleſcit, huic damus operam vigilantem Volumini; & ut utiliter, indigemus Tuâ gratiâ (Summe Deus) & Marianâ, ut conſequamur tuam. Igitur ad Cœlorum Reginam converto oculos, & ſummiſsè devotus ſic inquam. Ave MARIA, Chriſtianæ generationis Liber; te ut erudiar eligo, te diligo, te lego; favore Dei, ut proficiam, indigeo; te interpono; illum impetra; & iterum atque iterum ave clemens, ave pia, ave dulciſſima Virgo MARIA.

MARIA LIBER EX CHARTA.

624 LIbrum legi; & tamen cùm folia verſo, non benè materiam diſtinguo. An-ne è pergameno aut membranis? Minimè.

mè. Quoniam hæc folia mortem ſupponunt, & in Deiparæ Nativitate aut etiam Conceptione nulla ſuſpicio mortis fuit. Originalis culpa ſuo genere mortalis eſt; hanc nos incurrimus, hanc non incurrit immaculata Virgo, quoniam antequàm vitam, invenit gratiam apud Deum. Malo myſterioſum hunc librum è chartâ puriſſimâ compingere; quoniam, ut hæc paretur, nulla mors naturalis aut moralis ſupponitur. Accedit, quòd omnis charta characterem originalem habeat, ex quo cognoſcamus artificem. Nos omnes folia illius infructuoſæ & ingratæ arboris, quæ teſte Chriſto Domino excidi & in ignem proiici debet, folia arida, originalem characterem habuimus; nimirùm maculam; quæ aliter elui non potuit, quàm baptiſmi Sacramentalis undis. At quia MARIA *Cantic.* 2. 3. folium fuit lilii inter ſpinas, in aliâ officinâ condi debuit. Habuit Authoris ſtemma, nimirùm, originalem gratiam, quam Adamus & Eva peccando, ſibi & nobis perdiderant.

MARIA LIBER IN ALBIS.

625 Dicitur *eſſe in albis*, Liber ille, qui nondum conſutus nec compactus; & Ego cùm Librum Generationis IESV CHRISTI eſſe candidiſſimum videam, eum eſſe Librum *in albis*, neceſſariò aſſerturus, bonâ Bibliopegorum pace, eumdem ſimul eſſe in albis & compactum ſtatuo.

An-ne contradictoria involvo? Minimè. Noſtri enim Libri, ubi compacti, dicuntur *in albis* non eſſe; quoniam aut arte Bibliopegi tinguntur, aut negligentiâ maculantur. At ubi compactor eſt Deus, etiam compacta folia ſunt in albis; quoniam pinguntur Agni ſanguine, & ejuſdem purpuriſſo dealbantur. Aut, ſi hujus ſanguinis virtutem neſcias, converte ad Apocalypſin oculos, & ſuſcipias Martyrum candidatum exercitum. Si interrogas, Qui ſint iſti, qui ut nubes volant, & quaſi columbæ felle carent? Reſpondent Sacræ literæ, *Iſti ſunt, qui venerunt ex magnâ tribulatione, & laverunt ſtolas ſuas, & candidas eas fecerunt in Sanguine Agni.* [Ita Breviarium Ciſtertienſe *Lect. XII. Plurimorum Martyrum*.]

MARIA LIBER COMPACTVS.

626 NVdius tertius Philotheus Muſæum noſtrum ingreſſus, ubi poneret pedes vix habuit. Menſa erat plena chartis, pavimentum codicibus, qui aut menſâ elapſi, aut ventorum improbitate pulſi, aut ex causâ diſpoſiti jacebant ibi. Analogia implicabantur foliis, juxtà indigentiam ordinatis. Nulla erat mihi in tantâ paginarum confuſione confuſio; at Philotheo fuit tanta, ut vix crediderit eſſe aliquem, qui illarum omnium numeret chartarum multitudinem, & omnibus eis nomina vocet. At revertitur hodie, & quia nullam in menſâ chartam, nullum in pavimento codicem, nulla in pulpitis folia reperit, admiratur, & quò exoneraverit tantus foliorum apparatus inquirit. At Ego illi hunc Librum compactum oſtendo. Omnes chartæ, inquam, quas toto Muſæo ſparſas videras, huc confluxerunt; nec minores, nec pauciores quàm anteà ſunt, ſed artificioſè compoſitæ, ſunt ad ſingularis Libri unitatem redactæ.

627. ☙ Ergo hac hiſtoriâ inſtructus oculos, Auditor Orthodoxe, aperito. Sæcula & loca contemplator. Nulla eſt Provincia aut Regio, quę ſuos Sanctos non habeat; Suos habet Zona torrida, ſuos habet frigida, ſuos habet temperata. Multos pependit Cęlo Europa, multos Aſia, multos Africa, multos America. Hiſpania, Gallia, Belgium, Germania, Vngaria, Italia ditatur plurimorum exuviis, & multorum irrigata ſanguine, fertiliùs fructus honoris & honeſtatis Cœlo germinat. Nullum eſt ſæculum, quod alii invideat: omnia donata ſunt divinitùs copiâ Sanctorum Hominum, quorum pientiſſima facinora apud Hiſtoriographos legimus. Multi ante diluvium Sancti fuerunt, multi ante Abraham, multi ante Moyſem, multi ante Chriſtum. Hinc uberiore fœnore, Sanctorum Animorum myridias terrena Cęleſtibus, & ima ſummis pependerunt. Menologia & Calendaria legito, & reperies Sanctorum turmas & exercitus toto anno ſparſos. Et hac meditatione præventus Templum iſtud ingreditor, & me concionantem audito. *Hodie*, inquam, *Singularis Virginis Solennitatem celebramus*. Audis, mirariſque, & qui Sanctorum milliones prævideras, coli ho-

die Sanctam ſingularem non pateris. Applicas aurem, & ſolius MARIÆ laudes audis, aperis oculos, & ſolam MARIAM vides, & quò tot Sanctorum Exercitus abierint, inveſtigas. Et Ego tuæ devotioni debitor unâ aut alterâ periodo ſatisfacio.

628. Porrò, ſi Sancti reliqui, Empyrei Firmamenti ſunt ſydera, Virgo Sanctiſſima Luna eſt, imò Sol eſt; illoſque omnes ſuarum virtutum radiis illa occulit, *Cælica ſicut ſolet Arcis Aſtra Luna minora*. At quia ſinguli folia ſunt, inſcripta vario virtutum charactere, MARIA Liber integer eſt; in ipsâ enim omnes dotes, gratiæ, prærogativæ; omnes literæ Sacræ, omnes Cœleſtes characteres, qui diviſi & diſtributi innumeras Nationes, ætateſque honorarunt, collecti in unum, Generationis Chriſti Librum altiſſimo myſterio conſtituunt.

MARIA LIBER PVRVS, PELLE MACVLOSA AVT ETIAM MACVLATA COMPACTVS.

629 Legis Evangelicum textum & miraris Sanctam Chriſti Domini Matrem tales habuiſſe Præcurſores. Legit illud ante mille & plures annos Sanctus Hieronymus, hæſitque ubi herere te video. *Notandum*, ait, *in Genealogiâ Salvatoris nullam Sanctarum aſſumi mulierum, ſed eas quas Scriptura reprehendit; ut qui propter peccatores venerat, de peccatoribus naſcens omnium peccata deleret*. Legitur hæc homilia â Ciſtertienſibus ipſo Marianæ Nativitatis die. Et Ego ſic incipio diſcurrere. Peccatum Animæ mors eſt, & MARIA vita; ſalutatur enim quotidie â totâ Eccleſiâ, Mater Miſericordiæ, Vita & dulcedo, & ſpes altera Mundi periclitantis. Cur igitur Divinus Hiſtoriographus Vitam morte conjunxit, & omnis peccati labe liberam peccatoribus tantis cooptavit? Exponam.

630. Liber eſt hęc Sanctiſſima Cœli Moderatrix; & tametſi pura papyrus non ſubſit juriſdictioni mortis; cum compingitur, membranâ aut coreo debet tegi; & MARIA tametſi Liber Vitæ ipſa ſit, tametſi ſit fæmina, quæ circumdedit Virum, quæ gremio circumtulit Deum; eſt Liber compactus; eſt fæmina quam circumdedit Anna immediatè, mediatè aliæ Viragines, in peccato originali conceptæ, natæque, nec carentes actuali. Nam ſicut coreum, membrana, pergamenum, & alia quibus teguntur & circumdantur Libri, mortem neceſſariò ſupponunt (ſunt enim occiſæ animantis exuviæ) ſic etiam libri hujus Virginei compactura, hi Principes, qui præcurrunt; hæ Viragines, quæ circumdedere circumdaturam Virum, mortem neceſſariò ſupponunt: Adami ſpiritualem & corpoream, quarum originaliter ſumus hæredes.

MARIA LIBER COMPACTVS DEO.

631 Literam textûs Divini recognoſco. Lego in principio, *Liber Generationis IESV-CHRISTI*; & in fine, *De quâ natus eſt IESVS, qui vocatur CHRISTVS*. Et cur Chriſtus in principio & fine hujus Libri poni debeat, interrogo. At jam capio. Libri cooperculo muniri debent, quorum primum folium & ultimum ex aſſeribus coreo tectis formatur. Et Liber noſter muniri debuit Chriſto, protegi Deo. Et idcircò primum & ultimum ejuſdem Libri folium Deus eſt: Deus, inquam, Filius, cujus gloriam diminutè concipias, ſi præſcindas â ligno; ſi præſcindas ab aſſere.

632. Porrò concipitur Marianus eſt Liber duabus tabulis, nimirùm Cruce & Cruce; imò Crucibus tribus: præveniente, cooperante, & ſubſequente. Primam Crucem ſubiit ipſo Circumciſionis die, in quo Sanctus Senior plenus gratiâ plenè ſic inquit. *Ecce poſitus eſt hic* (IESVS) *in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſraël. Et in ſignum, cui contradicetur. Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius*. Lucæ 22.34. Ecce MARIÆ dolores primos, ecce primam crucem, docta enim per Simeonem â Deo (fortè & immediatè etiam) conſervabat verba hæc, conferens in corde ſuo; & ſingulæ meditationes erant gladii, quibus maternus penetrabatur animus; ſingulæ Chriſtianæ Paſſionis circumſtantiæ erant Cruces, quarum præſcienciâ Virgineus torquebatur ſpiritus. Subiit ſecundam Crucem in Calvario, cum Chriſto

pa-

patienti adſtitit, dolorum particeps ignominiæ compos,& ſolaminis expers. Ibi plus paſſa,quàm ſi realiter crucifigeretur:nam ſi Anima veriùs eſt,ubi amat,quàm ubi animat,MARIÆ Anima potiùs erat in CHRISTO, & ibi per compaſſionem plus paſſa, quàm ſi non corpore ſuo, ubi minùs erat, cruciaretur. Subiit tertiam in triduo, inamiſſibili præteritæ paſſionis imagine, nec aliundè ſolamen potuit habere quàm à Deo.

633. Ecce Marianum Cor ternâ Cruce inſignitū.Ecce adamantinæ conſtantiæ exemplum;pectus nimirùm gladio triplici tranſverberatum. Ecce nobilior mons Calvario; nam hic à tribus Crucibus honorem inæqualem recipit. Pendet Dimas, & Geſtas, & eminentiùs Deus.Deſperat miſericordiam iſte,& ſuo ſanguine ſtipitem & locum infamat.Sperat ille,& à Chriſto ad Empyreum conducitur. At in Mariano corde omnes tres Cruces Sanctæ, imò & omnes ejuſdem CHRISTI Domini ſunt,& omnes eamdem MARIÆ puriſſimam Animam torquent. Eadem enim Crux concepta ut futura ſpiritum amantem prævenit,& præcocibus tormentis onerat: eadem ut præſens amantem MARIÆ Animam doloribus comitantibus oppluit; & eadem ut præterita ſubſequentibus curis & angoribus trāſverberat Mentem amantem.

634. Non progrediar ulteriùs. Vidimus hujus Libri aſſeres: quâ illi pelle tegantur, & muniantur quæramus. Sed non eſt opus multum quærere; libri alii compingantur mortuorum animalium exuviis, noſter Liber protegitur mortali Deo; agno videlicet Divino, qui peccata abſtulit,& ſuo ſanguine mundum redemit, non jam mortuo, ſed vivo. Aſſerem primum conſpicis? Ecce Crux prima, quam Agnus vivus, ſed moriturus ornat; ultimum contemplaris?Ecce Crux ultima,quam Agnus vivus,ſed qui fuerat mortuus,honorat:ille nimirùm, qui reſurgens ex mortuis jam non moritur, cui mors ultrà non dominabitur.

MARIA LIBER VNICEPS.

635 SI velis, omnes Sanctos Libros eſſe dicamus; interim negare non poteris ſummum eſſe inter Marianum & reliquos Libros diſcrimen. Id obſervo. Liber Generationis IESV-CHRISTI unico D.Matthæi capite continetur; ipſe uniceps eſt; at omnes alii multicipites. Omnes, quia nati, aut ſaltem concepti in peccato, monſtra generis humani ſunt,& Libri in plurima diſtincti capita. Paulus ubi magis liber,biceps erat.Obſervabat in ſe duas leges inter ſe repugnantes; Gratiam, Concupiſcentiam; ejuſdem libri bina capita, ejuſdem hominis binas paſſiones inter ſe repugnantes. Et quidem B. Paulo ſumus plurimi ſimiles, qui damno proprio edocti ſumus Libri bicipites, & cùm magis liberi credimur, captivi dicimus.

Nocte pluit totâ, redeunt ſpectacula mane;
Diviſum imperium cum Iove Cæſar habet.

Quoniam in Microcoſmo, dum appetitus biceps velitat, nec omnia operari Homo, nec omnia permittitur Deus. Lavo per ſingulas noctes lectum meum, & lachrymis ſtratum meum rigo? Imperium Dei cognoſco, & veri Iovis cooperantis auxilium.Surgo mane,egredior domo, malo conſortio illicior, improbo rerum ſpectaculo rapior? Dæmonis imperio ſubſcribo,cujus ſuperbia tanta, ut eſſe in meâ animâ velit, vel Cæſar,vel nihil. Igitur me volente.

Lugeo ſi culpas, & eas committere pergo,
Diviſum imperium cum Iove Dæmon habet.

Quis ergo me ab hac voluntatum bicipite paſſione liberabit? Tu Deus Omnipotens,cui debeo uni totum pectus ſubmittere,& tamen Medeæ ſimilis, *n ſcens meliora, probanſq; deteriora ſequor*, & quod debeo non facio. Habeo vitia,quia malus ſum;habeo virtutes,quia nemo deſeritur à Deo, qui Solis inſtar illuminat bonos & malos.Suum caput habent illa,ſuum iſtæ;& conflictu inteſtino ſe atterunt, & dubio marte in mei pectoris arenâ pugnant.O puriſſima Virgo,quis me faceret hominem ad imaginem & ſimilitudinem tuam? nam in te omnes paſſiones, omnes affectus, omnes motus, unicum caput habent, omnes enim à ratione divinitùs rectâ reguntur.Id oro Deum,id olim Paulus; ſed reſpondet Altiſſimus. *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in agone perficitur.* At Ego gratiæ ſufficientiam non nego, ſed efficaciam rogo, deſideroq;uti divinitùs conceſsâ, non abuti. Habeo affectus & paſſiones bicipites;huc illuc trahor, & cùm deberem gratiam ſequi, rapior concupiſcentiæ impetu, & contem-

tem-

Digitized by Google

temnens bona vera & ſolida, reſolutione liquidâ & inconſtanti fluctuans,bona apparentia, quæ eſſe mala & nociva percipio, imprudenter amplector. At doctior olim ero, quoniam jacturæ propriæ & Petri Damiani Epiſtolæ eruditæ me juvant. Hoc ille inter alia Alexandro. *Quidam pœnitens*,ait,*ſub peregrino habitu in noſtris partibus exulabat, qui perquiſitus quæ eum exiliari cauſa compelleret? Cum convicaneo meo,inquit, ad ligna cædenda pergebam, & ecce trabalis magnitudinis ſerpens,duobus attollens ſquamoſa colla capitibus, ſinuoſis flexibus obrepebat; qui nos,ut eò ambulantes adſpexit continuò ſcintillans oculis. & tanquam linguis exacuens ora triſulcis in nos impetum fecit. Cui protinus conviator meus libratâ ſecuri, unum caput abſcidit, moxq;ferramentum ejus è manibus cecidit. Protinus Serpens in furoris rabiem implacabiliter efferatus in ſublime ſe erigit, quòd ſolùm remanſerat caput attollit, authoremque proprii vulneris mordicùs apprehendit. Quem mox ut invaſit, ſinuoſis eum ſpiris implicuit & involvit; totumque hominem ſuis viribus vindicans in ſubterraneæ ſpecûs latebras aſportavit.* Ita ille libr. 1. Epiſt. 10.

636. Audio, & inſtruor: quoniam Serpentis nomine Appetitus intelligendus eſt, qui totum Hominem rapit, & in contrarias opiniones impellit. Serpens eſt, quia Prudentia Serpenti eſt ſimilis, & in ipſo humana relucet Prudentia. Biceps eſt; quia ſenſitivus & rationalis, reddit Hominem bifariam prudentem & callidum: Prudentia enim mundi hujus in ſenſuali voluptate & appetitione conſiſtit; & Prudentia Cœleſtis in electione generosâ & ſincerâ. Egredere igitur, Chriſtiane Auditor, adi pectoris ſylvam, omneſque negligentias quæ ſpontè ſuboriuntur reſeca, illaſque igne charitatis ſuccende. At Serpens iſte lubricus & ſquamoſus (appetitum intelligo) inſiliet illicò; & pugnandum erit. Sed conſtanti eſto animo,nemo ab eo vincitur aut vincîtur invitus; concupiſcentia enim ad agonem relicta, repugnantibus nocere non poteſt. Sume timoris Dei ſecurim, & ejuſmodi bicipitis Serpentis lævum caput abſcinde, hoc eſt, concupiſcentiam, quæ lævorſum impellit; relinque dexterum, hoc eſt, rationem, quæ dextrorſum inclinat; & ſemel capite ſiniſtro ſucciſo, ſinuoſis affectuum ſpiris à dextero capite imperatis complicari te ſinas, & à ductu impulſuque rationis nîl metuas.

637. At me miſerum! doctrinâ veriſſimâ abuteris,& in re ſummi momenti oberras. Timoris Dei ſecurim non cognoſcis, nec vis inexpertus eâ uti, ſed abripis præſumptionis bipennem; appetitum aggrederis, & dexterum caput excîdis. Subrigit ille collum lævum,& jam ratione carens te ſpiris meræ concupiſcentiæ cingit, & in abyſſum miſeriarum aſportat. Clamas ad Homines, & ſurdi ſunt; & quia ſpontè obſurdeſcunt, augere vocem ſupervacaneum eſt. Clama ad Deum; ipſe enim unicus, qui paratus audire & auxiliari: clama ſtatim, antequàm ab efferato monſtro ſenſualis concupiſcentiæ devoreris.

637. Verum enimverò admonitionem meam non curas, & voluntariò raperis, & venenoſi ſerpentis delectaris amplexu. Ecce rationis capite amputato nova capita pullulant, & oriuntur diffidia, & ex illis certamina in quibus ſeu vincas,ſeu vincaris, óccides. Ecce tria ſunt jam tuæ inſtantis perditionis capita; Senſualitas,Cæcitas, & Pertinacia; & ideò ſimillimus Cerbero in infernum traduceris. Capita hæc nova capita aggenerant. Iam ſeptem habes; Superbiam,Avaritiam,Luxuriam, Iram, Gulam, Invidiam, & Acediam: & Hydræ ſimilis cum aliorum ſcandalo & ſummâ jacturâ peribis.

MARIA LIBER PRINCIPIO ET FINE CARENS.

638 Virgineus iſte Liber principio & fine caret,& tamen æternus non eſt. Caret primâ paginâ & ultimâ, & in hoc ab aliis Libris etiam Sanctis is diſſidet, quòd in eorum primo & ultimo folio ſententia damnationis legatur. Ioannem Baptiſtam pono ob oculos, quo major inter mulierum natos, vel ipſo Chriſto teſte,ſurrexit nemo. Liber fuit,in quo ſummas virtutes,quas imiteris legas;at in primâ lineâ incurriſſe peccatum originale lego,in ultimâ mortis pœnam ſubiiſſe;quoniam peccati ſtipendium eſt mors. At in Virgineo hoc Libro, quem hodie pompâ ſolenni celebramus, favore prævio primum & ultimum folium exciſum eſt; illud ne Deipara labaro

cul-

Digitized by Google

culpæ inſcriberetur; hoc ne damnaretur morte; mors enim pœna peccati erat, nec juſtè condemnaretur morte, quæ non peccârat. An non obit Angelorum Regina? Obiit omninò; ſed mors, quæ nobis infligitur ut pœna, illi fuit præmium aut pœnalitas: pœnalitas, ſi habuit angores prævios, quod non puto; præmium, quia ille ſanctus interitus, introitus ad Empyreum fuit.

639. Vel dicamus Librum Generationis IESV-CHRISTI non caruiſſe realiter primo & ultimo folio; ſed caruiſſe virtualiter; hoc eſt, ita ſe habuiſſe ac ſi omninò careret. Sed cur illum extremis iſtis foliis virtualiter caruiſſe dicemus? Quoniam totus Liber ſcriptus eſt noto, legibili, & intelligibili; at extremæ duæ paginæ alio diverſo charactere.

Vt hanc veritatem percalleas ſcire oportet, dari duo idiomata omninò diverſa inter ſe; Humanum & Angelicum. Illo mortales utimur, iſto immortales. Vtriuſque meminit gentium Apoſtolus, cùm dixit, *Si linguis loquar Hominum & Angelorum, charitatem verò non habuero, nihil ſum*. Igitur totus ille Virgineus Liber, tota Deiparæ vita Humano idiomate conſcripta eſt, at duæ extremæ paginæ (Conceptio & Tranſitus) Angelico. Homines hujus Cœleſtis linguæ ignari, illa duo folia non poſſumus intelligere, imò nec legere. Et ut ſciamus, utrùm concepta ſine peccato fuerit? Vtrùm in pœnam mortua? Vtrùm à mortuis reſurrexerit, & in Cœlis triumphet rediviva? revelatione cęlitùs concedenda indigemus. *Te decet hymnus Deus in Sion*. Vel ut alii interpretantur *Silentium*, dicebat olim Deo Propheta Rex; idem ego impræſentiarùm Divæ: Tuam enim puriſſima Virgo, Conceptionem, tuum Tranſitum decet ſilentium Hominum, decet Cęleſtium Angelorum canticum: taceamus igitur mortales, & immortales hymnis & jubilo utrumque extremum vitæ tuæ immaculatæ celebrent.

640. Video in Ægyptiorum tabulis Aſtrææ figuram, quam vel invitâ veteri religione Reginæ Cœlorum approprio. Intueor Nymphæ ſpecioſæ imaginem, cui ſcabellum & corona ſunt nubes. Hinc ipſæ pedes, inde caput reverenter obtegunt. Et ſic diſcurro. Si pingendæ ſint Marianæ perfectiones, non deerit humanus Apelles, qui totum corpus penicillo exprimat, modo pedes, modo caput excipias. Hujus Divinæ Nymphæ occulitur umbris initium, finiſque; neutrum poteſt oculus humanus adſequi, neutrum manus humana pingere. Teguntur nube pedes; quoniam ille Serpentis antiqui & novæ Creaturæ conflictus, quando ipſa omnium primo paſſu ejus caput pede illæſo contrivit, quando ille calcaneo inſidiabatur, ob arenæ ſummè commotæ pulverem ab Hominibus videri non potuit. Primus vitæ Marianæ paſſus, Conceptio fuit; hunc fuiſſe immaculatum & illæſum opinor, non intueor; impedior tenebris, impedior nubibus, & lumine ordinis eminentioris egeo. Hinc ad caput adtollo oculos, & coronam non video, quoniam & nubes mihi invident multarum circumſtantiarum ſcientiam; & cùm ſublimia rimor, pauca adſequor. MARIAM obiiſſe ſcio; an verò illa mors voluntaria? an neceſſaria? an pœna, an pœnalitas, an præmium fuerit? poſt ſtudioſas diligentias ignoro. An tertiâ reſurrexerit die, an tantum quadrageſimâ? neſcio; & dum humanæ tenuitatis tenebras, & umbras faſtidio, videor audire ipſiſſimam Sanctiſſimam Virginem in Conceptione, in Aſſumptione declamantem, dicentemque, *Quoniam Pater meus, & Mater mea relinquerunt me, Dominus autem adſumpſit me.* Aut clariùs: Pater meus Summus Pontifex, Orbis Chriſtiani caput, Hominis Dei Vicarius, reliquit diſputationi Hominum primum, & ultimum anhelitum meæ vitæ; Conceptionem, & Tranſitum. Mater mea Romana Eccleſia idipſum reliquit indeciſum, nec unquam in hac materiâ voluit definitivam ſententiam pronuntiare. Priſci ſæculi Patres, aut non habuerunt ſpecialem ſententiam, aut alto illam ſilentio ſuppreſſerunt; at utrobique (in Conceptione, in Tranſitu) Dominus ſuſcepit me. In illâ, ne peccatum incurrerem; in hoc, ne corruptionem corpus illibatum contraheret: ibi ut pura conciperer; hîc ne in pœnam, ſed in præmium morerer, & poſt dies paucos reſurgens, etiam corporeis oculis viderem Deum ſervatorem, imò præſervatorem meum.

MARIA

Digitized by Google

MARIA LIBER SCRIPTVS, NON IMPRESSVS.

641 AN-ne hæc Virgo puriſſima manuſcriptus eſt Liber, an impreſſus? Porrò hoc ultimum aſſeri poſſet, ni eſſemus eminentiùs inſtructi. Manuſcripta, opera digitorum ſunt; at exemplaria impreſſa, toto pectore, toto brachio indigent, ut typum exprimant. Quam ob rem, ſi Mundus Liber quidam Dei eſt, & MARIA alter, ille eſſe ſcriptus, & hic impreſſus videretur: nam ſi Libri digitis ſcribuntur, ſpem promovente Davide, legam olim propiùs & clariùs hunc Machinę Mundialis Librum, quando *Videbo Domine Deus Cælos tuos, opera digitorum tuorum, Lunam & Stellas, quas tu fundaſti.* Et, ſi Libri toto pectoris niſu, toto brachio debent imprimi, MARIA Liber impreſſus eſt, eum enim edidurus, qui potens eſt; & ſanctum nomen ejus, *Fecit potentiam in brachio ſuo.*

642. Sed non; hallucinamur in diſcurſu, & erramus. Mundus & Munda Libri ſunt; verum uterque manu Divinâ ſcriptus, neuter impreſſus. Mundus unicus eſt, Munda unica; plures Mundi non dantur; nec etiam dantur plures Mundæ. Omnis Homo fatetur, *quia in iniquitatibus conceptus eſt, & in peccatis concepit eum Mater ſua*: Et tamen Deipara ſingulariter ait, *Ego ſum Arbos Florem Divinum germinans, in quâ nec nodus originalis, nec cortex actualis culpa fuit*: & ideò à totâ Eccleſiâ Catholicâ *Virgo ſingularis* nominatur. Igitur ſiquidem Liber Mundialis ſingularis eſt, & Liber Virgineus eſt unicus, impreſſi non ſunt iſti Libri, Libri enim typo multiplicantur.

MARIA LIBER SCRIPTVS, NON IMPRESSVS.

643 NOvo conceptu ditor, novo acumine; MARIAM eſſe Librum Generationis IESV-CHRISTI aſſero, impreſſum autem eſſe conſtantiſſimè nego; & rationem expono. Delineationes typi & ectypi debent eſſe contrariæ; quidquid enim in dexterâ typi reperitur, id ectypus habet in levâ, & è converſo. Tales libri ſunt omnes peccatores, nam ſuis actionibus exprimunt Decalogum inverſo modo. In cordis paginâ non permittunt legem Divinam manuſcribi, ſed ipſi audacter imprimunt, & non curant quod exemplar, converſio ſit Divini typi. Aſſerit Deus, negant ipſi; negat Deus, ipſi aſſerunt; quod Deus dexterâ protegit, ipſi reiiciunt ſiniſtrorſum; & quod ille reprobationis levâ reiicit, ipſi dexterè & curioſè amplectuntur. Adamus ante lapſum Liber fuit, ſed manuſcriptus, quoniam expreſſus ad imaginem & ſimilitudinem Dei; ſed juſſus amare bona, & odio mala perſequi, ubi linearum inverſione, amavit malum, & bonum odio habuit, Liber impreſſus fuit; & quia Liber cùm imprimitur multa exemplaria habet ſibi omninò ſimilia, & diſſimilia typo; Humanus iſte Liber cùm fęminæ perſuaſu imprimitur, non ſolùm eſt diſſimilis typo Divino, ſed hanc ipſam diſſimilitudinem derivat exactiſſimè in poſteros. David, antequam pulchritudine fæminæ deciperetur, Liber ſcriptus fuit. *Inveni hominem ſecundum cor meum*, dicebat Dominus; (Ecce Copiæ & Protocoli, Ectypi & Typi convenientiam) at ubi ſenſualitate illectus adulterium commiſit, admiſit impreſſiones contrarias, & Liber manuſcriptus non fuit. Et, quia *Regis ad exemplum totus componitur Orbis*, eſſe Liber ſingularis non potuit, ſed multos ſibi ſimiles habuit; ubi enim Princeps liber eſt, omnes eſſe liberi volunt, independentiamq; ſinguli & immunitatem affectant.

At in Virgine Divâ, omnia conſona Deo; nulla in totâ illâ linea, quæ ſit inverſio prototypi. Deo ſimilis, Deo plena eſt; quidquid indicit Deus, condicit Virgo; quod interdicit ille, hæc à corde proſcribit; quam ob rem, cùm Libri impreſſi diſſimilitudinem neceſſariam involvant, & Virgineus hic Liber Typo ſuo ſit aſſimilis, ſcriptus eſt, & impreſſus non eſt.

MARIA LIBER IMPRESSVS.

644 VEL dicamus Librum Generationis IESV-CHRISTI eſſe impreſſum, non ſcriptum; contraria enim ſolent & negari & admitti, ſi diverſo conceptu exponantur. Ho-

Digitized by Google

Homo hodie manuſcriptus eſt Liber; naſcitur tanquam tabula raſa, in quâ nihil ſcriptum; vel ſi aliquid, non manu Dei, ſed manu Adami. Tabula eſt, contra legem Divinam exciſa; contra Dei voluntatem dedolata; Dæmonio inſcripta; & ne dubitetur de Iure, ſubſcripta ab ipſomet Adamo. Erant olim quaſi indelebiles iſti originales characteres, in circumciſione ſilice radebantur; hodie diviniùs in baptiſmo non tam abluuntur, quàm comburuntur Chriſti ſanguine. Creſcit infans, & paulatim variarum rerum characteres adquirit, quos *ſpecies* adnominant. Deus uſum rationis indit, Legem ſuam in puelli corde ſcribens, & ſucceſſivis favoribus, auxiliiſq; illud ditans, novas lineas ſubſcribit, quibus non modò ornetur, ſed Cœlum adquirere valeat. Ecce omnia hæc motu ſucceſſivo ſcribuntur, adeòq; Humanus Liber non impreſſus, ſed manuſcriptus judicatur. At Liber Generationis IESV CHRISTI cuditur, non ſcribitur, & hoc privilegio ſpeciali. Cùm ſcribitur pagina, linea ſequitur lineam, dictio dictionem, character characterem: Cùm imprimitur, omnes literæ formantur ſimul. Ergo Mundus Liber ſcriptus eſt, ſex enim periodos continet, totidem diebus ſcriptas. Omnes Homines Libri ſunt manuſcripti, primo enim eorumdem animis inſcribitur character baptiſmi, quem reliqui characteres & ſigna myſtica & Sacramentalia ſubſequuntur. At Verbum Æternum, & MARIA, Libri ſunt divinitùs impreſſi. Illud, quantum eſt, ſine ullâ ſucceſſione eſt expreſſum: & hæc in ipsâ conceptione nullâ virtute caruit, ſed omnes recepit infuſas. An-ne dicendum Deiparam in virtutibus non profeciſſe? Rem dupliciter capio, & ideò aſſentior & diſſentio ſimul: illa enim nullam novam adquiſivit virtutem, ſed infuſas auxit exercitio & ſtudio.

MARIA LIBER ERRORE CARENS.

645 CVm volunt exponere Ius gentium noſtri Legeconſulti, aſſerunt illud eſſe omnium nationum tacitam, aut expreſſam concordiam, quam tametſi non probent, ſemper ſupponunt, & admittunt. Aut fallor, aut hoc dubium & peſſimè intellectum Ius apud gentem Typographicam viget; quoniam tacitâ concordiâ ſtatuiſſe videntur, mulctandum graviter, qui Librum ſine mendis ediderit. Ideò illi tantâ curâ, ne careant erroribus, cavent. Liber mendorum expertem nullus edidit, Homo, & IESV-CHRISTI Generationis Librum (MARIAM intelligo) multa emendanda haberet, ni fuiſſet impreſſus in Officinâ Gratiæ, & apud Typographum Deum.

646. Iam intelligo, quid ſignificare debeat illud *Apud*, quod in Evangelio reperitur. Nam ſi quæram Lipſianos libros de Marianis miraculis, reperiam, ***Antuerpiæ, in Officinâ Plantinianâ apud Balthaſarem Moretum***. Et ſi ipſum Librum Generationis IESV-CHRISTI, ipſam Deiparam, reperiam, ***In Empyreo, in Officinâ Gratiæ, apud Deum***. Deus enim, qui fudit, formavitq; Marianos characteres; Deus, qui literas divinas cordi Mariano infudit; Deus, qui omnes has virtutes ſupernaturales impreſſit; Ergo lege Librum Generationis IESV-CHRISTI, & doctiſſimus eris; & ſi illo careas, quære ſtudioſè & invenies MARIAM in Gratiâ, Gratiam in Mariâ; & utramq; impreſſam apud Deum.

647. Hunc divinæ generationis Librum omni errore, omni mendo carere ſtatuo; & ne leviter ſtatuere videar, etiam demonſtro. Non poteſt eſſe in chartâ mendum, quod non fuerit in Typo; cùm igitur hujus Libri Virginei Typus Deus ſit, errorum incapax; quî à Typo exactiſſimo poſſint menda in chartam illabi, non percalleo. Apud noſtros Typographos Typus debet corrigi, ut corrigantur menda impreſſi folii; Ergo ſi audes huic Libro errores impreſſorios adfingere, ſupereſt, ut audeas Typum etiam arguere, quem aſſeruimus eſſe Deum.

MARIA LIBER VNICVS.

648 MIra res! Cùm nos Librum imprimimus, millena habere exemplaria curamus; ſic res ſe habet apud Homines, aliter apud Deum, in cujus Divinâ Officinâ imprimitur Liber Generationis IESV CHRISTI, & tantum editur unum Exemplar. Mundus unicus eſt, nec plures erunt; adeòque conſequentia doctrinæ poſtulat, ut

Munda ſimiliter ſit unica. Creaturas immūdas & imperfectas multiplicari licet, at Munda & perfecta nō eſt multiplex. Sol dicitur, quia ſolus; Apollo quia unicus, (quoniam *a'* eſt particula privativa, & ſignificat *Non*, & πολυ' *Multos*, undè Α'πόλλων, quaſi *Non multi.*) Luna dicitur, quod illa ſit una; Ergo Cœli Imperatrix dicatur, *Virgo ſingularis, Mūda, Sola*, vel *Unica*.

649. Quærunt Metaphyſici. An Genus ſalvari in una ſpecie poſſit? An Species in unico Individuo? Et reſpondeo conceptum Gratiæ uberrimum eſſe & ditiſſimum; multas, varias, & excellentes dotes & prærogativas continere, & tamen, ſi agamus de MARIA, in unico ſalvari Individuo; ſi agamus de reliquis Sanctis, non ſalvari. Ipſa enim ſola omnes gratias, & virtutes, quæ diviſim Sancti, copulatim complectitur; nulla enim in aliquo inveniri poterit excellentia, quæ aut formaliter, aut ſaltem eminenter in Deiparâ non reperiatur.

MARIA LIBER FINITVS, VERBVM INFINITVM COMPLECTENS.

650 VErbum æterni Patris, eſſe Deum, Patri æquale, & conſubſtantiale vel invitis Arrianis aſſerimus; inferimus eſſe infinitum; & qui potuerit Libro finito inſcribi, rogamus. An circulus radio finito præditus capere ſphæram poterit, cujus centrum ubiq; ſit, & nullibi circumferentia? Sanè non ſolùm poſſe, ſed cœpiſſe de facto fide tenendum eſt; fœderis enim Arca myſtica, quem Cœli capere non poſſunt, ſuo gremio contulit. At inquirendus venit modus, ut non ſolùm veritas, ſed fundamentum percalleatur. Dico igitur dari duplicem ſcribendi modum; longum & abbreviatum. Cùm aliquid ad longum ſcribitur, exprimuntur omnes & ſingulæ literæ; cùm per abbreviationem, unâ, aut alterâ expreſsâ reliquę ſubintelliguntur. Ad longum ſe deſcripſit Deus, cùm Verbum protulit; nā infinitus Deus non poterat aliter exprimi, quàm verbo neſcio principii & finis. At iſtud ipſum Verbum in Virginis Ventre, in Libro Generationis IESV CHRISTI abbreviatur, ſic docuit me loqui Bernardus; quo grandiùs loquutus eſt Paulus, juxtà quem non abbreviatur modò, ſed & exinanitur.

651. Rem eamdem ſecundo conceptu dilucido. Capitis iſtum Librum, recognoſcitis Indicem, & in eo aliquā lineam reperitis, quæ placet; remittimini ad Librum, & in textu, quæ quæritis reperîtis ad longum. Hac præventus ideâ audere dicere Verbum æternum & MARIAM duos eſſe Libros; in illo ad longū exprimi omnes Dei perfectiones prout ſūt in ſe, in hac eaſdem per modum Indicis reperiri; & ab hac ad illum amādari. Tolle MARIAM, & Liber ille Divinus, in quo ad longum totus Deus exprimitur, carebit Indice: tolle Verbum Divinum, & MARIA erit Index, qui careat Libro; ergo altero carere non poteris; quoniam tam arctè connectuntur, ut debeant ſimul aut adeſſe aut abeſſe.

MARIA LIBER, SED NON VENALIS.

652 MAgna eſt Mortalium avaritia, ſed major liberalitas Dei. Qui caret nummis, libris caret; venales enim proſtant, & gratis non dantur, ſed grátis: dantur enim illis, qui grati ſunt; & ſolummodò ſunt grati, qui aurum aut argentum rependunt. At in Dei Officinâ proſtat Bibliotheca Sanctorum, & tota in unico compacta volumine. In Evangelii initio, *Liber Generationis IESV-CHRISTI* dicitur, & in fine, *MARIA, de quâ natus eſt IESVS, qui vocatur CHRISTVS.* Hic Liber Virgineus vocatur, *Gratiâ plenus*, quoniam conceptus fuit in gratiâ, in gratiâ natus, in gratiâ ſcriptus, gratiæ inſcriptus, gratìs impreſſus; gratìs proſtans; & licèt pretioſiſſimus ſit, gratis datus.

MARIA LIBER IN FOLIO.

653 DEnominantur Libri à plicis. In folio expanſo impreſſus plicis caret; at quando imprimitur in quarto, in octavo, in duodecimo, & in decimoſexto, &c. rugas habet. Virgineus igitur hic Liber, ſiquidem omni rugâ caret, in folio eſt. Et quidem prædicente Davide, *Folium ejus non defluet; ſed omnia, quæcumque faciet, ſemper proſperabuntur.* Alii omnes Sancti folia habent, ſed quæ ſentiant Autumnum, & defluant; foveantur verè, & renaſcuntur: at MARIA Virgo eſt Beatiſſima;

Digitized by Google

ma,quæ nec abeundo, nec ſtando, nec ſedendo peccavit. Peccat abeundo Homo, cum à non eſſe ad eſſe tranſit; tunc conſilio impiorum inſcribitur, & impietatem originalem & maleſuadam contrahit. Peccat ſtando, cum in viâ peccatorum relinquitur; & ſuæ miſeriæ inſcius in culpâ remanet. Peccat ſedendo, cùm voluntariò impedimenta obiicit, ne è peccato extrahatur. At MARIÆ Animus, cùm à creaturarum poſſibiliũ theſauris abiẽs, primo pede rerum exiſtentium ſeriem tetigit, Sanctus fuit; in Sanctitate originali ſtetit, imò & ſedit; tàm enim poſſibile fuit MARIAM à gratiâ excidere, quàm ſedentem in Solio divinitùs firmato cadere. MARIÆ Mens & voluntas etiam in terris Beatitudinis ſpeciem delibarunt. Hæc adhærebat legi Domini, diù noctuque illa meditabatur. Si MARIAM Arborem fuiſſe dicas;plantatum ſecus decurſus Cœleſtium aquarum lignum fuit, quod tempore ſuo fructificavit. Si fuiſſe Librum aſſeras;magnum aſſeres; & quia multa paucis ſcribi foliis nequeunt,multis præditum:at hujus puriſſimi Libri, ne una quidem pagina defluet, eſſet enim hæc incomparabilis jactura, aliena à Marianâ virtute; à quâ,quæcumque fient, ſemper proſperabuntur.

MARIA LIBER ADDITIONIBVS PLENVS.

654 SVmit calamum eruditus Scriptor, & Librum excellentem exarat; abſolutum volumen recognoſcit, & in margine ſcribit; notas videlicet breviuſculas, quæ contextui ſint luci, & totum argumentum exaltent. Nec aliter Deus MARIAM (Librum Generationis CHRISTI) ſcripſit. Quoniam ſcripto jam Libro notas quàm multas marginales, & in ipſis textui luces & radios addidit, quibus ſi non novas virtutes & gratias infunderet, ſaltem inditas & infuſas augeret.

MARIA LIBER TRANSFERENDVS.

655 PRetioſiſſimi & alieno idiomate conditi Libri tranſcribuntur, transferunturque, ut multiplicatis exemplaribus ab omnibus haberi poſſint. Ergo ſiquidem Spirituum Cęleſtium Imperatrix Liber eſt pretioſiſſimus, tranſcribatur, ut ſinguli habeamus exemplar: & ſiquidem linguâ eſt Angelicâ compoſitus, in Humanam vertatur,ut ab Hominibus poſſit intelligi.

Sed quid eſt Librum iſtum exſcribere?Omnium virtutum characteres, quibus ornata fuit hæc excellentiſſima Princeps, in corde proprio imitationis calamo delineare. *Nam Diva vitam legere, & non degere fruſtrà eſt; Illam tu potiùs degito,quàm legito.* Summâ ipſa Humilitate fuit prædita,ſummâ puritate,ſummâ patientiâ, ſummâ charitate; ejus veſtigia preme; ſis humilis, ſis purus, ſis patiens; proſequere Deum ſummo amore, proximum amore prope ſummum; & ſtatim reſpiciet Deus humilitatem & reliquas virtutes ſervi ſui; ecce enim ex hoc beatum te dicent omnes generationes.

656. Sed ſubmurmuras, & MARIAM tantam eſſe ais, ut admirari poſſis,imitari non poſſis. Et concedo eſſe in ipsâ aliquas prærogativas, aliquos etiam eminentium prærogativarum characteres quos exſcribere neſcias; at illos Ego ex idiomate Cęleſti ad terrenum transferam, ut quos idiomate alieno ſcriptos percallere non poteras,radicitùs intelligas ad noſtrum idioma tranſlatos. Concepta ſine peccato fuit; omni peccato actuali caruit;tertiâ die reſurrexit; in Cœlis corpore & animo triumphat.Iſti inter alios illi ſunt characteres, quos non intelligis, quibus admirationem pendis, quos tuo fragili cordi inſcribere nunquam præſumis; quoniam impoſſibile eſt ad ventrem Matris egredi, & iterum puriùs renaſci; impoſſibile omni carere culpâ, cùm vix juſtus ſis, & juſtus ſepties in die labatur; impoſſibile à mortuis tertiâ die reſurgere; impoſſibile corpus hoc corruptibile ante mortem in Cœlos tranſportare.

657. Sed parciùs obſecro hę ſẽtẽtię ponantur;nam quæ in MARIÆ idiomate videntur eſſe impoſſibilia,facilia erũt ad humanum tranſlata. Illa quæ aut à Deo divinitùs, aut ab Angelo angelitùs prę́ſtita,humanitùs ſolemus æmulari;adeòq;MARIAM noſtro modo imitari poterimus; tametſi ſit Humana, Angelica, & Divina. Et quia illi quatuor Mariani characteres præcipui ſunt, & qui videntur omnem imitationem excludere, illos Ego aut exſcribo aut tranſcribo.

Digitized by Google

658. ❧ Converto igitur meditationis oculos ad tuas virtutes, Cœli & Terræ Regina, & quia ſine peccato es concepta, volo etiam meo modo hanc Ego perfectionem adquirere. Cogitationes meæ, Sereniſſima Princeps, diſſipatæ ſunt, & torquent cor meum; conſcientiæ diem vertunt in ſcrupulorum & dubiorum tenebras; & Fidei ſecuriſſimam noctem in ſpeculationum periclitantes luces. Meditor, contemplor, ſpeculor; multa concipio, pauca intelligo; quia omnes conceptus mentis meæ in originali naſcuntur. Quid faciam miſer, qui in ipsâ conceptione pecco? Cogito res inutiles, imò & nocivas: & ſi bonas, non bene. Ergo conceptus mentis meæ laborant originali culpâ, quâ poterunt tuo exemplo liberari. Sed quomodo? Modum ſuggeret illa tua illibata Conceptio. Præventa es, non liberata, ſupponit enim peccatum liberatio, & tu nunquam illo inquinata fuiſti. Ego igitur, præceptis ſalutaribus monitus, & divinis auxiliis præventus, meos conceptus præveniam, nec illos vagari permittam, ſed totam mentem Dominicæ cruci ſuffigam, & ſolum Chriſtum cogitabo. Si id præſtitero, omnes cogitationes meæ gratiâ divinâ cœlitùs, & noſtrâ diligentiâ humanitùs præventæ erunt, & carebunt peccato.

659. ❧ At progredior ulteriùs. Omni caruiſti actuali culpâ; nullam vel minimam commiſiſti, tametſi multos vixeris annos. At carere mortalibus & venialibus ſimul Angelicum & non Humanum fuit. Te Ego imitabor humanitùs. Nullum mortale me unquam commiſſurum propono; nullum veniale ex advertentiâ. Et quia ſubreptio me vel invitum illicit, ſumam hinc humilitatis argumentum, ut quantum culpis levibus remittitur divinæ gratiæ fervor, tantùm humilitate & pœnitudine ipſa gratia augeatur.

660. ❧ Tertiâ die à mortuis ſurrexit Chriſtus Dominus; tertiâ, aut ſaltem quadrageſimâ (ſunt enim diſſidentes ſententiæ) CHRISTI Domini Mater; & Ego, hanc phyſicam doctrinam ad mores revoco, & quia nullum mortiferum peccatum committere devotè propoſui; nunc propriæ fragilitatis conſcius, ſtatuo me ante Solis occaſum reſurrecturum, ſi, quod abſit, in aliquod mortale labar.

Et quia tu, mea Domina, corpore & animo Cœlos inhabitas, omnis mea delectatio & cogitatio in Cœlis erit. Senſus omnes corporeos rebus ſanctis impendam; conciones ſanctas audiam, libros devotos legam, cibos communes ſumam, tactum macerabo ciliciis, & odoratum etiam mortificabo. Meditabor præcepta Dei, ipſumq; amabo, ipſum laudabo, non ſolùm quandiu vixero, ſed quandiu fuero.

MARIA LIBER ABECEDARIVS.

661 Abecedarii Codices continent primos Characteres, & MARIA Liber eſt, qui unicum characterem confert, *cujus* poteſtas valorque major eſt omnibus *noſtris* ſummo repetitis ſtudio. In hoc Virgineo Libro CHRISTVS clauditur, & iſte *eſt Patris* æterni coëſſentialis character, cujus valor infinitus eſt, & poteſtas immenſa; tantus, tanta, ut explicandis non ſufficiant innumerabiles & infiniti characteres.

At quia noſtros, in Vocales, *Conſonantes*; & hos iterum in Liquidos, & Mutos *ſubdividimus*, inquirit ſtudioſa devotio, qualis ſit iſte voluminis Mariani character?

Vocalis eſt, & omnibus vocalibus ſimul æquipollens, imò omnes ſuperans. Sed literæ vocales quæ? A. E. I. O. V. meliore ordine IEOVA. Igitur noſter character Ieova eſt, Deus eſt, & Dei imago naturalis.

662. ❧ Et tamen iſte Vocalis character, mutus eſt; tanquam agnus coram tondente, imò coram occidente ſe obmutuit & nõ aperuit os ejus. Accuſatus de graviſſimis culpis maluit mori, quàm obloqui. Siluit coram Pilato; ſiluit coram Herode; maluit ab hoc ſperni, & ab illo damnari, quàm lite agere, & in tribunalibus reſpondere, replicare, appellare. Et tu, Chriſtiane Auditor, aut credis, aut decredis, quæ dico. Si decredis, jam judicatus es, quia fide cares: ſi credis, quâ fronte atria vocibus opples, fora litibus, Civitatem diſcordiis, nec ſcis vel minimam injuriam pati. CHRISTVS accuſatur, cæditur, expuitur, flagellatur, coronatur ſpinis, & tandem ignominioſo ligno affigitur, tacetque: & tu, qui Chriſtianum te jactas, qui Crucem CHRISTI ſupportare gloriaris, neſcis vel verbulum incautè prolatum audire, quin ſtatim exſilias, vindictam ardeas, & ni invenias civilem, priva-

Digitized by Google

vatã furibundus appelles? Nimiùm tenera fragilitas & Viro indigna puſillanimitas hæc eſt.

663. ✠ Plura dicturus eram, eloquii habenas contraho, aliò advocatus, CHRISTVM Dominum, eſſe characterem oſtendi, liquidum eſſe non oſtendi. Nunc facio.

Liquor omnis figuræ eſt expers; ſi in vas rotundum infundatur, ſphæricus eſt; ſi in ovalem ellipticus; ſi in quadrum cubicus; & omnis figuræ capax, nullam habet. Omnibus omnia eſt; & ideò meritò Verbum æternum, liquidum dixi characterem, quòd noſtræ fragilitati ſe attemperans, omnibus omnia ſit, tametſi inmutabilis ſit. Meritò quidem Πᾶν dicitur, quia Πᾶν *rerum univerſitas eſt.* Patere igitur, Domine IESV, ſiquidem *Oleum effuſum* diceris, ut Te non modò liquidum, ſed & liquorem dicam; & novo genere potentiæ omnibus omnia factum celebrem, & ſic inquam.

A Te prima ſalus, à Te novus inchoat annus;
Incipe prima mea chorda ſonare lyra.
Deliciæ cordis; ſolamen rebus amaris;
Dulcis in aure ſonus, dulcis in ore favus.
Ros matutinus; vitalis ſybilus auræ,
Quâ flante è Cælo vita ſaluſque fluit.
Terrigenæ, Cæli Proceres, Erebique Phalanges,
Cùm ſonat acclives præciduique ruunt.
Sive Cor eſuriat, quæ gratior eſca palato?
Seu ſitiat, quis fons uberioris aquæ?
Sive alget, facit algenti de corde caminum;
Sive ardet, gelidam ſenſerit eſſe nivem.
Quod ſi ægrè valeat, morbo vox una medetur;
Si mæret, IESV nomine mæror abit.
At mare ſi ſævit, guttam Cæleſtis olivæ
Funde, procelloſas illicò ſedat aquas.
O Verbum æternum; ſi tanta in Nomine vis eſt,
Quanta ineritq; typo, prototypoq; ſalus?

Ecce CHRISTVS. Omnibus omnia eſt. *Oleum effuſum* dicitur; quia ſicut iſtud omni vaſis figuræ & capacitati ſe accommodat, ſic CHRISTVS ſe attemperat omni hominum neceſſitati.

MARIA LIBER ORTHOGRAPHVS.

664 DVplex eſt Orthographia; mechanica & liberalis; vel ſi malis, Corporea & Spiritualis. Illa prior characterum externum nitorem & apparentem figuram; poſterior poteſtatem & valorem concernit. Cura eſt materiali, ne manus rectam ducendo lineam titubet, ne circumducendo obliquam prolabatur; & Spirituali, ne valorem literarum confundat, aut locis mutatis *Cathreda* pro *Cathedra* ſcribat, aut B. pro V. aut ſimilem aliam ſupponat.

Hac doctrinâ præventus ad Te converto oculos, MARIA dulciſſima, & quæ omnium judicio, non ſolùm libera, ſed etiam Liber es; meo, es orthographicus Liber, non ſpiritualiter ſolùm, ſed etiam materialiter & corporaliter: tota enim es pulchra, tota nitida, & macula non eſt in Te.

MARIA LIBER SINE PARENTHESI.

665 CVm in mediam periodum aliquid interiicitur, Parentheſis ſolet vocari; cujus vi rumpitur ſenſus prior, & parentheſi clauſâ progredi ſinitur. Quam Ego doctrinam ſi myſticis oculis ſpeculer, reperiam in multis perſonis. O quoties peccatores vidimus agere pœnitentiam, & poſt numeroſa flagitia ad Deum converti; quorum tamen converſatio pia & ſancta brevis fuit, & parentheſi ſimilis, quâ clauſâ fuerunt reverſi ad vomitum. Hæc figura orthoglotta hujus Virginei Libri Authori diſplicet, adeòq; ſuâ divinâ manu ita voluit totum illum ſcribere, ut nullâ omninò laboraret parentheſi. A principio ad finem in hoc Divino Libro eſt una continua periodus, & in eâ non interruptus ſenſus, primum Verbum eſt ultimum, quia Verbum CHRISTVS eſt, & iſte ponitur in principio & in fine. In principio, cùm *Liber Generationis IESV CHRISTI* dicitur; in fine cum aſſeritur hic Liber vocari MARIA, *de quâ natus eſt IESVS, qui vocatur CHRISTVS.*

MARIA LIBER LEMMATVM.

666. SCripturus Hiſpanus Epigrammatiſta ſua acumina, Lẽmata conceptuũ præmiſit; & quia videbantur rogaturi Curioſi, cur præſcriberentur illa Lemmata, acutè & ſincerè reſpondit. *Lem-*

Digitized by Google

Lemmata ſi quæras, cur ſint præſcripta? docebo.
Vt, ſi malueris, Lemmata ſola legas.

Placet loquendi modus, & MARIAM Librum Lemmatum aſſero, & quia ſingulis Divis ſingulas panegyres inſcripſero, Librum Lemmatum (hoc eſt MARIAM) præpono, & ſic inquam.

Cur Divis reliquis hîc eſt præſcripta MARIA?
Vt Tibi, ſi oretur, ſola favere queat.

Quoniam tametſi omnes Cœlicolas Tibi propitios ſomnies, ſi MARIA careas, nullum habes; quod ſi illam habeas, reliquis carere non poteris.

667. O quàm benè ſciebat Propheta Rex omnes Sanctorum virtutes & prærogativas ineſſe MARIÆ Virgini parituræ formaliter aut eminenter. O quàm ſublimia Pſalmi illa verba, *Vnam petii à Domino*, ait, *hanc requiram*; ſed quam? Angelorum Reginam, immaculatam Virginem, parituram Deum Hominem. Sed cur unam? Quia ex hac *Solâ* naſciturus erat *Sol* Iuſtitiæ CHRISTVS Deus noſter. Sed ut quid Propheta Sancte. Hanc requiras? *Vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Et meritò, quia cùm MARIA ſit *felix Cœli Porta*. fruſtrà aliàs introitus in Empyreum tentabitur.

MARIA LIBER SCRIPTVS; SED NON IN CIPHRA.

668 MVlta & varia ſunt ciphrarum genera; quoniam aliàs veris characteribus falſam poteſtatem adfingimus, ut cùm pro A ſcribimus B, pro B autem C, &c. Et aliàs fictis literis damus valorem verum. Hanc Artem ſummopere promovit Trithemius, quem ſpeciali Libro ab omni ſuperſtitionis notâ vindicavimus. Legantur illi Libri, qui *Polygraphia, & Steganographia* inſcribuntur, & in ipſis mille literarum latebræ, mille fallaciæ reperientur. Et quidem hoc characterum genere, reperio ſcriptos fuiſſe paucos Libros, & inter paucos vix unum alicujus momenti. Verſo nonnullos Chymicos, & Aſtrologicos, imò & Politicos, qui contemnerentur omninò, ni ipſamet legendi difficultas authoritatem conciliaret. Hac arte ſcribantur Politicorum nugæ; nam qui non dicit quod ſcribit, neque facit quod dicit, apud Civiles benè ſapit. At ubi requiritur major ſinceritas, omnis debet ciphra & characterum mendacium exulare.

669. Hinc eſt, quòd Librum Generationis IESV-CHRISTI ſteganographicum dici non patiar; ubi enim exuberat candor, non requiritur tanta cautela. Vel ſi dubitas audi ipſummet Librum, & in ipſo primam paginam ſic eloquentem. *Indica mihi, ubi paſcas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam*; legunt Septuaginta, *ne efficiar, ſicut velata.* Hoc eſt, volo reſcire, quæ doctrina te nutriat, quæ tibi ſint quieti ſententiæ, & illas meridie mero profiteri, ne dicar ciphris & involucris abecedariis obvelari. Pura ſum; & velamen, peccati indicium eſt, adeòque mihi omninò ingratum. Porrò omnis ſcriptura, quæ in ciphrâ, ſuſpecta eſt; omnis facies velata, rea creditur; Amani enim ſtatim *operuerunt faciem*, cum à favore Regis excidit; Eſther. 7. & Suſanna quandiù rea credita, tandiù *coopertam faciem habuit.* Daniel. 13. Igitur nihil obvelatum in hoc Virgineo Libro ſit, nihil in ciphrâ, ne ſuſpectus credatur.

MARIA LIBER IN CIPHRA.

670 AMat tenebras Deus, nec nimiùm cognoſci patitur Pater æternus; ſunt enim malevoli Homines, & Dei cognitione abutuntur. Vbi Verbum Divinum videre potuerunt, ſtatim paraverunt inſidias. Ecce CHRISTVS, Deus viſibilis eſt; & ecce vix natum perdere conatur Herodes; ecce illum in flore ætatis vendit novæ Religionis diſcipulus, emunt Magiſtri veteris; captivum tradunt Ethnico; & ut crucifigatur inclamant. Ecce Homo, flagellatur, coronatur ſpinis, crucifigatur. An-non indigni Homines, ad quos iterum deſcenderet Deus? Prorſus indigni. Verùm, qui facit Solem ſuum oriri ſuper bonos & malos, etiam ad indignos deſcendit. Ecce Spiritus Sanctus viſibili ignis ſpecie illabitur, & ſtatim Simon Magus ſollicitat, ut ſicut CHRISTVS à Iudâ fuerat venditus, à Petro etiam Spiritus Sanctus vendatur. Volebat Simon nundinari miracula, & ideò *Spiritum Sanctum emebat, ut & Spiritum Sanctum*

etiam

Digitized by Google

etiam venderet. Act. 8. [Vide S. Auguſtinum tract. 10. in Ioann.] Ergo, ſiquidem ſemel malus, ſemper malus eſſe præſumitur, ne prodeas ad Homines, æterne Pater, irreverenter enim tractaberis, & ab iſtis peſſimis inſtitoribus vili pretio vendêris.

671. Nec prodit; *Ponit tenebras latibulum ſuum*, nec vult à viperino hoc Hominum genere cognoſci. Loquitur Moyſi, & Legem naturalem pronuntiat, & *totus mons Synai fumat, eo quod deſcendebat Dominus in igne*. (Exod. 19.) audiri enim volebat, non videri. Hinc Propheta Iſaias, cùm diligenter quæſiiſſet, nec inveniſſet, ait, *Verè tu es Deus abſconditus*. (Iſaiæ 45.) Et Gentiles inter obſcuras naturalis luminis & avitæ traditionis luces *Deo ignoto* notiſſimas aras erexerunt.

Ecce Pater æternus ignotus & inviſibilis. Ecce ejus unigenitus carnem ſumpſit *inviſibilitatem Patris cuſtodiens*, non evulgans. Sic loquitur S. Ireneus *libr. 4. cap. 37.* Ecce quia Deus abſconditus locum ſecretum habitat, loca publica non convenire oraturo pronuntiat; ecce Deum implorandi modum docet & dicit, *Cùm oraveris intra cubiculum tuum & clauſo oſtio ora Patrem tuum in abſcondito; & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi*. Matth. 6. 6.

672. Ecce abſconditus Deus in æternitatis ſuæ lumine inacceſſibili ſcripſit paginam abſconditam, folium in Ciphrâ, nimirùm Angelorum Reginam. Et hoc ſenſu intelligenda ſunt verba Eccleſiaſti introducentis Virginem Matrem ſic loquentem. *Ego ex ore Altiſſimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam; . . . ſicut nebula, . . . in columna nubis. . . . Hæc omnia Liber vitæ & teſtamentum Altiſſimi & agnitio veritatis . . . . adhuc doctrinam quaſi prophetiam effundam, &c.* Ecce noſtra Sereniſſima Princeps liber eſt, non qualiſcumque ſed vitalis, at ſcriptus in nebulis, exaratus in nubibus, tam obſcuris characteribus delineatus, ut potiùs prophetiam complecti videatur, quàm doctrinam.

MARIA LIBER POLYGRAPHICVS.

673 LIber Generationis IESV-CHRISTI (MARIAM intelligo) multis modis ſcriptus eſt. Et hæc ipſa characterum varietas poſtulare videtur, ut linguarum varietatem explanem.

Erant Hieroſolymis Apoſtoli monoglotti; patrium ſermonem percallebant, ut inferioris fortunæ homines ſolent, nullum alium. *At cùm complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes pariter in eodem loco.* (fruſtra enim Spiritum Sanctum Religioſus ſingularis exſpectat, qui non frequentat actus communitatis) *Et factus eſt repentè de Cælo ſonus tanquam advenientis Spiritûs vehementis*. (repentè quidem; quia cùm minùs homo cogitat, adſiſtit gratia; recipere enim Spiritus vehementis, hoc eſt, efficacis auxilia, nec volentis nec currentis, ſed miſerentis eſt Dei) Spiritus igitur *replevit totam domum, ubi erant ſedentes*, (Hiſp. *adonde eſtaban muy de aſiento*, ut doceamur, non illabi Spiritum Sanctum in eos, qui per tranſennam orant) *& apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditq; ſupra ſingulos eorum: & repleti ſunt omnes Spiritu Sancto, & cæperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis.* Act. 2. 1. Sed quonam modo variis linguis?

674. Obſcura res eſt, in quâ communis ſententia non placet. Sic hoc miraculum ſolet intelligi, ut varias linguas docerentur Apoſtoli, & pro temporis opportunitate, jam unâ jam alterâ CHRISTI nomen evangelizarent. Non diſputo. Illos omnes linguas neceſſarias doctos eſſe ſuppono, ſed in hoc ipſo Spiritûs Divini illapſu, nonnihil grandiùs & ſublimiùs inſpicio. Sed quid? Quod Apoſtoli *linguas diſpertitas* habuerint. Sed quid eſt habere linguas diſpertitas? Expono.

An-ne videritis *tabulam ſtriatam*, aut ſi magis placent Sacræ Paginæ voces; *diſpertitam*, induſtriâ excellentis Pictoris hinc Polyphemum, índe Galathæam referentem? Videritis proculdubio quàm multas, quoniam Ars ejuſmodi olim loco miraculi fuit habita, at jam ſatis vulgaris & communis. Ergo eadem tabula ſi ſtriata & diſpertita (Hiſp. *partida*) ſit, poteſt Hominibus diverſo loco poſitis diverſas imagines repræſentare. Ergo cùm eodem modo ſe habeant voces ad aures, quo colores ad oculos, non repugnabunt ſtriatæ Concionatorum voces, nec etiam linguæ diſpertitæ. Poterit igitur accidere, ut ſicut in eâdem indiviſibili tabulâ diverſas duo figuras vi-

Digitized by Google

vident; ſic etiam in eodem ejuſdem linguæ motu idiomata diverſa audiant, & diverſas prolationes intelligant.

675. Hujus prodigii negari non poteſt poſſibilitas, probatur veritas. Nam omnia Sacræ Paginæ & Patrum teſtimonia conſpirant. Loquebantur igitur Apoſtoli linguâ quâ volebant; aut potiùs, quâ Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. Sed quia movebant diſpertitas linguas, & voces ſtriatas proferebant, *convenicbat multitudo, & mente confuſa erat, quoniam audiebat unuſquiſque linguâ ſuâ illos loquentes*. Et quia erat res omninò prodigioſa, unam & eamdem Orationem heteroglottis hominibus ſpecies communicare heteroglottas, ſtupore corripiebantur ſinguli, & admirabundi dicebant, *Nenne ecce omnes iſti, qui loquuntur Galilæi ſunt?* Quâ igitur ipſi loquuntur linguâ? quo utuntur idiomate? Probabiliùs Syriaco. Eſto quocumque alio. Ergo omnes eadem verba audire deberemus. Sed res contingit aliter. Quando Hebræus illos hebraicè loquentes audit, tunc ſimul illos audit Chaldæus, & ipſos Chaldaicè loqui judicat. An-ne eædem voces heteroglottas ſui ſpecies immittunt? Vel ſi non; *Quomodo nos audivimus unuſquiſque linguam noſtram, in quâ nati ſumus? Parthi & Medi, & Ælamitæ, & qui habitant Meſopotamiam, Iudæam & Capadociam, Pontum & Aſiam, Phrygiam, & Pamphyliam, Ægyptum & partes Lybiæ quæ eſt circa Cyrenen, & advenæ Romani; Iudæi quoque & Proſelyti, Cretes & Arabes, audivimus eos loquentes noſtris linguis magnalia Dei.* Ecce eadem Apoſtolorum vox, audiebatur à Romano; Syro, Arabeque; & à primo audiebatur Latinè, à ſecundo Syriacè, à tertio Arabicè.

676. Qualis erat Apoſtolorum vox, talis eſt hujus pretioſiſſimi libri ſcriptura. Singulæ literę ſunt diſpertitæ, ſinguli characteres ſtriati, & qui à ſingulis poſſint legi vario & diverſo modo. Vel attende. Es ſubditus? Ecce Ancilla Domini, docebit Te voluntatis reſignandæ rationem: quia ſicut oculi Ancillæ (MARIAM intelligo) in manibus Domini ſui, ita debent eſſe oculi noſtri in manibus Domini Dei noſtri, donec miſereatur noſtri. Es ſuperior? Adeſt Regina, cujus vita & authoritas omnes Principes & Monarchas erudit. Es reus? Ecce Miſericordiæ Mater. Es Iudex? Ecce etiam ipſa Iudex eſt, & tamen illos ſuos miſericordes oculos ad nos convertit. Es mortuus? Ipſa vita eſt. Es vivus? Ipſa dulcedo eſt, ne amaram vitam agas in hac lachrymarum valle. Es puſillanimis? Erit ipſa ſpes, & ejus dilectiſſimus Filius poſſeſſio, nam qui MARIÆ dixero, *In Te ſpero*, etiam addo, *Et in Verbo Tuo ſuperſperavi*. Sed quid eſt ſuperſperare? Exponam. *Sperare* eſt habere ſpem. Et *Superſperare* eſt habere aliquid ſuper ſpem; ergo habere poſſeſſionem; quoniam ſuper ſpem ſolummodò reperitur poſſeſſio. Ergo Potentiſſima Virgo, dulcis, clemens, & pia; omnium Scientiarum & Facultatum Liber es, omni idiomate ſcriptus, ab omni mortali legendus. Omnia omnibus facta, omnibus faves, ſingulos juvas, & interventione ad Cœlum tuâ promoves univerſos.

MARIA LIBER STEGANOGRAPHICVS.

677 IOannes Trithemius *Spanheimienſis* Abbas occultarum literarum novam Artem invenit, quam *Steganographiam* nuncupavit. Hac arte ſcriptus Liber occultus eſt, nec intelligi poteſt, niſi ad ſpiritum & claves recurratur. Et quidem ſi rem benè conſiderem, MARIAM Virginem, quam omnes *Librum Generationis CHRISTI* dicimus. Philippus IV. Catholicus Hiſpaniæ Rex, ſteganographiam eſſe fatetur, cùm ad Spiritum Sanctum & Claves Eccleſiæ recurrit, ut primus ejuſdem character, qui eſt conceptio, tandem aliquando exponatur.

Mater & Filius ſunt entitates relativæ; & quia tales, ſimul notitia & cognitione; adeòq; mirum non erit ſi expoſituri Generationem Divæ, CHRISTI Generationem pręſumamus. Hieronymus. *In Iſaiâ legimus; Generationem ejus quis enarrabit? Non ergo putemus Evangeliſtam Prophetæ eſſe contrarium; ut quod ille impoſſibile dixit effatu, hic narrare incipiat: quia ibi de Generatione divinitatis* (fortè divinâ) *hîc de incarnatione dictum eſt*. Duæ igitur in CHRISTO generationes ſunt, divina & humana; illa ineffabilis, iſta quæ dici poſſit: & quia Mater eſt ſimilis Filio, duæ in ipſâ ſunt ſimiliter Generationes; altera quæ in embryonis productione conſiſtit; altera quæ infuſione

Ani-

Digitized by Google

Animi rationalis. Hanc ineffabilem dicimus, illam omnibus notam, & ſic controverſias ſedamus. Quæritur, An Divus Bernardus conceptionis ſolemnitatem approbet? an Sanctam aſſerat ipſammet conceptionem? Affirmo, infirmo, aſſero, nego; nec tamen aut mihi ſum contrarius, aut meum Melleum Doctorem ſibi fuiſſe adverſarium admitto. Generationem corporis in Virgine Sanctam dicebant illi, quos Sanctus Bernardus reprehendit. Hos ipſe erroris arguit, improbatq; ab eiſdem inſtitutam temerè ſolemnitatem. Sic de corporis productione Bernardus; at Generationem illam, quæ conſiſtit in infuſione Animi, ineffabilem judicat; aſſerit eſſe hujus Libri Generationis IESV-CHRISTI periodum ſteganographicam, quæ ſine Clavibus & Spiritu legi non poſſit. Ideò ad Eccleſiæ magiſterium recurrit, & ſe auditurum, ſemperq; Clavium potentiam, & Spiritus adſiſtentis infallibilitatem veneraturum eſſe inclamat.

MARIA LIBER GRAMMATICVS.

678 TAmetſi vox *Grammatica* variè ſumatur ab antiquis, uſus obtinuit, ut jam illam ſolam facultatem ſignificet, quæ linguam dirigit, ut caſtè & perfectè loquamur. Ejus præcipuè partes ſunt, Declinationes, Conjugationes, Genera, Præterita, Supina, Syntaxis; & quia omnes iſtæ in Libro Generationis IESV-CHRISTI traduntur, eum eſſe Grammaticum aſſero.

Et quidem antiquiſſimus veræ Grammaticæ Profeſſor David, has olim Declinationum regulas pronunciavit. Sic inquit. *Declina à malo, & fac bonum, inquire pacem & perſequere eam.* Has obſervavit perfectiſſimè Angelorum Regina, has nobis obſervandas tradidit; in hoc Davide & nobis doctior; quod multa declinavit, quæ nos indeclinabilia credimus. Grammaticorum ſingulæ inſtitutiones ſua habet indeclinabilia vocabula, apud Latinos, ut alios prætercam, indeclinabile *Gelu* eſt, & id generis omnia; quæ ad neutriùs genus & ordinem quartum ſpectant, at in morum Idiomate, indeclinabilis erat originalis culpa, indeclinabilia aliqua leviora peccata; nos Prophetæ aſſentimur, & neminem fuiſſe qui vel originale, vel omnia actualia declinaverit, confidenter aſſerimus, & B. Virginis ſapientiam admiramur. In primo vitæ inſtanti, nullius exemplo peccatum originale declinavit; & omnia actualia poſteà, ita ut in hoc genere tanta fuerit, ut admirari debeas, imitari non poſſis.

679. Tranſeo ad Conjugationes, & pronuncio etiam in hoc genere Virginem fuiſſe ſingularem. In nobis Deus maritat Gratiam Animo, & hoc mirabili conjugio illum à Dęmonis captivitate liberat, & donat ſupernaturali libertate. In Divâ contrà Deus Gratiæ marîtat Animum, & hoc mirabiliori conjugio, non illum à Dęmonis carceribus eripit, ſed impedit ne illos incurrat. In nobis Gratiâ accidit Naturæ; at in Divâ Natura videtur accidere Gratiæ; nam Grâtia præit, & Natura conſequitur, & cum Gratia pro illo priori ſubjectum habere non poſſit, ſi non dicatur ſubjectum Virgineæ Naturæ, dici poterit impedimentum omnis ſuperventuræ culpæ, & fundamentum originariæ ſanctitatis.

Conceptum tetigi; non proſequor; quoniam multa præſtringo, ne tempus deſit novis Deiparæ excellentiis tractandis. Tempora comparo, & Præterita Præſentibus, & iſta Futuris coopto: & cultum MARIÆ Virginis in ſingulis temporibus reperio. Colitur nunc, quia in terris fuit; celebratur dum erat; & quod videatur mirabiliùs, ſub *Virginis pariture* titulo, antequàm eſſet, colebatur.

Sed & Mariana Syntaxis nova eſt, & paucis cognita. Noſtra in caſuum conſtructione conſiſtit, & ille doctior, qui copulat artificioſiùs caſus. At quoniam Diva nunquam cecidit, Mariana Grammatica caſibus caret. Omnia in illâ apponuntur in recto; non enim aut in cogitationibus fuit obliquitas, aut in operationibus lapſus.

MARIA LIBER EST POLYGLOTTVS.

680 MVlta ſolent de Linguarum principatu cum acumine ſcribi, quæ breviter percurrere debeo. Hebræa vocatur *Sancta*, quoniam Sacra veteris teſtamenti Pagina in illâ eſt. Chaldæa dicitur *Sapiens*, ob ſu-

Digitized by Google

ſublimem Babylonicę gentis doctrinam, commendatam ab Oraculo, hoc Diſtico.

Solis Chaldæis ſapientia ceſſit; Hebræi
Ingenitum Numen mente animoque colunt.

Syriaca, quod CHRISTI, Beatæ MARIÆ, & SS. Apoſtolorum fuerit condecorata labiis, nominatur *Chriſtiana*. Quòd Roma Orbis Chriſtiani caput ſit, Romana *Catholica* dicitur. Aliæ ſua Epitheta etiam habent; nam Hiſpana vocatur *Gravis*, Luſitana *Glorioſa*, Itala *Dulcis*, Galla *Elegans*, Germana *Dives*, Bohema *Minax*, Hungara *Militaris*.

Sed quo idiomate ſcriptus iſte Virgineus Liber eſt? Omnibus puto, ut ab univerſis legatur, intelligatur, diligatur. Et ſiquidem ipſe Sanctus, Sapiens, Chriſtianus, Catholicus, Gravis, Glorioſus, Dulcis, Elegans, Dives, Minax, & Militaris eſt, aut fallor aut omnium linguâ ſcriptus ab omnibus poterit legi.

MARIA LIBER NON TAMEN SYRVS EST.

681 QVod ſi idiomatum hæc Vniverſitas diſpliceat, per me ſtat, aliquas excipe, non enim deerit ratio, quâ ipſammet exceptionem ſuffulcias.

Dicas igitur Angelorum Reginam eſſe Librum, ſed Syriacum non eſſe, tametſi Matthæus ſuum Evangelium Syriacè ſcripſiſſe credatur. Ecce Deiparæ linguam Syriacam realiter concedo, materna enim ei fuit; moraliter nego, quoniam linguæ iſtius characteris Libro noſtro Virgineo convenire non poſſunt. Alii alios conceptus accuratiùs & altiùs, duos Ego expono.

Primò enim Syriaco Idiomate, in captivitate Babylonicâ genito, ſcribantur Hominum nomina in captivitate conceptorum: at hoc nomen MARIA, non eſt perſonæ in captivitate conceptæ, adeòque nec captivis characteribus ſcribi poteſt. Sanè Syriaci captivi ſunt, captiva linguâ, & captivi inventores; nam cum eſſent Hebræi, ſerviebant Chaldæis in Babyloniâ, nec potuerunt Dominorum idioma exactè adſequi, nec proprium retinere; quam ob rem, dum ſe Chaldæis adcommodant, originem dedere tertio idiomati ab utroque diſtincto, quod Syriacum vocarunt.

682. Ita-ne? Syriaca lingua eſt Hebræa corrupta, aut Chaldæa imperfecta? Igitur Syriaci characteres non inſcribantur noſtro Libro, imperfectionis impoti, corruptionis experti.

Secundò, qui Syriacè ſcribit, deorſum deſcendendo characteres exarat, quod eſt ſpeciale iſti linguæ, quo deſcenſu, ſi vel humilitatem indigites, vel canones ad cor & pectus dirigas, quod acutè poſſet dici, ſi velles; nihil occurreret, ob quod hunc characterum deſcenſum reprobarem. At quia deſcenſus primâ fronte lapſum, caſum, occaſumque ſignificat, characteres lapſi non videntur benè cooptari nunquam lapſæ; non enim literis decíduis debent ſcribi encomia Aſſumptæ in Cœlos, ſupervolantis Sydera, aſcendentis ultra Angelorum Choros ad excelſum faſtigium, ut plantas ponat, quò nulla Creatura pura caput.

MARIA LIBER NON TAMEN SCRIPTVS IDIOMATE ORIENTALI.

683 PRiſci ævi Homines Eoam regionem auream, & beatam crediderunt. Adeòq; non viderentur negaturi noſtro Virgineo Libro Literas orientales. Mundialis Sol naſcitur ab Oriente; imò ipſe eſt Oriens; quoniam ut legitur in Zachariæ cap. 6. *Oriens eſt nomen ejus*. Igitur ſi MARIA, ex quâ ortus eſt Sol Iuſtitiæ CHRISTVS Deus noſter, Liber eſt, Orientali charactere ſcribatur. Sed non. Hebræus, Chaldæus, Arabs, Turca, Perſa, & Hetruſcus lævorſum characteres ſcribit, lævorſum legit; & quia in Deiparâ (dicam Hiſpanè *no ay ſinieſtros ningunos*) nulla actio ſiniſtra, aut imperfecta reperitur, dedeceret dexteras, & fideles virtutes ſcribi ſiniſtro & infideli.

MARIA LIBER POETICVS.

684 VIdit Propheta manum, cui erat involutus Liber, & in ipſo Lamentationes, Carmen, & Væ. Et inter varias opinio-

niones Doctorum, illi Ego libentiſſimè adhæreo, quæ hunc Librum eſſe vitam peccatorum exiſtimat. In tria enim ille Capita diſtribuitur; nimirùm, Nativitatem, Converſationem, Mortem. Naſcitur lugendo Peccator; quoniam in iniquitatibus conceptus originariâ labe infectus paritur. Adoleſcit in culpis, & tota ejus converſatio carmen eſt. Moritur in impœnitentia, & damnatus inferno intonat illud æternum *Væ*. Comparabat Carminibus humanas actiones quidã ingenioſus ſcriptor, & aiebat. *Verſus ſunt Homines. Scis unde colligo? Namq;*

Sunt ſicut verſus plurimi in orbe mali.

Multi quidem, & nimiùm multi ſunt, qui verſibus ſimiles, quoniam multi ſunt mali, multi qui hilarem & delitioſam vitam agunt & tandem lamentabiliter devivunt. Et quia ſola Deipara immaculatè concepta, hujus vitæ miſerias ſuſtinuit; & tandem ad ſydera translata eſt, videtur eſſe Liber triceps, in quo ſint Carmina, Lamentationes, Triumphi. Si Conceptionem conſidero, carmen conſidero. Metrum enim menſura eſt; & Ametria nominatur Peccatum, quod legi diſſonet, & careat debita perfectione & menſurâ. Ergo ſi Mariana Conceptio ametriâ caruit, metrum fuit. Si Marianæ vitæ & converſationis excurſum contemplor, ſolvor in pientiſſimas lachrymas, cum tot pœnalitatibus innocentiſſimam Virginem affligi video, quæ pœnâ ſub Deo juſto non potuit. VÆ, ſi anagrammaticè conſideretur, EVA fuit, AVE eſt; ut doceamur, Evam fuiſſe primi Hominis prævaricationis cauſam, & propter Evam Adamumque nobis *VÆ* ſubcini; ſed *AVE* Angelorum Imperatrici. Eja ergo, MARIA, advocata mortalium, *ſumens illud AVE Gabrielis ore, Funda nos in pace, Mutans EVÆ nomen.*

MARIA LIBER RHETORICVS.

685 DVæ ſunt Rhetorum ſectæ; altera prodiga, & altera avara. Huic ultimæ ſtuduerunt Græci, & inter eos præcipuè Lacones; & priori Latini. Vno aut altero verbo, multa acutè & ſententioſè Lacones; verùm Romani pauca multis. Proderit legere veterum Græcorum apophthegmata, quæ in libros varios multi Iuniores collegerunt; ſed me hæc generalia juvant, & ſpecialia non concernunt. Nam inquiris, Vtram Rhetoricam fuerit profeſſus Deus? Vtram Angeli? Vtram Angelorum Regina?

Porrò Deus ſilentii amans, unum Verbum ſolummodò totâ æternitate pronunciavit. Non eſt, qui multis periodis pauca dicat; ſed qui Verbo uno omnia faciat. *Semel loquutus eſt Deus*, ait Rex Propheta, *& duo audivi.* Nam Verbum æternum ſemel dicitur, & bis auditur; quà gignitur in æternitate audit Deus, & quà in tempore, Homo: nec tamen Deus & Homo duo verba ſunt, ſed unum Verbum.

Compendioſa etiam Rhetorica Cœleſtium Intelligentiarum eſt; habent, ut dicitur, univerſaliſſimas ſpecies, & uno Angelico Verbo plura comprehendunt, quàm Homines centenis poſſent. Quo altior eſt Angelus pauciora Verba profert, & tamen plura concipit & ſignificat; ut doceamur ingenii laudem in nimiâ loquacitate non conſiſtere, ſed plus te ſæpè tacendo poſſe conſequi, quàm plurimas bene pexas periodos pronunciando.

MARIA LIBER MATHEMATICVS.

686 INcidis in Euclidis, aut cujuſcumque alíus Mathematici Opera; curioſè libros aperis, & paginas ſtudioſè conſideras. Reperis literas & lineas. Canones & figuras. Illos legis, iſtas intelligis: literæ enim leguntur, at anguli, circuli, lineæq; legi non poſſunt, ſed intelligi. Sed quorſum me Matheſis rapit? Ipſa me Deipara reddet; ipſa mihi Deiparam: quoniam MARIA Liber Mathematicus eſt: habet characteres, & lineas; hoc eſt, innumeras virtutes, quas laudare, & celebrare poſſis; at alias etiam, ineffabiles, quas pronunciare nequeas, tametſi bene intelligas; quas non poſſis eloquenti panegyrico perſequi, ſed debeas potiùs alto ſilentio, & admiratione celebrare.

MARIA LIBER ARITHMETICVS.

687 RElego ſæpè hoc Sanctum Evangelium, ſemperq; admiror MARIÆ nomen in ultimâ poſitum lineâ. Cur in Capi-

te Libri non eſt ſcriptum de Te, Virgo puriſſima? cur in fine poneris? cur poſtponeris tot peccatoribus Sereniſſima Domina omni peccato carens? Rem explico. Gratia non deſtruit naturam, ſed perficit; & Matthæus, nam Publicanus erat, arithmeticus erat. Sumit calamum, & ad numeros graduſque CHRISTI Domini Genealogiam reducit. Reges enumerat, & notat in margine tot coronas. Computat tot militiæ Principes, & eos reperit valere tot ſcutis. Subintelligit alios, & valorem ſubducit. Poſtmodum omnes hos numeros ad unam & eamdem ſummam redacturus, altâ mente ſic ait; *Tot Regum Coronæ, tot Militum Scuta, tot caſtiſſimarum Virginum flores aut Florines, tot aliorum illuſtrium Heroum Coronæ & Imperiales prærogativæ ſimul ſumptæ erunt MARIA, de quâ natus eſt IESVS, qui vocatur CHRISTVS*. Quam ob rem, ſiquidem MARIA numeroſorum Sanctorum & Heroum *Summa eſt*, ultimo debuit poni loco, quoniam juxta bonæ Arithmetices regulas, *Summa* ponitur ultimâ lineâ.

MARIA LIBER GEOMETRICVS.

688 TEr magnus fuit Mercurius ille antiquus, Magnus Philoſophus, Magnus Sacerdos, Magnus Rex, hanc ob rem Triſmegiſtus fuit dictus, (Gallicè *Treſgrand*) hoc eſt, Maximus. Is iuſſus Deum exponere, definitionem pronunciavit, neſcio an clariorem definito. *Deus eſt*, ait, *Sphæra intelligibilis, cujus centrum ubique eſt, & nullibi circumferentia*. Non eſt verbum, quod non ſit admirabile. Sed quia nihil de Diametro Mercurius; An iſte myſterioſus Circulus careat Diametro, inquiris: & reſpondeo me non valere reſpondere, quin prius ſciam, quid ſignificet iſta vox *Diameter*. Illam conſidero; reſolvo ſtudio anagrammatico, & occurrit *Dei Mater*. Ergo hujus Circuli *Diameter*, anagrammaticè, *Dei Mater* eſt; & quia Semidiameter *Radius Circuli* dicitur, Dei Mater, non ſolùm erit hujus Circuli Divini Diameter, ſed duplex Divinitatis radius. Nam in illâ relucet Deus, quâ Author Naturæ; in illâ relucet, quâ Author Gratiæ. Nam ſi dona naturalia contemplor, MARIA omnium creaturarum Princeps eſt: & ſi Gratias ſupernaturales, Imperatrix. Deus enim, qui eſt admiribilis in Sanctis ſuis, in MARIA omni admiratione fuit major.

MARIA LIBER LOGARITHMICVS.

689 ARithmeticam, Geometriamque meditatus, novam Artem ingredior; ingenioſiſſimam, excellentiſſimam; ante annos non multos inventam, quæ hodie ſummo pretio & flore eſt. Hæc ars, ſtando primæ inventioni, ſupponit maximum numerum nihil eſſe. Sic multi in illâ numeros naturales & artificiales cooptant.

Numeri naturales.	*Logarithmi.*
1,000,000.	000,000.
100,000.	100,000.
10,000.	200,000.
1,000.	300,000.
100.	400,000.
10.	500,000.
1.	600,000.

Rem conſidero, & ad MARIAM, Librum Generationis, converto oculos, & ſingulas ejuſdem lineas eſſe logarithmicas aſſero; reperio enim MARIAM inter numeros creatos ſummum eſſe, & nihilominùs eamdem nihil eſſe. Vide num. 78.

Porrò eſſe omnium Creaturarum Summam, & Maximam, diffiteri non poterit, qui Hiſtorias Evangelicas legerit. In Lucæ primo capite lego, miſſum ad Virginem Archangelum, & dixiſſe. *Ave gratiâ plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus. Inveniſti gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus IESVM*. Verba ſingula conſideremus.

Primò, noto ſpecies ſicut numeros eſſe, & inter Angelos eſſe plurimas valde diſtantes, & Homines differre inter ſe numero, & ab Angelis plus quàm ſpecie. Et colligo Virginem Matrem omnium Creaturarum ſummam eſſe, gratiâ enim plena eſt, cùm tamen hanc divinam prærogativam multi in vacuum recipiant, multi remiſsè, nemo plenè.

Se-

690. Secundò, phraſin illam, *Benedicta tu in mulieribus*, ſuperlativam eſſe; MARIAMq; ſi ſic liceret loqui, maximam & benedictiſſimam.

Tertiò, eſſe Deo proximam; non enim eſſe diceretur apud Deum, ſi inter eam, illumque alia Creatura ſupereſſet. Igitur, ſi immediata Deo, ſumma eſt, & Angelis univerſis Superior.

Quartò, Dei Matrem eſſe. Hinc fortiſſimum argumentum diducitur, ad MARIÆ excellentias & prærogativas demonſtrandas: nam ſi Paulus, ut quantus CHRISTVS eſſet, oſtenderet, efficaciſſimè inclamavit. *Cui unquam Angelorum dixit: Deus; Filius meus es tu; ego hodie genui te?* Cur non ego illum imiter? cur non dicam, *Cui unquam Angelorum dixit Deus; Mater mea es tu; ſiquidem tu genuiſti me?*

Stat igitur Deiparam non ſolùm inter Homines (à quibus differt mero numero) ſed etiam inter Angelos Summam eſſe. Ecce naturalem & ſupernaturalem Divæ valorem; majorem omni creato, aut Humano, aut Angelico. Conſideremus modo Logarithmum illi correſpondentem; nimirùm numerum rationalem; adeòque quanta ipſa ſuâ opinione & judicio fuerit accuratè inſpiciamus. *Ecce ancilla Domini*, ait; & ſtatim, *Magnificat anima mea Dominum; & exultavit Spiritus meus in Deo ſalutari meo; quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*. Ecce Creaturarum omnium Summa, ſe nihil eſſe aſſerit; nam ſe fatetur ancillam, & ſervi moraliter loquendo ſunt nulli.

MARIA LIBER MILITARIS.

691 SAnctus Ioannes Geometra (Eccleſiæ Græcæ decus) ut nomini calamus correſponderet, Librum myſticum edidit de Architecturâ militari, in totoq; meram noſtræ Sereniſſimæ Virginis umbram. MARIA enim Liber eſt, in quo Artem militarem addiſcas. Sic ille Hymn. 4. angulos Cœleſtis Fortalitii deſcribit, *Salve*, ait, *præſidium Vrbanum; Tu mœnibus hoſtes arces, & moles concutis barriferas*. Et Alcuinus ſerm. de Nativit. *Tu bellatrix egregia, primo eum qui primus Evam ſupplantavit, expugnare viriliter aggreſſa es*. Et quidem *primo* (ſubintelligo *inſtante*) nam in ipſo conceptionis momento inſidiantem, nec tamen tangentem ſerpentem aggreſſa ſuperaſti. Diſce Homo. Vis Sanctus eſſe? te voluntarium ad Deum MARIA conducet. Non vis? Te vel invitum invitabit, & adtrahet. *Pudeat*, jubente Hugone Victorino libr. de Charit. *Hominem Tibi reſiſtere ô MARIA, cùm Te videat etiam in Deum triumphare - - - - neſcio an fortè majus ſit Te Deam dicere, an Deum ſuperare*. Et tu tamen Dea non es, Deum verò ſuperas, *reſiſtit namque tibi Omnipotens, tanquam qui vincere non vult*, ut tandem victus orationibus tuis, peccatoribus veniâ indignis ignoſcat.

MARIA LIBER CONTRA OMNIA PERICVLA MVNDI.

692 MAgnâ morum jacturâ & animorum eximio detrimento hac rerum tempeſtate circumferuntur Libri, qui contra omnia Mundi pericula ſecuritatem indulgere putantur. Crucibus ipſi, & altis nominibus ſunt pleni; & tandem, qui illis utuntur, & *duri* audiunt, ſæpiſſimè miſerè pereunt. Ceſſet, obſecro, hæc pernicioſa ſuperſtitio. Et ſiquidem Librum hodie contra omnia belli & pacis pericula concedit Cœlum, non eſt cur talis Liber ab inferno petatur. MARIA enim Liber eſt, & contra omnia mundi pericula præbet ſecuritatem. Quia gratiâ plenus, eſt etiam plenus crucibus; impoſſibile enim, ut abſint cruces, ubi exuberat gratia. Deus quos diligit, corripit, ſi culpa detur; & ſi non detur, probat & perficit, ut detur conferendi beneficii nobilioris occaſio. Et quia Chriſtotoco culpa omnis aberat, cruces omnes non fuerunt pœnæ, ſed puriſſimæ pœnalitates. Sanè Virgineus iſte Liber, alta nomina continet, quia eminentium prærogativarum characteres, quos qui in cordis paginam calamo devotionis tranſcribat, in Mundi proceloſo oceano naufragus perire non poterit.

MARIA

Digitized by Google

MARIA LIBER CHRONOLOGICVS.

693 NEceſſaria eſt diſtinctio temporum graviſſimis dubiis diſſolvendis: nam & ubi Iura ipſa videntur in ſe mutuò impingere, ibi pendet à temporum diſtinctione concordia. Ne tamen tempora cogamur confundere, MARIA Cęlitùs conceſſa eſt; ipſa enim eſt chronologicus & hiſtoricus Liber, in quo temporum habetur ſumma ratio. In ipſo initio lego, *Indica mihi, ubi paſcas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam.* Sed cur tantâ curâ vult eſſe apud Deum in meridie? Peccaturus erat Adam ad auram poſt meridiem, & peccando, ſe Dei gratiâ & omnes mortales privaturus. Et MARIÆ non dum exiſtentis nomine loquitur Miſericordia, & poſtulat, ut illa etiam in meridie, etiam peccante Adamo inveniat gratiam apud Deum, ne originariam maculam in primo inſtante conceptionis incurrat. Obtinetur, quod petitur; *Lætus dies ut tranſeat; Pudor ſit ut diluculum, Fides velut meridies, Crepuſculum mens neſciat.* Tota enim vita, etiam diutiſſima, dies unus, & vita Sanctiſſimæ Virginis dies lætus. Et quidem triſtis in diluculo fuiſſet, ſi hæc ſplendidiſſima Stella, pulchra ut Sol, in ipſo horoſcopo, in conceptione ſuâ, ante ortum paſſa fuiſſet originalis culpæ eclipſin: triſtis fuiſſet meridie, ſi in peccatorum actualium tenebras incurriſſet; ſi cogeretur dicere in dimidio dierum ſuorum, *Vadam ad portas Inferi:* denique triſtis in crepuſculo, ſi in reſiduo annorum ſuorum diceret. *Non videbo Dominum meum in terra viventium.* (Iſaię 38.b.10.) Igitur ſiquidem Mariana vita, lætus dies fuit, nocte peccati caruit, tenebras culpæ non cognovit, ſed à primo inſtanti ad ultimum dilucidatus fuit ſplendoribus gratiæ. Hinc eſt quod impatienter contrarias opiniones tolerem, & controverſiam totam hac periodo concludam. [Pudor ſit inquam, ut diei læti fuerit triſte diluculum; ut diei puri aurora fuerit nebuloſa & obſcura; ut illibatæ Virginis fuerit maculata Conceptio, De Fide ſit, vitam MARIÆ fuiſſe velut meridies: clariſſimam, ſplendidiſſimam, & perfectiſſimam; omni maculâ, & peccato carentem. Et ex his duabus præmiſſis inferre noctem, aut crepuſculum mens humana neſciat. Porrò alii dies in noctem deſinunt, alii in crepuſculum, at Virgineus omnes tenebras tàm denſas, quàm remiſſas ignorat; omni enim mortali culpâ, quæ nox animi eſt; omni etiam veniali, quæ eſt crepuſculum fervoris, illa caruit.

MARIA LIBER ITINERARIVS.

694 PRodierunt olim Magnorum Principum Itineraria, quæ dum eorumdem hiſtoriam perſequuntur, nos inſtruunt, ut ſi placeat eamdem tenere viam, quid cavere, & quid quærere oporteat, præſciamus. *Et quia* CHRISTVS magnus Monarcha eſt, ejus è Cœlo ad Terras iter debuit accuratiùs ſcribi; & ſi Librum habere placeat, MARIAM lege, viæ initium, peregrinationis ſociam, & omniū miſeriarum participem. Gerſon tract. 11. *Affer, ſi habes, vel authoritatem, vel rationem de ſequelâ Matris toto tempore CHRISTI prædicationis, hac illac diſcurrentis per Civitates ad Caſtella.* Audivi, Ampliſſime & Devotiſſime Vir, authoritatem vel rationem requiris. Et quidem teſtimonio careo, non ratione; quam ob rem; cùm illud requiratur, ubi deficit iſta; judico non debuiſſe in Sacris Evangeliis ſcribi, quod erat manifeſtum & clarum. Teneo MARIAM ſemper fuiſſe ſuo filio viæ comitem, peregrinationum ſociam, & ſi velis etiam prodigiorum concauſam; pleraque enim quæ à CHRISTO facta phyſicè, à MARIA fuerunt impetrata moraliter. Hæc eſt ſententia mea. Calculum meum adhibui, & ſedulò exſpectabo tuam. Quid ergo in hac materiâ judicas. At ille. *Convenientiſſimus fuit*, ait, *comitatus talis Matris cum Filio*, Arnoldus conſonat, ait enim, *Ab ortu Salvatoris uſque ad baptiſmum anni triginta defluxerant, nec toto hoc tempore ſejuncta eſt Mater à Filio; ſemper individua illi adſtitit.*

695. Sed quid MARIA apud CHRISTVM? Sanctus Ildefonſus, *ſerm. de Aſſumpt.* ſubſcribere videtur Simeoni Metaphraſtæ *Orat. de Nativit.* & ad MARIÆ devotionem recurrit. *Omnis ejus vita, & actio*, ait, *intenta fuit ſermoni dominico.* D. Germanus *in ſerm. de Nativit.* ad Chriſtum Dominum convertit oculos, & MARIAM *baculum divinarum peregrinationum* appellat. An-ne CHRISTVS in-

indiguit baculo? non quidem; at voluit nos docere & inſtruere; peregrinamur enim, & ſi hoc ſecuriſſimo careamus baculo, miſerrimè periclitaturi ſumus. Vel ſi dubites, ora tene, & videbis, quid vel ipſi CHRISTO acciderit, quando Parentis ſuæ conſortio caruit.

Primò, enim Dæmon, qui triginta annis ſolidis non fuerat CHRISTVM auſus aggredi, cùm eum vidit in heremo ſolum, tertiò invaſit, & ut lapides in panes converteret, ut præcipitio ſe committeret, & tandem, ut cultu Deo debito inimicum Dei coleret importunè ſuggeſſit. Secundò, in horto CHRISTVS Matris præſentiâ caruit, & cœpit pavere, tædere, & triſtis eſſe. Vt ſciamus Dęmonem eſſe ferociſſimum & audaciſſimum hoſtem, contra quem tutiſſimus clypeus eſt MARIA. Tolle hunc clypeum, & in CHRISTVM audebit; hoc clypeo protege, & quicumque homuncio erit tutus. O quàm multa poſſem de hujus potentiſſimi nominis recenſere efficaciâ, non ſolùm è libris alienis, ſed è propriis etiam experimentis hauſta, ſed ſufficiat notare tantam eſſe inter MARIAM, CHRISTVMq; ſympathiam, ut illam ſine iſto, aut contrà reperire impoſſibile ſit; tantam inter MARIAM, & Tenebrarum Principem antipathiam, ut ſimul adeſſe, aut ſimul abeſſe non poſſint. Nec hinc ſequi volo Sanctam Filio præſtantiorem Parentem, ſed urgeri illa CHRISTI Domini verba. *Hæc facient, & majora horum facient.* multa enim prodigia patrat Deus hodie interventu Sanctorum, quæ nunquam patravit, dum viveret.

696. ✠ *Imitatores mei eſtote*, ait Apoſtolus, *ſicut & ego CHRISTI*. Et MARIA, *Comites mei eſtote, ſicut & ego CHRISTI*. Te igitur MARIA, comitor, te Paule imitor, & vobis ducibus CHRISTI veſtigia premo. Si viam ignoro, Te, dulciſſima Virgo, lego, & in Te viam regiam non ſolùm addiſco, ſed invenio; in hoc enim ab aliis itinerariis tabulis differs; quod illæ viam doceant, non offerant, & Tu viam complectaris, viam circumferas, viam oſtendas, viam offeras; & reſtituendo errantes viæ, viam errantibus reddas. Habes, confers, oſtendis, donaſq; IESVM-CHRISTVM, qui inſcribitur, *Via, Veritas, & Vita*; aut etiam Via Veritatis & Vitæ.

697. ✠ Eduxit Ægypto Iudęos Dominus, & nę errarent in deſertis regionibus, itineris duces, & comites duas colûnas præmiſit: aliâ ex nube, aliam ex igne: illam ut interdiu conduceret, hanc ut noctu. Et in ipſis noſtræ Divinæ Conductricis imaginem claram reperio. Diu noctuque nos ad gloriam conducit; & ut nos in fide ſuſtentet, columna conſtantiſſima eſt; ut in tenebris nos illuminet, ignis eſt; & ut naturalis luminis lynceam petulantiam excœcet, nubis eſt. Quod ſi maria ſint penetranda, nauticum ſydus eſt, non modò lineam tenendam monſtrans, ſed procelloſos oceanos ſedans, & ventos ſecundos impertiens.

MARIA LIBER MVSICVS.

698 Conſonantiarum Scientia Muſica dicitur, reperiturque in Creaturis naturalibus & ſupernaturalibus. Muſicam olim Cęleſtem aſſeruit vetus ille Pythagoras, quem male intellectum nonnulli in abſurdam opinionem traducunt. Armonia ætherea in orbium & circulorum proportione conſiſtit: Elementaris in qualitatum primarum intenſione; Ethica in moribus; Supernaturalis in gratiis. Sancti ſunt quorum vita. Legi Divinæ conſonat, mali qui diſſonant; & ipſa diſſonantia eſt peccatum. Non igitur Muſica in ſolâ reperitur Deiparâ, ſed in ſolâ perfectiùs quàm in aliis.

Primò, differt Mariana Muſica magnitudine; nam gratiæ (Prædeſtinationis notæ ſunt) in multis fuerunt fuſæ, ſemibreves, aut breves; in paucis longæ; & in ſolâ Deiparâ maximæ.

699. ✠ Deindè differt ipſa altitudine; nam alii videntur repere, & Baſſum aut Tenorem cantare; Altum alii intonare; Diſcantum illi, quos merita evexere ad altiorem ſtatum; at altiſſimam vocem ſolùm perſonat, qui dixit, *Fiat voluntas tua*, & apud eum illa quæ dixit, *Fiat mihi ſecundùm verbum tuum*.

Poſteà differt conſtantiâ. In Aulâ motibus oppoſitis excurrunt, qui diverſum locum apud Principem habent:

Vt, Re, Mi, Fa, Sol, La, cũ attollitur Aulicus inquit.

La, Sol, Fa, Mi, Re, Vt, cùm cadit, alter ait.

At MARIA nunquam cecidit; ſemper in ſummâ Gratię lineâ apud Deum & Homines perſeveravit.

700. ✠ Nitor & dulcor Humanæ Muſices in-

in diſſonantiarum artificioſâ proportione conſiſtit;omnia enim apud nos ſunt immixta. Damnamus Cantum, ubi meræ conſonantiæ ponuntur; nam linguæ læſæ nimiùs dulcor amarus eſt, & auri lapſæ nimia ſuavitas gratiam non habet. At in Marianâ Muſicâ omnia aliter. Illa invenit gratiam apud Deum, & à primo vitæ ſuæ puncto ad ultimum, nullam commiſit diſſonantiam. In primo anhelitu omnes Homines originariam diſſonantiam contrahimus,& illa præventa divinitùs incœpit conſonare & vivere, quod nemini alii puro Homini conceſſum eſt. Et in toto vitæ ſuæ decurſu, reſolutione conſtantiſſimâ Legi Divinæ aſſonuit, ut in longâ periodo nec fuſam aliquam ex ſurreptione actionem,nec brevem aliquam cogitationem elicuerit,quę Legi Divinæ fuerit diſſona.

701. An-ne etiam ſuas fugas habuit noſtræ Virginis Muſica? Habuit quidem,ſed abſimiles noſtris. Nos Deum fugimus, & peccatis illecti de abyſſo in abyſſum prolabimur. Fuga & culpa individuæ ſunt comites;& quia Adam peccando fugit, & abſcondit ſe, (Gen. 3.8.)nos ut peccati,ita etiam fugæ ſumus hæredes neceſſarii. Fuit olim hæres utriuſque Caïn,qui addens culpæ culpam, addidit fugæ fugam, & ait, *Ero vagus & profugus.* (Gen.4. 14.) Nos Caïno ſimiles,vagi ſumus & profugi, tam fragiles, ut omnis cogitatio quæ ſubvenit, occidat, aut ſaltem torqueat, & vexet nos. Talis eſt generis Humani Harmonia: at diverſo concentu in Virgineâ MARIÆ Muſicâ Fugæ reſonant. Fugiendo culpam incipit, illa inſidiatur calcaneis fugientis, ſed fruſtrà; prius enim ad vitæ bravium Virgo, quàm ad Virginem culpa pervenit. Et hic admiror verborum Cœleſtium proprietatem. *Tu inſidiaberis calcaneo ejus*, (nempe, *MARIÆ*) inquit Serpenti Deus. (Gen. 3. 15.) Sed cur potiùs calcaneo quam digitis? Quia inimicitias poſuerat inter Serpentem & immaculatam hanc Mulierem; & cùm hæc gratiæ divinæ aſſiſtentiâ præventâ,alatis pedibus hunc mortiferum Serpentem fugiſſet, aut effugiſſet potiùs, ille qui ſequebatur non niſi calcaneis minari poterat, vel inſidiari. Igitur, puriſſima MARIA, ſiquidem ubi omnes ſumus lapſi,fuiſti elapſa, ora Deum, ut qui laqueos originalis culpæ cæci incurrimus, actualium retia oculoſi caveamus.

MARIA LIBER PHILOSOPHICVS.

702 QVid Philoſophia? Variè exponitur, & tamen omnes ſignificationes conducunt. Vox igitur iſta ſignificationibus pluribus gravida, ſic verti poteſt;nimirùm,ſi exponatur, *Amor Sapientiæ, Amor Sapiens, Amoris Scientia, Amans Scientia*; aut tandem, *Amor ſimul & Scientia.* Quæ omnia, cùm Libro Generationis IESV-CHRISTI, hoc eſt,Virgini Matri accuratè & exactè conveniant, non eſt cur non ille Philoſophicus eſſe dicatur.

Porrò prima Sapientia Deus eſt,& in Divâ hujus *Sapientiæ* ſublimiſſimæ ſummus relucet *Amor*, non indiſcretus præceps-ve (nam Virgo prudentiſſima indiſcretis affectibus,& pręcipiti fervore caret)ſed *Amor Sapiens.* Et quia amare Deum diſcimus, cùm MARIAM imitamur,hunc nos Librum *Scientiam Amoris* dicimus, hoc eſt, *Amandi Artem*, non paſſuras errorem Regulas exhibentem. Sunt aliæ ſpeculativæ Scientiæ ſiccæ; ſola hæc devotionis & perfectionis ſuccum habet; ut non ſolùm *Amoris Scientia* ſit,ſed *Scientia amans.* In quâ præter Patrem æternum, etiam Divina Sapientia, Amorque(Filius & Spiritus Sanctus) per revelationem & dilectionem operatur. Nec mirum in MARIA Virgine liberalitas Perſonarum ſingularum ſplendeat; quia ipſa eſt Dei Patris Filia, Dei Filii Mater, Dei Spiritus Sancti Sponſa, Templumque totius divinæ Trinitatis.

MARIA LIBER LOGICVS.

703 EcQuis negare audebit hũc Librum Virgineum eſſe Logicum: eſt enim Generationis IESV-CHRISTI, qui in principio erat Λόγος, & Λόγος erat apud Deum,& Deus erat Λόγος. Ab hoc igitur Λόγῳ etymologia nobiliore noſter Virgineus Liber *Logicus* debet nominari.

Sed quid eſt Logica? Operationum intellectualium Rectrix; MARIÆ Deiparæ ſimilis; quæ ſi non dirigeret noſtras, horis ſingulis in cogitationes peſſimas illaberemur:

MA-

MARIÆ enim debemus, quòd concipiamus caſtè, judicemus juſtè, & diſcurramus illibatè.

Prima Mentis Operatio.

704 Conceptio, primum opus Logicum, examini ſincero ſiſtitur; ſunt enim plurimi, qui in concipiendo peccant. Et quia Virginis Matris nomen celebro, ipſa unica ſine culpâ concepta concipere ſine peccato potuit; nos autem omnes & in culpâ concipimur, & concipimus omnia in peccato; quoniam omnia aliter, quàm debemus. Vel accedite Mundani Homines, paſſionum veſtrarum mancipia, & omnia à vobis malè concipi oſtẽdam. Vos alloquor Superbos, Avaros, Laſcivos, Guloſos, Iracundos, Invidos, & Negligentes.

Quid Superbia? hoc nomine aliquam Animæ excellentiam concipitis; & clauditis oculos, ne qualis ſit, intelligatis. Ejus inventio debetur Dæmoni; ipſe enim Magiſter ſuperborum eſt, quoniam nullius exemplo ſuperbiſſimus fuit. S. Gregorius Magnus libr. 34. Moralium cap. 21. *Ad hoc unigenitus Dei Filius formam infirmitatis ſuſcepit; ad hoc inviſibilis non ſolùm viſibilis, ſed etiam deſpectus apparuit; ad hoc contumeliarum ludibria, & irriſionum opprobria, paſſionumq; tormenta toleravit, ut ſuperbum non eſſe hominem doceret humilis Deus. Quanta ergo humilitatis virtus eſt, propter quã ſolam veraciter edocendam, is qui ſine æſtimatione magnus eſt, uſq; ad paſſionẽ factus eſt parvus! Quia ergo originem perditioni noſtræ ſe præbuit ſuperbia Diaboli, inſtrumentum noſtræ redemptionis inventa eſt humilitas* CHRISTI. Ecce Superbiæ Inſtitutor eſt Dæmon, Humilitatis Deus. Dicit ille, ſimilis ero Altiſſimo; eritis ſicut Dii ſcientes bonum & malum. Diſcite à me, qui altus & elatus ſum corde. Et CHRISTVS, *Diſcite à me, non mundum fabricare, non cuncta viſibilia, & inviſibilia creare, non in mundo miracula facere, & mortuos ſuſcitare: ſed quoniam mitis ſum & humilis corde.* Auguſtinus ſerm. 19. de verb. Domini in monte.

705. Quid Avaritia? Divitiarum & opum aggregatio. Sic concipis, & male concipis; qui enim nulla cupit eſt dives; & avarus, quia multa cupit, pauper eſt.

Quid Luxus? Humana Beatitudo? Sic multi illum concipiunt, cùm ſit aggregatum omnium terreſtrium miſeriarum. Qui fornicatur; non in Deum modò, ſed etiam in corpus ſuum peccat; & ubi ſibi videtur abblandiri, ſibi nocivus & pernicioſus eſt.

Quid Gula? Si conſulantur, qui vivunt ut bibant, felicitas ſumma dicetur; video enim Homines nonnullos ita decipi, ut ſi comeſſari non liceat, eſſe Principes neſciant.

Quid Ira? An-ne injuriarum vindicta? Sic multi exiſtimant. Sed quid injuriæ? Putarunt veteres dari Cęleſtes orbes, eccentricos, concentricos, epicyclos, æquantes, deferentes; & re meliùs examinatâ, illi in Cęlis non ſunt, ſed cogitantur. Non aliter putarunt dari in terris injurias, magnas, parvas, exorbitantes, pertinaces, æquantes imos ſummis; detrahentes honorem, & ignominiam inferentes: at rebus accuratiùs diſcuſſis nullæ ſunt. Orbes cogitantantur & finguntur in Cœlis; injuriæ cogitantur & finguntur in terris; & tamen injuriarum orbibus cogitatis multi mortales ad graviſſima facinora inducuntur.

Quid Invidia? Ex alienâ felicitate natus dolor. Et tamen reperiuntur, qui libenter doleant, & loco ſummæ recreationis ducant hoc peſſimo dolore torqueri.

706. Quid Acedia? Otium. Et quid Otium? Summa infelicitas; quoniam beatitudo univerſa in operatione conſiſtit, & non operatur, qui otio indulget.

Et, ut omnia uno verbo comprehendam, quid peccatum? Protrudat difficiles definitiones & deſcriptiones Theologus, ſciat tamen omnibus illis à Logico meliorem exhibendam. Vel dicito. Quotuplex eſt Negatio? Duplex; Negans, & Infinitans. Qualis illa? Definitur à Logico, *Negatio malignantis naturæ, quæ omnia, quæ poſt ſe invenit, deſtruit.* Et hãc Ego definitionem mortifero peccato approprio. Negatio eſt, etiam ſi in poſitivo aſſeratur conſiſtere, homo enim peccando negat obedientiam Creatori; & quidem hæc ipſa inobedientia malignantis naturæ morbus eſt, omnia enim Cœleſtia dona, quæ in animâ reperit, eliminat; deſtruit merita, & favores aliàs divinitùs concedendos impedit.

Secunda Mentis Operatio.

707 Iudicium ad ſecundam mentis operationem pertinet, & in hoc Libro Logico erudimur, quî judicare debeamus. Quoniam

Digitized by Google

niam ſi veteres *in Moralib.* aſſerente Plutarcho coram Pallade, ſcientiarum & armorum Deâ Ius dicebant; nós coram MARIA debemus, cujus pedibus omnes literæ & omnes exercitus ſerviunt. Magna opus eſt prudentia Iudici, & MARIA Virgo prudentiſſima eſt, & nos docet in ſententiis & opinionibus noſtris omnem fugere temeritatem.

At quia jam in Scholis Poſitiones temerariæ creduntur, in quibus abſtracta prædicantur, placet S. Epiphanii lib. 3. contra hæreſ. cap. 79. teſtimonium expendere, & in ipſo literæ ſpiritum dilucidare. *Non permiſit Deus*, ait, *S. MARIÆ dare baptiſma, non benedicere diſcipulos, non imperare in terrâ juſſit; ſed ſolùm ipſam, ſanctificationem eſſe voluit*. Ecce D. Epiphanio Beata Virgo non ſolùm Sancta eſt, quod omnes dicimus, aut etiam Sanctos faciens, quod ſenſu congruo debet aſſeri, ſed eſt ipſamet ſanctificatio in abſtracto. In hoc enim calor differt à calido, quòd hoc frigus habere poſſit, ille non poſſit; & per conſequens in hoc ſanctificatio à Sancto, quod hic infici culpâ queat, illa nequeat. Tot igitur donis & gratiis donata fuit hæc puriſſima Virgo, ut in ſenſu compoſito (ſic loquuntur Theologi) habere non potuerit culpam actualem, aut originalem.

708. Hinc ſcio, cur David in hac genealogiâ iterum, & iterum ponatur, cùm reliqui Patriarchæ tantùm ſemel. Quoniam tametſi non ſit omninò reiicienda Pontificis Abulenſis ratio, (nempè Toſtati *quæſt. 4. Matth. cap. 1.*) ſtatuens ideò dici priùs, *Liber Generationis IESV-CHRISTI Filii David*, & poſteriùs, *Ieſſe autem genuit David Regem*, quia negaturi erant multi CHRISTVM eſſe Meſſiam, quod non crederent regio ſanguine genitum; & idcircò CHRISTVM Davidis Filium iterum, & iterum dici, ut hunc errorem nondum natum Sacra Scriptura condemnaret. Nihilominus Ego ad nominis DAVID vulgatam acceptionem recurro. Dico igitur, DAVID ſonare *Dilectionem, & Gratiam*, & ideò bis in Evangelio poni, ut oſtendatur B. Virgo Gratiâ duplici prædita; videlicet originali, ne hæreditariam culpam in conceptione incurreret; habituali, ut omnia peccata actualia totâ vitâ vitaret. ISAAC etiam ponitur in duobus locis; quoniam *riſum* ſignificat, & MARIA iterum, & iterum ſerpentem inſidiantem irriſit: maculaturi enim conceptionem caput contrivit, & inſidiantis vitæ pedes fregit, ne reliquis Hominibus nocere poſſet. Fuge igitur, virtutis ſtudioſè Auditor; effuge; ad MARIAM confuge; illamq; advocatam aſſume.

Tertia Mentis Operatio.

709 PErtinet ad Dialecticam, quoniam hæc ipſa vox, ſi in rigore ſumatur, diſputare & argumentari ſignificat. Et quidem in Marianâ Dialecticâ multos Patres excelluiſſe reperio; inter quos ſummè dulcis Senenſis Bernardinus *ſerm. 61. art. 3. cap. 6.* illa duo Principia, *Dici de omni*, & *Dici de nullo*, ſupponens, ſic argumentatur. *Tot Creaturæ*, ait, *ſerviunt Glorioſæ Virgini, quot ſerviunt Trinitati.* Cùmque Trinitati Sanctiſſimæ nulla non ſerviat, conſequentia ſuo ſe pondere inducit, infertque. Sed ſubſumit. *Qui Dei Filius eſt, & Virginis benedictæ, volens Paterno Principatui Principatum æquiparare Maternum, qui Deus erat, Matri famulabatur in terrâ; & erat ſubditus illi.* Et concludit juxta certiſſimæ Logicæ Regulas. *Hæc eſt vera Propoſitio, Divino imperio omnia famulantur*; ergo *etiam Virgo. Et iterum, hæc eſt vera Propoſitio, Imperio Virginis omnia famulantur*; ergo *etiam Deus.*

NOTA I.

710 TRes ſunt mentis operationes; prima concipit, ſecunda judicat, componit, dividit; tertia vi conſequentiæ novas notitias & poſitiones parturit. Vt igitur Parthenia Dialectica ſit practica, oportet Cœlitum Reginam imiteris. In Conceptione? Maximè. Cura igitur, ut cogitationes omnes tuæ non habeant peccatum in ſuâ origine; ſed côcipiantur in gratiâ, & à gratiâ. Ad ſecundam operationem tranſi, Te *judica*, te examina; proximos tibi non ſubditos Deo judicandos relinque. Tuam vitam cum Marianâ *compone*, ut ubi ejus excellentias, ibi tuos defectus, & imperfectiones percipies. Te à ſceleratis & maleſuadis *divide*; corrumpunt enim probos mores conſortia prava. Et ad operationem tertiam, quæ conſequentias parturit, veniens, Divam etiam in Maternitate imitêris. An-ne Anima tua Mater Dei eſſe poterit? Maximè.

Sed

Sed cur ego interrogor; cùm Chriſtus aſſertivè reſpondeat; & S. Gregorius Magnus ejus deciſionem dilucidet?

711. CHRISTVS apud Matthæum cap. 12. d. 46. *Loquente IESV ad turbas, ecce Mater ejus, & fratres ſtabant foris quærentes loqui ei.* (quia MARIA eſt echo Verbi Divini, & ubi illud ſonat, hæc non reſonare non poteſt.) *Dixit autem ei* (CHRISTO) quidam. *Ecce Mater tua, & Fratres tui foris ſtant quærentes Te.* (Foris? ſic judicavit *quidam*, ſed erravit; quia MARIA extra CHRISTVM non eſt. Invenit gratiam apud Deum, & intra Deum eſt. Putas te Deum habere, & MARIA cares? Et exiſtimas MARIAM eſſe extra Deum? Es ſimilis huic Homini, qui loquutus eſt CHRISTO. Sed quis ipſe? *Quidam* dicitur ab Hiſtoriographo; debet enim eſſe individuum vagum, qui ſic oberrat.) *At ipſe* (CHRISTVS) *reſpondens dicenti ſibi, ait. Quæ eſt Mater mea, & qui ſunt Fratres mei? Et extendens manum in diſcipulos ſuos dixit; Ecce Mater mea, & Fratres mei. Quicumq; enim fecerint voluntatem Patris mei, qui in Cœlis eſt, ipſe meus Frater, & Soror, & Mater eſt.*

712. Verba ſunt, quæ magno Commentario indigerent; illa illuſtrat Gregorius homil. 3. in Evang. & ait. *Fideles Diſcipulos Fratres vocare dignatus eſt, dicens. Ite, nunciate Fratribus meis. Qui ergo Frater Domini fieri ad fidem veniendo potuerit, quærendum eſt, quomodo etiam Mater eſſe poſſit. Sed ſciendum nobis eſt; quia qui CHRISTI Soror, & Frater eſt credendo,* (ſexu differt à Fratre Soror, non ſubſtantiâ aut eſſentiâ; datur enim virilis, & debilis fides, robuſta, & etiam puſillanimis) *Mater efficitur prædicando. Quaſi enim parit Dominum, quem cordi audientis infuderit, & Mater ejus prædicando efficitur, ſi per ejus vocem amor Domini in proximi mente generatur.* [Sum feſtinus; ſed mihi verba Gregorii perplacent, & ſi detur occaſio, tempuſque aliàs diligentiùs reſumam.]

NOTA II.

713 Videris MARIAM eſſe Librum Logicum, Humanæ Mentis operationes ad Λόγον, hoc eſt, Verbum Divinum dirigentem; volo hunc diſcurſum verbis Epiſcopi Hipponenſis claudere, & dicta ab ipſo in laudem Logicæ, appropriare MARIÆ. *Ipſa*, ait ille, *diſciplina diſciplinarum, quam Dialecticam vocant*, (Cœlorum Reginam ſubintelligo) *docet docere, docet diſcere. In hac ſe ratio demonſtrat, atque aperit, quæ ſit, quid velit, quid valeat. Scit ſcire; ſola ſcientes facere, non ſolùm vult, ſed etiam poteſt.* Ita ille *tom. 1. libr. 2. cap.* 13. Audio ſapientiſſima Virgo, & converſis ad Te oculis aio. [Tu unica es mulierum mulier, Sanctarum Sancta, Principum Princeps. Non ſolùm es Sapiens, ſed ipſa Sapientia in abſtracto, ab omni ignorantiæ contagio, & malitiâ diſcreta; omne enim peccatum ignorantiâ ſubſtruitur, & Tu omni peccato cares. Logica es, & quia à Λόγῳ æterno nomen habes, non humana, ſed divina. Dialectica; & diſputatrix es, contra quam non audet Dæmon obloqui; *Gaude igitur, MARIA Virgo, cunctas hæreſes ſola interemiſti in univerſo Mundo.* Non enim Veritati, quam concepiſti, poteſt contradicere falſitas. Ad Te confugimus; nos generosè protege, & maximè hac rerum tempeſtate, in quâ omnia noſtra litigioſo infortunio ſub Iudice diſcuti debent. Tu doces diſcere, doces docere: convertis enim ad nos miſericordes oculos, & nos CHRISTVM doces, & ut nos etiam eumdem alios docere poſſimus, erudis. In Te Λόγος ſe à priori demonſtrat, in reliquis à poſteriori: illius enim gratia tuâ conceptione prior fuit, noſtrâ poſterior. In nobis ratio captiva latet, & in concupiſcentiæ carcere delitеſcit, in Te ipſa eſt Domina, claves pectoris poſſidet, claudit, aperit; ipſaque non ſolùm actibus ſuis, ſed etiam noſtris dominatur; ideò enim Logica eſt, ut mentis noſtræ operationes dirigere velit, & poſſit. Si omnia ſciam, me autem neſciam, inſipiens ſum; illa humilis eſt, ſcire ſciens; & quia nos ſuo exemplo potentiſſimo erudit, ſcire faciens: cui, ut nos dirigat; aſſerente Bernardo, nec deeſſe poteſtas poterit, nec voluntas.]

Digitized by Google

MARIA LIBER PHYSICVS.

714 OCtilibre Ariſtotelis Opus, *de mirabili auſcultatione* inſcribitur, & eſt Libro noſtro immaculato parallelum: nam MARIA Virgo admirabilis & quam audire debeas, eſt, ſi veram Philoſophiam adſequi & ſummam Sapientiam advenire contendas. Porrò in MARIA plurima, quæ Naturæ ordinem ſuperant, & ad ſupernaturalem gratiæ categoriam ſpectant, ſed hæc ipſa nullo modo opponuntur Naturæ, poſſuntque ad Naturæ Regulas explicari.

Tria ſunt Entis Naturalis principia, tria Entis ſupernaturalis; Materia, Forma, & Privatio. At inter naturalia corpora Cęlum Formæ ſuæ phyſicæ privationem non habuit, nec Deipara inter ſupernaturalia ſuæ hyperphyſicæ Formæ carentiam. Naſcitur homo cum privatione Gratiæ, ipſamq; beneficio Conditoris adquirit: at MARIA Virgo Cœleſtis erat, & Cœlo ſimilis Formæ hujus nobiliſſimæ carentiâ caruit. Aſſerunt graviſſimi Philoſophi Cœli Materiam nullo unquam inſtanti ſuâ Formâ conſtitutivâ caruiſſe, aut cariturâ; & eorumdem prementes veſtigia aſſerimus hujus Cœleſtis Fœminæ quà talis Formam conſtitutivam fuiſſe Gratiam, ſubjecto ſuo coævam; nec aſſignari poſſe inſtans, in quo illa hac Formâ ſupernaturali caruerit.

715. Homo eſt Materia, inquit Plotinus Ennead. 2. cap. 5. quæ propoſitio tametſi in ſenſu reali ita exponenda ſit, ut Homo non ſit materialis totaliter ſed partialiter: in morali ſimpliciter concedi poteſt. Addit Materiam in Mundo intelligibili omnium rerum profundiſſimam eſſe. Conſentit Plotino Proclus in Element. propoſ. 210. Igitur ſi Materia moralis entitas profundiſſima eſt, Forma erit entitas altiſſima & eminentiſſima: ac per conſequens Formæ nomen competere ſoli debet gratiæ. Homo igitur gratiâ carens eſt materia informis, nec tamen omninò nihil, ſed ferè nihil ut meditatur de informi Materiâ Auguſtinus libr. Confeſſ. 12. cap. 7. & 8.

Hinc jam doctior, meliùs aliqua intelligo, quæ priùs aut callere non poteram, aut pingui minervâ intelligebam. Sapientiæ XI. *Omnipotens manus tua creavit Orbem Terrarum ex materiâ inviſâ*. Humanum Mundum, electos Homines Deus ex materiâ informi & inviſâ, ex maſsâ perditionis, ex Gratiæ privatione, ad ſtatum Gratiæ promovit; at MARIAM ex materiâ, non inviſâ & odio habitâ, ſed ex viſibili, ex formatâ & Gratiæ vivaciſſimis coloribus præditâ.

716. Hinc illa Eccleſiæ verba, *Super Choros Angelorum ad Cœleſtia Regna*, lucem habent. MARIA, ſi Gratiâ caruiſſet, fuiſſet ſimilis nobis, paſſibilis, & peccatis obnoxia. Si æqualem nobiſcum habuiſſet, altior nobis non eſſet: at quia Gratia Hominem elevat, quò major fuerit Gratia, major elevatio futura eſt: hîc enim, aut nullibi habebit locum illa *Maxima*, *Sicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita magis ad magis*.

Iam benè intelligo Sponſi verba *Cant. 3. 6. Quæ eſt iſta*, ait, *quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & univerſi pulveris pigmentarii?* Quid rogas Domine, an non cognoſcis Sponſam tuam? Illa eſt, quam fore protectricem Mundi decreviſti ab æterno. MARIA adeſt, quam ad Cœlos adſumis. Patere tamen, ut à te diſcam aliqua, quæ in tuis divinis verbis obſcuriora videntur. Quid hîc *Deſerti* nomine intelligitur? Quid *Myrrhæ?* Quid *Thuris?* Quid *Fumi?* Sed jam doceor, jam inſtruor, jam percalleo.

717. Puto equidem *Deſerti* nomen intelligi debere cœlitùs & humanitùs. Humanitùs, ut ſciamus viam Cœli regiam, non per medias urbes, non per Principum aulas & fora, ſed per eremos invias & ab omni hominum turbatione ſecretas ſolitudines duci. Sic loquor, & ſolamen recipio, cùm noſtra monaſteria recogito in locis horridis ædificata. Magna eſt Cellæ & Cœli cognatio, ſumma affinitas, quoniam *Pax eſt in cellâ*, *foris autem plurima bella*, quam ob rem ex nundinis, teloneis, foris, aulis, palatiis ad Cœlum ardua eſt via, ex cellâ ad Cœlum pervia. Agamus igitur Deo ſummas gratias, quia nos ſegregavit ab hominum pernitioſo conſortio, ut in deſerto terreſtri conſtituti deſertum Cœlicum conſideremus.

718. An-ne in Cœlis loca deſerta ſunt? Sunt plurima, & præcipuè ante Aſſumptionem Dominæ erant illa ſuprema, quæ pede puri Hominis nondum tacta. Igitur per deſerta

ta cœleſtia, id eſt, per eminentia empyreæ regionis ſpatia, quæ nondum Homo purus adſcenderat, MARIA ingreditur ſicut virgula fumi.

Sed cur fumo ſimilis dicitur Virgo puriſſima? Reſpondebo. Aliis corporibus gravitate ſuâ preſſis aſcenſus indebitus & violentus eſt, at fumo aëre leviori naturalis. Et in ſtatu Gratiæ eſt analoga Philoſophia. Corpus, quod corrumpitur, aggravat animum, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem. Hinc eſt, quod ſenſus corporei nos illiciant, & noſtros animos aggravent, & in abyſſos miſeriarum, & culparum impellant. At MARIÆ corpus, MARIÆ animus, quia nec corporeis, nec ſpiritualibus morbis inficiuntur, ſuper pennas ventorum tollũtur ad æthérea faſtigia; gratias enim illuſtriſſimas habent, & gratia omnia, quæ aliàs culpa corrumperet, & deprimeret, fovet, conſervat, & exaltat.

719. Nec omittam alterum ejuſdem Poſitionis conceptum. Fumus ignis eſt ſoboles, & ut notant Philoſophi ejuſdem indicium, & ſignum naturale. Igitur Angelorum Regina, ſiquidem fumus eſt, ignis divini eſt ſoboles, in incendio concepta. Taceant igitur, qui illam in culpâ conceptam affirmant; ignis enim divinus gratia eſt, charitas eſt; & debet quà ignis, producere calidam non frigidam; quà divinus, divam non ream; quà gratia, gratam non infenſam; quà charitas, charam non odio habitam.

Sed cur Virgineus iſte fumus, eſt ſimilis exhalationi myrrhæ, & thuris? Silebo omninò, quia ſe reponit Mediolanenſis Archiepiſcopus *libr. de Iſaac, & Animâ cap.* 5. & munus Oraculi aſſumit. *Myrrham*, inquit, *redolet & thus, eò quod peccatis mortua ſit, & Deo vivat*. Mira terminorum inverſio! Naſcimur mortui, & vivi ſimul, & contradictorios terminos in noſtrâ conceptione copulamus: naſcitur MARIA ſimul mortua, & viva: & ubi intereſſe ſumma ſimilitudo videretur, interjacet ſumma diverſitas, & ſumma diſſimilitudo. Concipimur in culpâ, naſcimur in peccato, vivi Dæmoni, ſed mortui Deo; & iſte conceptionis modus, ſi MARIAM excipias, communis, imò tranſcendentalis eſt. At MARIA, quia ſine culpâ concipitur, & ſine labe naſcitur, ut benè obſervavit Ambroſius, mortua ſimul, & viva eſt; mortua peccato, viva Deo. Et hoc tam ſingulari privilegio, ut Rupertus *in Cant.* 3. hunc ad literam locum de illâ unicâ intelligi debere contendat.

Sed hæreo iterum, ubi nihil non clarum putabam. Hanc divinam mulierem redolere myrrham, & thus dixerat, modò adjungit odorem univerſi pulveris pigmentarii. An-ne aromatum omnium ſuffimina in hac duplici ſpecie clauduntur? Maximè. Et ne putetis hanc aſſerentem Poſitionem meam eſſe, verba CHRISTI ſubduco, *Quærite primùm Regnum Dei, & juſtitiam ejus; & cætera adiicientur vobis.* ait; & ſic intelligo. *Quærite Regnum Dei*, redolete myrrham, mortui eſte mundo; *Quærite juſtitiam Dei*, redolete thus, habete juſtitiam, gratiam juſtificantem poſſidete, vivi eſtote Deo; *& cætera adiicientur vobis*, redolebitiſq; univerſos pulveres pigmentarios, & decorabimini omnium virtutũm ornamentis.

MARIA LIBER GENERATIONIS.

720 POſt Libros Animæ traduntur in Peripateticis Scholis Libri de generatione, & corruptione; at in Divinis MARIA traditur, quæ tametſi generationis Liber ſit, omni corruptione, & labe caret. A generationibus aliis differt omninò Domini generatio; alii enim homines ex matribus corruptis naſcuntur, & CHRISTVS in Matre ſuâ corruptionem non patitur. *In iniquitatibus conceptus ſum*, inquit David, quoniam in meæ conceptionis inſtanti multa peccata concurrerunt. Parentes mei, tametſi pii, habuerunt ſaltem habitualia venialia, fortè & actualia levia, ſi deordinatio levis in conjugio, veniale peccatum dicatur. Ego in ipsâ conceptione contraxi originalem culpam, & ideò in iniquitatibus me conceptum, & in peccatis me natum aſſero; at MARIA aliter omninò intonat; ait enim, *Quia reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Cur ergo omnes generationes? Anne dantur multæ, quæ MARIAM beatam dicant, aut beatæ à noſtrâ devotione dicantur? Multæ omninò, nam duæ dantur, quæ innumeris æquivalere poſſunt. In Deiparâ Generatio paſſiva, & activa relucet, utraque ſancta, utraque pia, quoniam ſine peccato à ſuis Paren-

rentibus concepta fuit, & ſine culpâ aut maculâ IESVM-CHRISTVM concepit. Hoc Ego ſenſu intelligo illud S. Ioannis Damaſceni *Orat.* 1. videlicet, *In ipſam Spiritus Sanctus bis ſanctificans ſupervenit*. Profectò iterum, iterumque; ſemel in conceptione, quando ſine maculâ concepta fuit; & iterum in incarnatione, quando ſine jacturâ puritatis & integritatis concepit.

721. Hinc eſt etiam quod bis hęc CHRISTI genealogia texatur; ſemel à Matthæo, & iterum etiam à Lucâ, ut duplex notaretur conceptio; altera paſſiva, quam ſignificat Lucas; altera activa, quam exponit Matthæus. Quod ſi eadem Genealogia ab utroque expendatur, modus ſaltem procedendi eſt diverſus. Apud Matthæum Deus deſcendit quouſque fiat Homo, apud Lucam Homo adſcendit, quouſque fiat Deus. Ille *cap.* 1. ait. *Liber Generationis IESV-CHRISTI; Filii David, Filii Abraham. Abraham genuit, &c. genuit, &c. genuit Ioſeph Virum MARIÆ, de quâ natus eſt IESVS, qui vocatur CHRISTVS*. Et iſte cap. 3. *IESVS erat incipiens quaſi annorum triginta, ut putabatur filius Ioſeph; qui fuit Heli, qui fuit Mathat, qui fuit, &c. qui fuit, &c. qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei*. Ecce Stateram myſterii diviniſſimi; en Libram potiùs, cujus ſi lancem alteram deprimas, alteram ſubrigas. Sic eam concipio. In lancem alteram poni Divinitatem video, & Humanitatem in alteram. Illa pondere immenſo premitur, & ab Empyreo gradatim deſcendit, quouſq; Deum ad hanc lachrymarum vallem deferat, & carnem aſſumere faciat; hoc enim ſignificant omnes generationes illæ quouſq; veniatur ad *Ioſeph Virum MARIÆ, de quâ natus eſt IESVS, qui vocatur CHRISTVS*. Et lanx altera contrà ab eâdem lachrymarum abyſſu ſubrigitur, Hominemque gradatim elevat, quouſque uniat Deo; ut conſtat ex illis gradibus, *Qui fuit, qui fuit, qui fuit, &c.* quouſque veniatur ad Adam, *qui fuit Dei*.

722. Anxius erat Patriarcha Iob, & puſillanimis non audebat ad Deum Cœlumque oculos elevare; & ubi hæc ſtatera divina in mentem venit, illicò reſumpſit animos, & ait, *Quis mihi det, ut appendantur in ſtaterâ, peccata quibus iram merui*; Sed quid es habiturus, Patriarcha afflictiſſime, ſi adnuatur petitioni tuæ? quid ſi tua appendantur peccata? Reſpondit, illa cum divinę Miſericordiæ pondere & gravitate comparata, omnia omnia, ita levitura, ut arenæ marinæ granulo non videantur majora; quoniam ſumma fuit Caïni blaſphemia, quâ dixit; *Majus eſt peccare meum, quàm tuum parcere*, vel clariùs, *Major eſt iniquitas mea, quàm tua Miſericordia*, cum dicere debuiſſet potiùs, *Iniquitas quidem mea magna eſt; at tibi tanta eſt Miſericordia, ut leviuſcula ſit tota iniquitatis meæ infinitas, ſi in ſtateram Incarnationis tuæ incidat, & cum ſanguinis tui divini pretio, aut Clementiæ tuæ immenſitate componatur.*

723. Anxius etiam poſt lapſum David, peccata ſua confitebatur Deo, illaque *diebus* ſingulis profluvio lachrymarum lavabat. Interim non deſpondet animo, ſcitque quâ poſſit viâ aſſequi, ut inhabitet in domo Domini omnibus diebus vitæ ſuæ. Sed, Propheta contrite, me erudito. Peccaſti; peccavi; ablui ſperas, & ſperabo etiam, ſi quid orare poſſim, debeamve accuratiùs edocear. At ille, *Vnam*, ait, *petii à Domino, hanc requiram*. Quam unam? Te procul dubio unicam, Virgo ſingularis inter omnes mitis, quæ nos culpâ ſolutos mites facis & caſtos. Te unicam; quæ es illa Statera procul dubio, in quâ peccata Hominum cum Dei Miſericordiâ librantur; quoniam tametſi magna ſint, vileſcunt cum Miſericordiæ magnitudine infinitâ collata.

724. Inter alios varios, & eruditos libros hoc ævo legimus nonnullos, inſcriptos *Stateras pacis, & belli*, & ut puto, non carent laude ſuâ, qui illos politico calamo exararunt. At re meliùs conſideratâ, non quicumq; politicus Liber, *Statera pacis, & belli* eſt, ſed iſte unicus Liber Generationis IESV-CHRISTI, quem hodie legimus, & celebramus. Tolle CHRISTI ſanguinem, & MARIÆ interventionem, & inter Deum, & Hominem inimicitia æterna eſt; pone illum, pone hanc, & illicò publicabitur novæ pacis contractus, & novæ amicitiæ concordia. Duplex igitur nobis eſt neceſſaria Generatio, duplex Conceptio; paſſiva, activa; illa quâ ſine culpâ Diva concepta fuit; hæc quâ ſine culpâ Deum concepit.

Hinc Davidem intelligo, qui videtur mihi conceptum hunc communicaſſe Epigrammate LXXXIX. *Domine, refugium factus es nobis*, ait, *à generatione in generationem*. à Conceptio-

tio-

Digitized by Google

tione in incarnationem; à generatione MARIÆ Virginis in generationem noſtri Divini Redemptoris.

MARIA LIBER ANIMÆ.

725 OFferat ſtudioſa curioſitas (Anima mea) Libros plurimos, unum Tibi Ego, quem *Animæ Librum* nuncupabo, quod unicus Tibi ſufficiat, ut in doctiſſimam evadas. Careas omnibus Libris, modò hunc habeas, bibliothecam illuſtriſſimam poſſides; habeas innumerabiles, careas hoc, pauperrima, & imperita es. MARIA *Liber Animæ* dicitur, quod ſola debeat legi, ſola eligi, ſola diligi. Tanta enim eſt in Vitæ ſupernaturalis ſerie, ut debeat ipſa propter Deum amari, & poſſint omnia propter ipſam.

MARIA LIBER COELESTIS.

726 MVlta olim de ſyderibus, multa de orbibus, & circulis antiqui literis commendarunt, quæ falſa plerumq; in Æthereo, vera in hoc Virgineo Cœlo invenias. Et quidem benè; quoniam Virorum illuſtrium opinione MARIA, *Maris Stella*, exponitur, undè meritò à nobis vocatur, *Maris Stella, Dei Mater alma, atque ſemper Virgo, felix Cæli porta*. Sed D. Epiphanii ſententiâ, qui MARIAM Stellã eſſe dicit, avarus eſt, illam enim Doctor Sanctiſſimus, non jã Stellam, aut Conſtellationem Stellis pluribus compoſitam, ſed Cœlum Conſtellationibus ſplendidiſſimis ornatum judicat; ait enim, *Anna gravida effecta, peperit Cælum, & thronum Cherubicum Sanctam puellam MARIAM*. Avendañus *in Mariali ſerm. 2. diſc. 1.*

727. Omnes ſanè virtutes Stellæ ſunt; ſed Marianæ à noſtris ita differunt, ut Sydera fixa ab erraticis. Proficimus de virtute in virtutem; dirigimus, ſtamus, regredimur; adſcendimus, deſcendimus; humiliamur, triumphamur, exaltamur. At MARIÆ dotes, ſunt luces aplaneticæ, quæ errore carent.

Sed cur errore carent? Si Cœlos materiales conſideres, ab Angelis habent, quod errent; favor enim Cœleſtis eſt in errores diduci, qui hominibus prodeſſe poſſint. Si ad Cœlos Spirituales convertas oculos, etiam errare permittuntur divinitùs, ut utiliùs puniantur; quoniam ipſa peccatorum permiſſio effectus prædeſtinationis ſolet eſſe. At MARIA Sydus eſt errore carens; quia non ſolùm habuit ſubſequentem gratiam, quæ reliquis Sanctis conceditur, ſed prævenientem etiam, qualem nemo Sanctorum habuit. Teſtor S. Epiphanium *ſerm. de laudib. Mariæ*, dicentem; *Invenitur Virgo eſſe Cæleſtis*, (ecce aſtrum puriſſimum obſervandum proponit, & Aſtrologiæ Virgineæ ludum aperit) ſed qualis eſt hæc nova Stella? *Sponſa, & Mater*. Sponſa quidem Dei, & immaculata Solis Iuſtitiæ Mater. Et rationem ſubjungit. *Quia donorum antenuptialium nomine Spiritum Sanctum accepit*. Alias Animas Deus, ut Sponſas tuetur, & donis nuptialibus ornat, at Marianam etiam antenuptialibus; nuptiæ enim in ipsâ conceptione celebratæ aſſeruntur, & has ipſas antenuptialibus gratiis, & favoribus fuiſſe præventas. Stat ergo alias animas è carceribus erui, ad nuptias duci; at Marianam antenuptialibus favoribus præventam ab omni ſervitutis, & captivitatis incurſu præſervatam.

728. Hinc illud Canticorum intelligo; quod anteà fortaſſis non potui. *Indica mihi*, ait Soli ſuo hæc puriſſima Stella, *ubi paſcas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam*. Alii in Hiphil. *Indica mihi, ubi paſcere, ubi cubare debeam, ne errabunda divager*. Aſtrum ſum, non tamen vellem, cùm incipiam, hoc eſt, in conceptione, errare. Oſtende mihi Cœleſtes cibos, unde poſſim nutriri; Cęleſtem thalamum, ubi poſſim cubare; ero enim fixum, careboque omni errore, ſi meam mentem notitiâ competente prævenias, meamque gratiâ incendas voluntatem.

An-ne aſſertam Vnitatem deſtruunt veteres, apud quos, *Vnus vir, nullus vir; Vnus homo, nullus homo eſt?* quorum etiam ſententiâ, *Conſilium unius, conſilium nullius?* An-ne etiam eamdem Spiritus Sanctus condemnat, ubi ait, *Væ ſoli, quoniam ſi ceciderit, ſublevantem non inveniet?* Minimè: quia hæ cenſuræ nec Regem CHRISTVM, nec ejus Matrem Sereniſſimam tangunt. Sanè ſi agamus de reliquis, *unicus homo, nullus homo*, ſi de his duobus excellentiſſimis Naturæ rationalis prodigiis,

Digitized by Google

giis, *Vnus homo, plus quàm omnis homo*; *Vna mulier, plus quàm omnis mulier.*

729. Porrò apud Homines, unitatem, & nullitatem coïncidere, demonſtrat humana fragilitas; quia cùm nulli omnia conceſſa ſint, *Alter altero indiget. Manus manum lavat, & ſocius ſocio præſtat opem.* Homo ſcientiâ,& potentiâ indiget, ut operetur; & Deus ita dona diſtribuit, ut ſapientibus negarit vires, & ſapientiam potentibus; & hoc modo, omnes mutuâ indigentiâ ad mutuum amorem obligavit. Certiſſimam hanc veritatem poſuit olim ob oculos Poëta Græcus, picto cœco qui humeris claudum ſupportaret, & ſubſcripto hoc Tetraſtico.

Cæcus claudum humeris geſtat,pro munere tanto
Ille oculos claudi (mutua dona) refert.
Imperfecti ambo coëunt,ſed corpus in unum:
Quodque deeſt,ſocio præſtat uterque ſuo.

Sic Minois tranſtulit; dedi latina verba, non enim opus eſt Typographum Græcis gravare, ubi conceptus latinè ſignificari poſſit. Hinc Alciatus Emblema CLIX. deſumpſit, quod & Didacus Lopez ejus Commentator notavit. Inſcribit itaque Andreas Alciatus ſuum Emblema, *Mutuum auxilium*, & ſubſcribit.

Loripedem ſublatũ humeris fert lumine captus,
Et ſocii hæc oculis munera retribuit.
Quo caret alteruter,concors ſic præſtat uterque,
Mutuat hic oculos, mutuat ille pedes.

Hæc omnia humanitùs. At divinitùs omnia ſunt aliter. *Vnus Deus,plus quàm omnes Dii.* & ideò meritò à Græcis Πὰν, hoc eſt, Πᾶν *Univerſitas, Totalitaſq;* dicitur, quod omnes unicus prærogativas, quas Ethnici diſtribuebant per plurimos, eminentiâ eſſentiæ complectatur. Quod & Orpheus ſuadere conatus eſt Gentilibus dicens.

Bacchus,Sol,Orcuſq;& Iuppiter, unus & idem.

CHRISTVS,quia Deus,& Homo eſt,*eſt unus vir, & tamen plus quàm omnes viri*; *eſt unus homo, & tamen plus quàm omnes homines*. Et tandem Dei Mater, quoniam plena gratiâ, plena Deo, *eſt una mulier,& tamen non ſolùm benedicta in mulieribus, ſed & plus ipſa quàm omnes benedicta mulieres.*

730. Hinc verſo contra Gentiles,& Hæreticos ſtylo, ſtatuo has eſſe Poſitiones tenendas. *Multi Dii,nullus Deus*: non enim meâ ſententiâ multum diſtat ab atheo polytheus, & idololatra,qui enim pluralitatem habent,& mutuo egent concurſu, Dii non ſunt. *Multi Chriſti,nullus Chriſtus*: quoniam,qui non ſubſcribunt Athanaſio dicenti, *Qui licèt Deus ſit, & Homo, non duo tamen,ſed unus CHRISTVS.* Verum CHRISTVM non videntur agnoſcere. Vnde diducuntur Poſitiones ſequentes; nimirùm, *Multi Viri ſubſiſtentiâ divinâ ſubſiſtentes, nullus Vir*: *Multi Homines mundi Redemptores, nullus homo*: non enim Catholica Eccleſia multos Chriſtos admittit. Subjungo contra eos, qui illum ex ſemine natum delirant. *Multi Chriſti Parentes,nullus Parens*: Parens enim CHRISTI, & Virgo, & ſingularis eſt; & quæ ex copulâ viri concepit, Parens CHRISTI non eſt. Et quia mortales in curribus, & in equis, cùm deberent in nomine, & ſanguine Domini ſperare, claudo conceptum hac veriſſimâ propoſitione; ſcilicet, *Omnis qui careat Virginis patrocinio, CHRISTI ſanguinis fructu, & Gratiâ Divinâ*; *nullus homo*.

MARIA LIBER METAPHYSICVS.

731 INtra naturales,aut ordinarios terminos ſe continent reliqui Sancti, at Angelorum Princeps tranſgreſſa metam phyſicam, & ſupernaturalis ordinis regulas ordinarias excedens, Fœmina hyperphyſica eſt, eam *Librum metaphyſicum* dicimus, & in ipſa decem prædicamentorum conceptus, & perfectiones quærerem, ſi Marianam Metaphyſicam non evulgaſſem.

At breviter non nihil delibo. Primò enim, ſi ſtemus Pariſienſium ſententiæ Individuationum inæqualitatem protrudenti, damnantique ſevero fulmine auſos dicere CHRISTI, & Iudæ animas fuiſſe perfectionis æqualis; non video, cur non deberet dici MARIÆ animam ſubſtantialiter ſumptam,fuiſſe animâ CHRISTI ignobiliorem, at nobiliorem reliquis, ita ut quantum gratiâ excedit, tantum etiam excederet naturæ ſuæ perfectione, & ſubſtantiâ.

732. Secundò, ſi ad moralem quantitatem convertam oculos, MARIA maxima eſt; utpotè quæ immenſum Deum, quem Cœli capere non poterant, gremio contulerit.

Si ad qualitates ornatiſſima eſt. Nulla eſt, quæ ad decorem materialem conduceret,nulla

la, quæ ad Spirituale ornamentum, quæ non fuerit conceſſa, & ad ſummum gradum intenſionis promota: reliquæ enim intellectuales creaturæ ſuos perfectionis, & intenſionis gradus habent, at gratiâ, Angelorum, & Hominum Princeps, plena eſt.

Deindè hærco, & vix ad Relationem Maternitatis ſubrigere mentis oculos audeo. Quanta ipſa! Quoniam ſi Relationis ſpecificatio deſumenda ſit à termino, terminus hujus Maternitatis Deus eſt.

Prætereà, ô quantum hæc Princeps Herculea fecit! ô quantum fuit, dum vixit, paſſa! Omne agens in agendo repatitur; at MARIA ſpeciali miraculo in patiendo reegit; cum enim innocentiſſimam animam tam patientem video, inſtruor, & in patientiâ firmior, æquo & conſtanti animo inſultus miſeriarum exſpecto.

Sed brevi vixit, inquies, tempore. Et reſpondeo, longum omninò illam vixiſſe; tametſi quodcumque longum, breve ſit, cum æternitate collatum. Æterna ipſa non fuit, & tamen immenſæ, & infinitæ fuit æternitatis Mater: & jam in æternum victura, nobis gratias impetrat, & viam aperit, ut poſſimus liberiùs vitam æternam advenire.

733. An Vbicationem, Situm, & Locum ei concedam? ſubdubito. Locus eſt ſuperficies corporis ambientis, & mea Diva omni ambitione caruit, & ita in mundo vixit, ut corpore carere videretur. Et quidem ſemel negato Loco, Vbicationem, & Situm adſtruere difficillimum eſt.

In ultimo gradu illa, quæ habentur Architas Taurentinus collocat; & Ego in primo, quæ habet Diva. Deum enim integrum habet in pectore, & qui illam habeat Deo, carere non poterit.

Ecce omnia Prędicamenta per eminentiam relucent in MARIA; quæ ſicut conceptus quidem ſuperior, omnibus ineſt, univerſa tranſcendit. Sed qualis erit id conceptus? *Ens* à Metaphyſicis dicitur, & ille ipſe, qui in Scholis exponitur, eſt MARIÆ perfectiſſima imago. S. Bernardinus Senenſis *ſerm.* 61. hanc ſententiam confirmat, & his verbis conceptuoſis exornat. *Omnia Entia*, ait, *unum Ens nobiliſſimum appetebant; viventia unum nobiliſſimum vivens; ſentientia unum nobiliſſimum ſentiens; conceptiones nobiliſſimum conceptum; nativitates optimum naſcibile; rationalia ſingulariſſimum rationale; ſpiritualia excellentiſſimum ſpirituale; & breviter omnes Creaturæ appetebant unum quoddam optimum creatum*; nimirùm, Creaturam omnium excellentiſſimam; MARIAM intelligo, cujus ſpiritualia exercitia fuerunt eminentiſſima, ratio firmiſſima, nativitas feliciſſima, conceptio puriſſima, ſenſus mortificatiſſimi, vita ſanctiſſima, & exiſtentia etiam neceſſariiſſima.

734. Ens apud Metaphyſicos omnibus formalitatibus ſupereſt, de omnibus prædicatur, univerſas tranſcendit; & inter creaturas univerſas MARIA, idea ſublimiſſima eſt; omnia permeat, ab univerſis prædicatur. Vna eſt, Vera eſt, Bona eſt. Tranſcendentiam conceſſit S. Epiphanius *ſerm. de laud. Virg. Matr.* ſalutans hanc Sereniſſimam Imperatricem, dicenſque, *Salve Cherubim tranſcendens*, hoc eſt, Salve tantâ virtute Virgo prædita, ut ultra Cherubinos pervadas.

Vnitatem, qui neget, oſtendat alteram Creaturam Cœlorum Imperatrici ſimilem. *Singulariſſimum rationale* illam nuncupat Senenſis Bernardinus, *Virginem ſingularem* Eccleſia; quoniam unicam colit, & omni Creaturâ excellentiorem veneratur. Vndè Sponſus in Canticis. *Vna eſt columba mea, electa mea. Vna Matri ſuæ, electa genetrici ſuæ.* Et Arnoldus hanc ipſam unitatem contrahit, dicitque. *Filio ſemper individuam adſtitiſſe*.

735. Qui veritatem in dubium voluerit convertere, jubebitur legere Magnum Gregorium, apud quem non omnis Humilitas vera eſt; nam datur etiam adulterina, quæ ſuperbia eſt, ſub ſpecie Humilitatis latens. Veram Humilitatem docet CHRISTVS, falſam Diabolus; & MARIA CHRISTI Domini aſſecla eſt. Sic Pontifex citatus *libr.* 34. *Moral. cap.* 21. ait, *Quanta ergo Humilitatis virtus eſt, propter quam ſolam veraciter edocendam, is qui ſine æſtimatione Magnus eſt, uſq; ad paſſionem factus eſt parvus*. Et quidem omnes in Cœlorum Reginâ virtutes veræ ſunt, nullum protruditur vitium ſub virtutis ſpecie, nulla imperfectio ſub perfectionis nomine; at inter omnes veriſſima virtus fuit Humilitas, quam CHRISTVS veriſſimè docuit, & in Mariano corde gloriâ ſpeciali coronavit, quia reſpexit Humilitatem Ancillæ ſuæ; ecce enim ex hoc Beatam eam dicent omnes generationes.

Et tandem, qui Bonitatem auſus fuerit detrahere, confundetur ab Angelico Doctore *Opuſc. de Charit.* dicente, *Hanc fecit Dominus infinitam imaginem Bonitatis ſuæ.* Et à D. Bernardino *ubi ſuprà* inclamante, *Si ipſe Pater, vel Spiritus Sanctus de Fœminâ naſceretur, nihil accreſceret Orbi.*

MARIA LIBER THEOLOGVS.

736 QVi Librum Generationis CHRISTI tollis, Theologiam univerſam tollis. Sine humanâ CHRISTI generatione ſtare non poterunt, quæ de Hominum redemptione dicuntur; nec ſine æternâ ſubſiſtere, quæ de Dei Vnitate, & Trinitate in ſcholis docemur.

Altiora de meâ Cœlorum Principe dicturus ſum. Trina, & Vna ipſa eſt. Simplex enim cum ſit, habet tres relationes, quibus totam connotat Trinitatem. Prima in Divinis Perſona Pater Dei eſt; Mater Dei eſt MARIA, in hoc ſimilis æterno Patri. Secunda Perſona eſt Filius Dei, Filia Dei eſt MARIA, & in hoc ſimilis eidem Filio. Tertia Perſona eſt Amor Dei, & MARIA eſt amans Deum, & Dei Sponſa, adeòque ſimilis Spiritui Sancto.

737. Siquidem Trina, & Vna ipſa eſt, an-ne Dea eſt? Fuerunt, qui aſſererent, quorum meminit Epiphanius *libro 3. hæreſi 79.* & vulgo *Marianitæ* dicuntur; hunc errorem amplexi ſunt Collyridiani, quorum pietas tranſgreſſa limites prudentiæ impietas fuit. Sed cur hanc hæreſin permiſit Deus? Reſpondeo, Artis ruſticæ Regulâ, Arborem, quæ inclinatur ſiniſtrorſum, ut recta maneat, debere contrà dextrorſum trahi, nimirùm, ut debito loco perſeveret. Et quia horti divini plantæ ſumus, Deus cum ſciret futuros homines, qui hanc Virgineam Arborem erant lævorſum depreſſuri, dicturique MARIAM fuiſſe in peccato conceptam, permiſit, ut contrà auderent alii illam Deam dicere, ut dum iſti nimis MARIAM exaltant, & efferunt, nec habuiſſe culpam, nec potuiſſe (omnis enim peccati macula repugnat naturæ Divinæ) & dum illi non ſolùm potuiſſe, ſed & contraxiſſe originalem labem aſſerunt, in medio conſiſteret virtus, & veritas, & ſobriùs potentiam fateremur, & tamen negaremus peccatum. Dicimus enim MARIAM incurrere potuiſſe culpam, fortè & debuiſſe, at quia divinâ gratiâ illam fuiſſe præventam affirmamus, locum originario peccato non relinquimus, ſed potiùs immaculatam conceptionem corde ſubmiſſo veneramur.

MARIA LIBER VITÆ.

738 ANgelorum Reginam eſſe Librum vidimus, eſſe Vitam audivimus; *Vita* enim & *Dulcedo* ab Eccleſiâ quotidie pompâ ſolenni ſalutatur. Igitur ſi Liber, & Vita coïncidunt impræſentiarum, hæc Vita, quam celebro, erit libera, & hic Liber, quem lego, vitalis.

Profectò Liber Vitæ ille eſt, in quo Prædeſtinati ſcripti, & quia omnis Prædeſtinatio à ſanguine Redemptoris dependet, videretur omninò hic Liber non eſſe alius quàm *Liber Generationis IESV-CHRISTI*; non eſſe alius, quàm patrocinium, & interceſſio Divæ. Potuit Deus lapſis Hominibus aliter quàm per CHRISTVM gloriam dare, noluit tamen: quid ergo vetat Orationem Stephani arctè connecti Prædeſtinationi Pauli, ita ut nec oraturus fuiſſet ille, ſi non eſſet prædeſtinatus iſte; nec fuiſſet iſte electus, ſi non oraſſet alter? Et ſi nihil occurrit, quod obiici poſſit, aut debeat, doceri velim ab his, qui Prædeſtinationem meritorum præviſioni poſtponunt, cur non poſſint aſſerere, ſolos MARIÆ devotos eſſe prædeſtinatos, & tanquam neceſſariam Prædeſtinationis conditionem huius Marianæ devotionis præviſionem requiri? Doceri etiam deſidero ab his, qui ante præviſa merita Prædeſtinationis beneficium intelligunt, cur non potuerit Deus ſicut gratiam in gloriæ pignus, ſic etiam devotionem erga Divam donaſſe. Sanè aut uno, aut alio modo diſcurramus Prædeſtinationem noſtrã, & Devotionem erga Angelorum Dominã inveniemus connexam, tamq; ſperandum, ut aliquis ſalvetur ſine gratiâ, quàm ſine Divæ patrocinio. Huc pertinet fortiſſima D. Bonaventuræ authoritas, quam ſi non darem, inviderem. *Qui adquirit gratiam ejus,* ait, *agnoſcitur à Civibus Paradiſi; & qui habuerit characterem ejus, notabitur in Libro vitæ.* S. Doctor *in Specul. Virg.*

MARIA

Digitized by Google

MARIA LIBER ETHICVS.

739 MOralis Philoſophia deſcribitur, *Meditatio mortis*, & meritò, non enim aliter morum exorbitantiæ poterunt reformari, quàm ultimi anhelitûs meditatione. Hanc omnibus proponit iſte Marianus Liber, & ideò accuratè legendus. De Divo Norberto optimè quidam Scriptor junior [Polycarpus *Tetraſt.* 3.]

Fulmine proſtratus feliciùs inde reſurgit
Norbertus, Domini promptus ad obſequium.
Debuit occidi, quod ei malè vixerat ante;
Chriſti etenim haud aliter vivere poſſet amor.

Et ego retinendo conceptum, ad Te converto oculos, Sancta Dei Mater. Te Vitam alii, Te alii Spem, & Dulcorem appellent; nunc morte & amarore indigeo, & Te mortem imploro,& dolorem inſtantiſſimè peto. Peccavi. Oculos in Cœlum tollere erubeſco, & exoro, ut in meum pectus ignem divini amoris fulmines, & lapidem hunc adamantinum conteras, qui cordis locum obtinet, & me totum in cautem marpeſiam convertit. Sume arma, & ſcutum, Sereniſſima Pallas, & exſurge in adjutorium mihi. Me torquet illud,quod habitat in me peccatum; ut mihi ſis vita,ſis peccato meo mors: eris, ſi gratiam impetraveris; quâ efficaciter ad Deum convertar. Si intones cœlitùs, & peccaticidam gratiam fulmines, conterar,& felicior, & promptior in obſequiũ reſurgam. Debet, ô debet,militiæ ſupernaturalis Imperatrix fortiſſima; debet inquam occidi, quod male vixi; debet interimi antiquus homo cum affectibus ſuis,ut novus qui amore Dei nutritur, vivere, & conſervari queat.

MARIA LIBER POLITICVS.

740 QVi MARIAM, Politicam omnem ignorat; in ipsâ enim ſolvitur illa quæſtio, quæ optimum modum gubernandi requirit. Commendat plurimi Monarchiam, Ariſtocratiam alii, Democratiam non pauci; ſinguli in eam ſententiam tracti,quæ bono proprio utilior, non quæ publico. Qui Monarchiam defendendam ſuſcipiunt, captant favorem Principum; quibus opiniones omnes gratæ,quæ ſubditorum poteſtatem diminuunt. Oracula videntur loqui, cùm à Theologiâ argumenta deſumunt. *Deus unus eſt;atqui omnis humana poteſtas à Deo eſt; ergo, qui dominatur, unus eſto.* Et contra Ego, ideò totius Mundialis Machinæ dominator eſt unicus, quia Deus eſt; unde; ſi Deus non eſſet,nec unus eſſet. Si in Republicâ Vir omni ex parte perfectus reperiatur, ipſe unicus Rector & Princeps eſto; quod ſi Optimi ſuos nęvos habeant,cõſtituendus eſt Magiſtratus, in quo reluceant univerſæ virtutes,& Ariſtocratia introducenda. Quod ſi omnes æquè boni ſint,non eſt cur Democratia repellatur.

Hæc de Civili Republicâ notata ſunto; ad rationalem tranſeo,quę in corde Hominis floret, quam breviter exponendam ſuſcipio. In quocumq; Homine Rationem, Voluntatem, Senſum & Affectus reperio,& quibus legibus gubernentur, vix capio. Omnes Principatum affectant; & dum hæ facultates malè imperant,& illæ malè obediunt,huc illuc homo interior pellicitur, hîc ibi exterior perturbatur. Si ad Peccatorem converto oculos, Senſus,& Voluptas contracto conjugio imperant, paſſionum aguntur turbinibus, & voluntatem quoquoverſum impellunt, rationemq; ſubiiciunt, & ducunt ad jugum peccati. Et qualis eſt iſta Politica? Monſtro ſimilis; quia dum omnes ſpecies conatur complecti, ad nullam categoriam,aut lineam prędicamentalem ſpectat. Omnes operationes ſunt exleges;quia videntur democraticè agere, & nullam ab aliâ depẽdere. Vitia ſimul habenas à nemine commiſſas rapiunt;quoniam ariſtocraticus agendi modus illas committit potentioribus,& Vitia in hac Republicâ potentiſſima ſunt. Sed quia omnia à Voluptate pendent, ſpeciem Monarchiæ non exuunt,ſed ſubordinatione quâdam à ſenſualitate gubernantur.

Si eoſdem oculos converto ad Peccatorum Advocatam,omnia video Rationi ſubdita,omnia ſubordinata; omnia & ſingula moveri aliter neſcia, quàm ad Rationis divinitùs directæ imperium.

Duas Ego interioris Reipublicæ Ideas adverſarias propoſui;utramque legeris benignè Theophile;& quia ſcio in tuo pectore omnia propiùs primam quàm ſecundam accedere;ut MARIAM legas, MARIAM ebibas, & MARIAM imitêris, perſuadeo.

Digitized by Google

MARIA LIBER OECONOMICVS.

741 MAgnâ curâ, & ſtudio corpoream Oeconomiam pertractas,& ſpiritualem non curas; quia ubi vilia fiunt maximi,opus eſt,ut maxima nihil fiant. Cæterùm, quia veræ Oeconomiæ Magiſtram Cœlorum Reginam propono, expendam breviter nuptias illas, quas ipſa ſuâ præſentiâ honoravit. Sequar Ioannem, qui rem totam accuratè deſcribit.

Die tertiâ nuptiæ factæ ſunt in Canâ Galileæ, cap.2. 1. ait Sanctus Hiſtoriographus. Et cur ipſe tam accuratè diem tertiam exprimat,ſtudioſè perquiro. An-non Marti ſacra dies tertia, infauſta veterum opinione? cur nuptiali illa ſolennitati dedicata? Aut fallor, aut ideò voluit Deus has nuptias die Martis celebrari, ut ſuperſtitionem Ethnicorum argueret, hanc diem infelicem vocantium. Omnes dies ſecundùm ſe conſideratæ æquales ſunt;& earumdem diſcretio à ſolo pendet ſuperiorum imperio, aut à ſubditorum arbitrio. Illa enim, in quâ obediendo Præpoſitis ſervimus Deo, fauſta eſt; illa, in quâ præcepta temeramus, infauſta.

Erat Mater IESV ibi. Vocatus eſt autem & IESVS, & Diſcipuli ejus ad nuptias. Et vos Evangelicam Dialecticam conſiderate. Tanta enim inter Matrem,& Filium eſt connexio, ut à Matris præſentiâ ad præſentiam Filii conſequentia admittatur. Video Catholicos ad genua Dei Genitricis provolutos, & illos aſſero proximos Deo; non enim carere Filio poterunt, qui Matre non carent. Video Lutheranos, Calviniſtas, & alios plurimos Hæreticos MARIÆ, vel invitæ favorem, & patrocinium proſcribentes, & contemnentes, & illos Deo carere pronuncio;CHRISTVS enim MARIÆ individuus eſt comes, nec in loco ille, è quo ipſa proſcribitur,& eiicitur, remanet.

Vlteriùs progreſſuro ipſa litera eſt remora. CHRISTVS nuptias invitatus advênit,Virgo non invitata: tantâ enim curâ hæc Princeps ſuorum neceſſitates prævidet,ut antequam invocetur,reſpondet. *Ecce adſum.* Futurum erat, ut aliquid deeſſet in nuptiis;& ideò MARIA, ut faveret, & provideret, adfuit.

Mihi igitur certiſſimè adeſt CHRISTVS, quia miſericordiæ Mater adeſt, cui abeſſe ille non poteſt.Illam adeſſe mihi,ſi orationes meæ remiſſæ, & tepidæ non videantur ſuadere; miſeriæ, & indigentiæ meæ perſuadent. Quando indigemus illâ, etiam neglecta, adſiſtit, etiam non invitata adeſt.

Hiſtoriographus Divinus progreditur, & ait, *Deficiente Vino dicit Mater IESV ad eum, Vinum non habent.* Quis Te imploravit Domina,ut pro honore menſæ, authoritate Sponſi, & convivarum commoditate intervenires? Tua innata clementia. Igitur Clementiſſima Virgo, Noſtræ Animæ è fatuarum numero, oleum, & per conſequens lumen non habent. Si illud à purâ creaturâ poſtulent,aliò periculosè remittentur.Condole igitur nobis,& dic Filio dilectiſſimo Tuo, *Oleum non habent.* Ad nuptias Agni introire volumus; ſub CHRISTI Magiſterio ſumus, & veniente Te invocatur CHRISTVS, & veniente illo ejus Diſcipuli vocantur.

Sed quid audio. Hæreo; CHRISTI verba audio,nec ſenſum illorum percipio. *Quid tibi, & mihi mulier,*ait,*nondum venit hora mea.* Reſponſio eſt, quam primâ fronte conſideratam reprehenſionem aſſereres; ſed ut optimè, & fusè *tract.* 8. *in Ioann.* exponit Auguſtinus, non ideò ad nuptias venit CHRISTVS, ut doceret contemnere Matres. At cum ſequentibus compoſita, conceſſionem includunt. Deipara enim, ſtatim miraculi præſcia, Miniſtris imperat,ut quidquid CHRISTVS *dixerit*,faciant. Cur ergo, Mulierem illam dixit CHRISTVS, non Matrem? Alii alias rationes circumferant, hæc mihi arridet. Iudæi ad Idololatriam proni debebant juvari, & in tentationem non induci. Sciebant Dei ſolius eſſe patrare miracula,& tamen à MARIA CHRISTO imperari audiebant, & poterant hallucinari ſtupendo prodigio, MARIAMq; Deam credere, & mulierem decredere. Hanc igitur CHRISTVS ob rem, illos ne errarent, utili notitiâ prævenit, & Matrem ſuam eſſe Mulierem dixit,ne Deam creditam, cultu divino celebrarent.

An-non illa Virginis verba, *Quodcumque dixerit vobis,facite*,ſunt æquipollentia his,*Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite?* æquipollentia omninò; nec mirum Deum uti Virgineis verbis, aut Virginem uti divinis. Quoniam Verbi divini,

imò

imò Verbi Dei, cujus ille eſt Pater, Cœlorum Regina Mater eſt; & in hoc genere, ſi placet idioma Theologicum, idiomata participantur.

Erant autem ibi lapideæ hydriæ ſex. Vnam ex illis in ſuâ Bavariâ Sanctâ accuratè deſcribit Raderus, & quadratam aſſerit, ſimilemq; illis lapidibus, quas *Pilas* Hiſpani vocamus. Implentur ad verbum verbi omnes ſex aquâ; & aqua CHRISTI Domini præſentiam tolerare non potens, in Vinum ſtatim convertitur. An-ne tantam virtutem præſentiæ Dominicæ conceditur, ut illam aqua inconverſa ſuſtinere non poſſit? Non ſcio, video tamen marium, & fluviorum undas coram CHRISTO frequenter fuiſſe; nec ideò in alia elementa converſas. Puto igitur, ſicut naturales, ita & ſupernaturales cauſas ſuis inſtrumentis uti, & in converſionis genere CHRISTVM uti Angelorum Reginâ. Illa igitur aquæ converſio, à CHRISTO, ut à cauſâ principali, & à MARIA, ut ab impetratoriâ, & inſtrumentali proceſſit; tametſi enim non omnis aqua viſa à CHRISTO ſuam naturam exuat, illa non converti non poteſt, cui adeſt CHRISTVS à puriſſimâ Virgine oratus.

Cùm hæc declamo, inſtruo, & inſtruor. Effuſum eſt, ut aqua cor meum: frigidum & rigidum eſt, & ſimillimum lapidi. Tibi adeſt, Domine IESV, nec convertitur. Ergo præter cauſam principalem, etiam inſtrumentalis eſt quærenda, videlicet Virgo MARIA, quæ oratione ſuâ cauſæ primæ prædetetminet activitatem.

MARIA LIBER THESAVRI.

742 SVnt Libri Theſaurorum, & Libri qui vocantur Theſauri; & utroque ſenſu Theſauri prærogativam Virgineo noſtro Libro concedo.

Porrò ille Liber *Theſaurus* dicitur, qui alicujus Idiomatis omnes voces complectitur; Lexicon enim Hebræum vocatur *Theſaurus Linguæ Sanctæ*, Syriacum *Theſaurus Linguæ Chriſtianæ*, Calepinus *Theſaurus Linguæ Latinæ*. Cùm igitur iſte Marianus Liber unum Verbum contineat, quod eminenter omnium Linguarum, & Verborum divitias complectitur, omnium Cœleſtium, & Terreſtrium Idiomatum eſt Lexicon, & Verborum Copia, diciq; debet omnium Linguarum Cęleſtium, & Terreſtrium Theſaurus. Lege MARIAM, & in eâ Verbum vnum, & in illo omnia leges; ſcias MARIAM, & omnia ſcies; poſſide MARIAM, & univerſa poſſidebis.

Sed quia multi ſunt, qui in auro, & in literis theſauros reperire deſiderant, dari etiam Theſaurorum Libros in multis provinciis ſtatuo; & ut alios omittam, in Hiſpanicis multi ſuffoſſi ab Ethnicis jam Libro carent; & ideò periiſſe dicuntur; verùm aurea Maurorum ſuppellex inter mortuorum oſſa hodie nos latet, at ſcimus apud ipſos literis commendari, quas Parentes tradunt in hæreditatem filiis ſuis, ut cognoſcat generatio altera. Idipſum veteres, & Ægyptii præcipuè factitaſſe videntur, unde qui theſauros quęrebant, ſolebant mortuorum ſarcophagos examinare. Quorum mores perſtringit Patriarcha Huſites (Iob. 3. 21.) dicens, *Qui exſpectant mortem, & non venit, quaſi effodientes theſaurum; gaudentq; vehementer cùm invenerint ſepulchrum*. Nam plurimi quærentes ſepulchra inveniunt theſauros; & plurimi quærentes theſauros, ſepulchra. Si dubitas tibi, ſiſto Pelagium, omneſq; ejus fautores, & aſſeclas, qui originalem culpam negant; ſiſto tibi illos veteres, ſiqui ſunt, qui MARIAM conceptam in peccato aſſerunt. Si ab illis conduceris, ibis quæſitum animas puras, & peccato carentes, adeòque theſauros ditiſſimos (quoniam anima peccato carens theſaurus moralium prærogativarum eſt) & invenies ſepulchra verminantibus cadaveribus plena (anima enim inimica Deo, cadaver rationale eſt; cui tot ſunt vermes, quot fomites concupiſcentiæ, & inclinationes maleſuadæ.) Quod ſi deinde Annam viſites, & ejus ventrem eſſe ſepulchrum putes cadaverinam, & fœtidam prolem continens, reperies theſaurum ditiſſimum, & opulentiſſimum; MARIAM videlicet, reconditorium omnium virtutum, & gratiarum tàm naturalium, quàm ſupernaturalium.

MARIA LIBER EXPENSARVM.

743 MARIAM eſſe vitæ Librum aſſerui; ſed quia rarus, & peregrinus

iſte

iſte Liber, volo illum accuratiùs deſcribere. An-non vidiſtis Mercatorum, aut Campſorum volumina? Singula folia in duas diviſa paginas, receptum, & impenſum exhibent. Hiſpanus, *Libros de gaſto, y recibo* illos nominat; & conferendo columnas, uter utri debeat, aut non debeat, pronunciat. Et ſanè MARIA Liber eſt, in quo diverſis, & diſtinctis columnis ſcribuntur omnia, quæ nos debemus Deo; omnia, quæ nobis debet Deus. An-ne homo tantus, cui Deus aliquid debere poſſit? Omninò; illi enim vi pacti, & promiſſionis (ut alios titulos prætermittam intactos) ſi bonus ſit, præmium æternæ gloriæ debet Deus; ſi malus, tormenta ſempiterna. Teſtatur id Eccleſia, cùm orat, & ait, *Deus, à quo & Iudas reatûs ſui pœnam, & confeſſionis ſuæ latro præmium ſumpſit, concede nobis tuæ propitiationis effectum, ut ſicut in paſſione ſuâ IESVS-CHRISTVS Dominus noſter diverſa utriſque intulit ſtipendia meritorum, ita nobis ablato vetuſtatis errore reſurrectionis ſuæ gratiam largiatur*. Ecce non minore jure Cœlum bonis, quàm malis infernum debet Deus, unde Petrus *Act.* 1. 26. Iudam aſſerit, quod iverit in locum ſuum, hoc eſt, in locum debitum; & Paulus, ſibi eſſe repoſitam coronam Iuſtitiæ, quæ juſtè negari non poteſt.

Deus igitur debet Hominibus ſtipendia meritorum, & hæc ipſa debita in Libro vitæ exactè, & ad punctum ſcribit. At Petrus negavit CHRISTVM, & peccando æterni ſupplicii conſtitutus eſt debitor; & poſteà moriendo pro CHRISTO illum ſibi gloriæ æternæ reddidit debitorem. Quo iſta nomina modo mutantur? An-ne delentur antiqua debita, & recentiora ſubſcribuntur?

Sic ſolet fieri in noſtris Libris. At in Libro Vitæ omnia aliter. Eſt Liber purus, & immaculatus; in quo omnia, & numeri transferri ſolent; deleri non ſolent. Hanc ob rem ſingulis eſt deſtinata ſua pagina, & in columnâ ſiniſtrâ, quantùm ille pœnarum debeat Deo; & in dexterâ, quantùm gloriæ illi Deus. Aperio igitur Librum; quæro paginam Petro correſpondentem: & quia negavit CHRISTVM in ſiniſtrâ columnâ Dei digito numerus infinitus, quem noſtri exprimere nequeunt Arithmetici, ſcribitur. Luget, orat, atq; peccati veniam obtinet. & ſi ille character deleretur, eſſet partium concordia; nihil pœnarum Petrus Deo, nihil gloriæ deberet Petro Deus: ſed illa ſumma non deletur, quia macularum eſt expers Liber iſte; ſed transfertur ad columnam oppoſitam, (Hiſp. *Paſaſe del gaſto al recibo*, ex pagina in quâ ſunt debita paſſiva Dei, ad illam in quâ activa ſcribuntur) ita ut Petro, qui ante lachrymas pœnas æternas Deo debebat, gloriam æternam debeat Deus. Ecce grandiùs in divinâ Arithmeticâ agitur, generoſiùs proceditur; aliter ignoſcit Homo, aliter Deus. Tunc Homo ſe liberaliſſimum putat, cùm canonem contractæ obligationis delet, & debitum totum condonat: at Deus non delendo canonem, ſed transferendo ſummam ex columnâ ad columnam, non ſolùm ignoſcit, & condonat, ſed & tantùm gloriæ ſe nobis debere fatetur, quantùm illi nos pœnæ, & tormentorum debebamus.

Hinc jam intelligo verba illa prophetica, quæ in Hiſtoriâ Iudaicâ recenſentur. Berſabæ pulchritudine illectus 2. *Reg.* 12. 13. peccat David. Adulterio adiicit homicidium, & in Libro vitæ ſcribitur æternitatis debitor. Convenitur à Prophetâ Nathane, & ſuæ iniquitatis conſcius ad Deum convertitur, & ait, *Peccavi.* Et Deus quid tunc? An-ne texit enchauſto vetus Davidis debitum? Sic ſomniant noſtri ſæculi Hæretici: nos aliter. An-ne delevit illud? Sufficeret id Dei Iuſtitiæ, ſed non ſufficeret Miſericordiæ. Quid ergo fecit Deus? Æternitatem illam ex unâ columnâ ad aliam tranſtulit. Ita ut non ſolùm David à debito liberaretur, ſed haberet ipſum Deum debitorem; ut qui debebat æternùm luere, jam debeat æternùm coronari. Vnde Propheta, *Dominus*, ait, *tranſtulit peccatum tuum*. hoc eſt, Deus tranſcripſit, & tranſpoſuit hoc debitum ex paginâ ad paginam, ut qui eras debitor, jam ſis creditor, cui debita ſit corona Iuſtitiæ, quam reddet in illâ die juſtus Iudex.

Eodem ſenſu Ezechias (*Iſaiæ* 38. *b.* 10.) intelligendus eſt. Deo peccata ſua confitetur, veniam impetrat, & ait, *Tu autem eruiſti animam meam, ut non periret.* Sed quomodo? An delendo in vitæ Libro ejus iniquitates? Minimè. Quoniam hic puriſſimus Liber lituris, & maculis caret. Quo igitur modo? Transferendo: quoniam *projeciſti poſt tergum omnia peccata mea.* Scribebantur in unâ paginâ, quæ debebam; in ejus tergo, quæ debebas. Eram æternitatis debitor, ſed hujus æternitatis ſummâ

Digitized by Google

mâ tranſlatâ ad paginæ dorſum, non ſolùm non debeo æternam pœnam, ſed vice versâ æternum præmium mihi debes.

Hinc patet mirabilem eſſe Deum in Sanctis ſuis, nec non iterum, ac iterum liberaliſſimum. Si condonaret peccatori debitum, liberaliſſimus deberet dici, ſed quod ipſe condonando peccata gratiam donet, & ſe debitorem conſtituat, ſecundæ liberalitatis actus eſt. Aut fallor, aut hoc ſanè ſenſu loquebatur Propheta, (*Iſaias* 40.*a.* 1.) cùm diceret; *Conſolamini, conſolamini, Popule meus, dicit Dominus veſter. Loquimini ad cor Hieruſalem, & advocate eam, quoniam completa* (*compluta*) *eſt malitia ejus, dimiſſa eſt iniquitas illius, ſuſcepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis*. Porrò, ubi malitia lachrymis contritionis compluitur, abluitur; & ubi abluitur, dimittitur, & condonatur. Et quidem condonare peccatori debita, ſi merita noſtra reſpicio, nimium eſt; non ſunt condignæ iniquitates noſtræ, ut veniam impetrent. Si ad CHRISTI ſanguinem converto oculos, ſatis eſt. Peccavi Domine; condonas debitum? ſatis eſt, ſatis eſt. Audebo Cœlum petere, qui nec oculos audeo in id levare? non quidem. At Amorem ego tuum conſidero, & aliter omninò diſcurro, alioque modo ſpem produco, & materiam confidentiæ dimetior. Eadem peccati condonatio, quæ cum meritis meis collata nimium eſt; illa, quæ cum tuâ juſtitiâ collata ſatis eſt, illa eadem cum amore divino tuo, & cum interceſſione Matris pulchræ dilectionis compoſita, parum eſt. Condonationi addendus erit alter favor; nam & condonabis peccatum, & ſuperaddes gratiam, prærogativam hyperphyſicam, naturæ divinæ participium, gloriæ ſemen, beatitudinis pignus, & ad empyreum poſſidendum chirographum. *Suſcipiam igitur de manu Domini duplicia* (abſolutionem à debitis, adoptionem in hæreditatem æternam) *pro omnibus peccatis meis*. Nam peccatores, quandiù illis peccata placent, Deo diſplicent, & quandiù illa eis diſplicent, Deo placent.

744. ✠ Hinc lux multis Sacræ paginæ locis: ponam aliqua. Apud *Iſaiam* 61. *c.* 7. hæc lego. *Pro confuſione veſtrâ duplicia, & pro rubore laudabunt partem ſuam: propter hoc in terrâ ſuâ duplicia poſſidebunt, lætitia ſempiterna erit eis; quia ego Dominus diligens*. Ecce omnia, quæ diximus, paucis verbis ille, qui D. Hieronymo potiùs eſſe Evangeliſta, quàm Propheta videtur, ediſſerit. Duplicia pollicetur Deus, nimirùm condonationem, & cooptionem, nam & nobis condonantur delicta, & Dei Filiis cooptamur. Sed cur hoc? An-ne pro peccatis? Abſit. Hos favores è manu Dei ſuſcipimus, pro confuſione, pro rubore, pro contritione, pro dolore, pro lachrymis, quibus peccata deteſtamur. Proptereà in terrâ noſtrâ, in Patriâ; in Cęlo, duplicia poſſidebimus; & ipsâ, nō quia nos digni ſumus, non enim ſunt condignę paſſiones hujus mundi ad futuram gloriam: non quia Deus eſt juſtus, quia cùm ad Divinam Iuſtitiam convertimus oculos, dicimus, *Non intres in judicium cum ſervis tuis Domine; quia non juſtificatur in conſpectu tuo omnis vivens*. Sed quia Deus eſt miſericors; vel ut Propheta loquitur, quia Dominus diligens eſt.

745. ✠ Apud Ioannem Revelationum ſuarum *cap.* 18. hanc etiam periodum lego, *Reddite illi, ſicut & ipſa reddidit vobis: & duplicate duplicia ſecundùm opera ejus. In poculo quo miſcuit vobis, miſcete illi duplum. Quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit; tantum date illi tormentum, & luctum*, & duplicem pœnam (damni, & ſenſûs) & duplicem favorem (condonationis, & cooptationis) evidenter reperio.

Multa poſſem congerere, ſed iſta ſufficere videntur, ut conceptûs vis intelligatur. Duplicia promittuntur nobis, centies duplicia donabuntur, quia Dominus nos diligens eſt. Chirographum, cautio, tabula, in quâ hoc debitum ſcribitur, eſt Liber Generationis IESV-CHRISTI; nimirùm, Angelorum Regina; quo ego ſenſu interpretor S. Methodi verba *in Oratione de Purificatione*, dicentis eidem Sereniſſimæ Virgini. *Euge, quæ ſemper habes Deum debitorem*. Marianus enim candor, ab omni culpâ (originali, actuali) liber, Liber eſt, & omnia Dei debita (activa, paſſiva) complectitur.

MARIA LIBER NVPTIALIS.

746 CElebérrimus eſt Pſalmus quadrageſimus quartus, ratione argumenti, imò & tituli. *Carmen nuptiale* inſcribitur à Genebrardo, nam SS. Damaſcenus, & Tho-

mas illum de Spiritus Sancti, & MARIÆ; alii de CHRISTI, Eccleſiæque puriſſimis nuptiis intelligunt. Sed & Divus Paſchaſius notat ab aliquibus, *Libellum Virginitatis* appellari. Sed quid Virginitatis eſt libellus? Ille, qui Hiſpanè, *Carta de dote* nominatur. Nimirùm Inſtrumentum publicum, in quo Articuli, & Contractus nuptialis firmantur.

Occurrunt S. Ioannis Damaſceni *Orat. 1. de Nativitate Virg.* gravida multis ſẽſibus verba. *MARIA invenit gratiæ abyſſum, quæ duplicis Virginitatis navem incolumen ſervaverat*. Noctes audio. Quid Gratię abyſſus? Quid Virginitas duplex? & quid Virginitatis navis?

MARIA LIBER LEGVM.

747 SCripti ſunt Pandectæ, & Canones, ut ſanctè, & modeſtè quis vivat: at omnia, quæ à Pontificibus, & Cæſaribus olim ſcripta, omnia omninò eminentiùs, & altiùs in noſtro Libro Virgineo reperiuntur. In hoc Iura naturæ, Iura gentium, Iura Pontificia relucent, & docemur politicè vivere, ſi legamus attentè CHRISTI generationis Librum, omnis civilis converſationis artes, & regulas ad ſummam perfectionem, & puritatem reducentem.

MARIA LIBER MEDICVS.

748 ARtem Medicam amo, Medicinam non amo, & tamen hodie alterabo dictamen; quis enim medicinam reſpuat cœlitùs datam, & ſalutem operantem divinitùs? Multos Authores legero, qui modum curandi valetudinem docent; multos, qui modum recurandi ſalutem: at in ſingulis conſilium, non tamen reperio medicinam. Aperio verborum divitem Galenum, & jubet talem herbam taliter præparatam recipere. At ubi illa? Porrò ipſam Galenus nominat, non ſubminiſtrat; adeòque anxii, & ſoliciti illam debemus alibi quęrere, alibi condîre, alibi membro infirmo applicare. At Generationis CHRISTI Liber aliter omninò diſputat de Medicinâ. Quid recipere debeam, me docet Prudentiſſima Virgo, Orbis Catholici Archiathra, Romanæ Eccleſiæ Protomedica. *Sume*, inquit, *florem campi, & lilium convallium*. Sed ubi Sapientiſſima Domina hoc lilium floridum, hunc florem liliatum inveniam? Ecce habes, ait, non enim ego ſolùm inſtructionem, ſed & alexipharmacum ipſum impertior. (meliùs Hiſpanicè, *Soy libro de Medicina, pero diverſos de los otros, que teneis en el mundo. Ellos dan la receta, y os mandan buſcar la medicina: yo os doy la miſma medicina, paraque no tengais meneſter la receta.*)

MARIA LIBELLVS SVPPLEX.

749 REges, & Summos *Principes* inſcriptis oramus; & quia *Deus* Imperator ſupremus eſt, debemus ei libellum ſupplicem offerre. Sed quem?

Obierat Iacob, & capite Geneſeos ultimo ſepelitur. Poſt pompam funeream timent Iacobi Filii; ne Ioſeph injuriarum memor illos ad judicium expoſtulet. Illum adeunt, ſupplices literas porrigunt, & ajunt, *Oramus, ut ſervis Dei Patris tui dimittas iniquitatem hanc*. Legunt alii, *Oramus, ut ſervo Dei Patri tuo dimittas culpam hanc*. & orare nos docent. Peccavimus, Ioſeph Divine, Domine IESV, iniquitatem fecimus, & pergimus nova crimina addere, ut graviùs à te condemnemur. Nec tamen deſpondemus animo, quoniam Fratres tui ſumus; illius filii per gratiam, cujus per naturam es filius. Indigni ſumus, quibus veniam concedas, culpæ enim ſtipendium eſt mors. At nihilominùs confidenter oramus, *ut Ancillæ Domini, Matri tuæ dimittas culpas has, quæ nos opprimunt*.

DE

DE DVLCISSIMO NOMINE MARIAE.

ORATIO ANAGRAMMATICA.

750 OMNIS CHRISTI actio nobis imitationi debet eſſe, & ſiquidē Archiepiſcopo Mediolanenſi ad illa Lucæ Verba, *Ecce Ancilla Domini* recenſente, *Dominus redempturus Mundum, operationem ſuam inchoavit à Matre, ut per quam ſalus omnibus parabatur, eadem prima fructum ſalutis hauriret ex pignore*. Nos omnium Cœlitum celebraturi glorias à nomine MARIÆ incipiamus. Militia eſt vita hominis ſuper terram, & milites altis nominibus muniri ſolent; Ceſſet igitur præceps multorum ſuperſtitio, MARIÆ nomine altiſſimo in creatis nullum altiùs, & eminentiùs eſt. Igitur, Potentiſſima Princeps.

Dulce Tuum noſtro Tu cordi inſcribito Nomen;
Namque Tuo conſtat Nomine noſtra ſalus.

Et quidem nomen Tuum altum eſt, magnum eſt, ſalutiferum eſt; adeòque ſalus illa noſtra, quæ à Tuo exoritur nomine non terrena, ſed cœlica, non caduca, ſed perpetua eſt. Dixit olim nonnullus apud Plautum, *Tam longum eſt nomen meum, ut ab aurorâ uſque ad concubiam noctem ſi ambules, vix ad finem pervenies*. Concludit Senex, *Opus eſt face, & viatico ad tuum nomen, ut tu prædicas*. Et Ego Nominis Tui majeſtate, Cœlorum Imperatrix, territus, idiomate ſinceritatis ûtens eadem verba reſumere poſſum, aut debeo. Tam longum enim eſt, Puriſſima Virgo, nomen tuum, ut ſi à meæ pueritiæ aurorâ ad mortis uſque noctem illi dilucidando, & exponendo inſiſterem, vix pervenire ad finem, & terminum poſſem; es enim Mater, & hujus Virgineæ Maternitatis terminus eſt Deus, ad quem à nobis datur infinita diſtantia. At quia magna paucis dici non poſſunt, nominis Tui magnitudinem dividam, ut poſſim dilucidare illum vel ex parte. Ducor à melleo Tuo Bernardo, qui *ſerm. 1. de nom. Virginis citatus ab Avendaño*, ſic ait. *Sicut Deum ipſum non uno tantùm nomine nominamus, ſed multis, ut ſic ejus incomprehenſibilitatem enunciemus: ſic & glorioſam Virginem multis nominibus deſignamus, nunc Solem, & hujuſmodi nominare ſolemus, ut ſic ad ſublimitatem ejus cognoſcendam veniamus*. A magnitudine ad celſitudinem nos traduxit Bernardus, tam altum enim eſt nomen Tuum, Princeps Eminentiſſima, ut eo pertingere audaciâ Icari nolim, & Dædali prudentiâ non valeam. Si Dædalo ſimilis primam aëris regionem contemplationis alis penetrem, Te non inveniam, quæ in Cœli Supremo faſtigio inveniſti gratiam apud Deum. Si audentior Ætheri me ingeram, multis rebus neceſſariò carebo, & illarum defectu non jam nomine Tuo illuſtrabo aquas, quæ ſuper Cœlos ſunt, ſed ſimilis adoleſcenti lapſo, qui *Icarus Icarias nomine fecit aquas*, meo ipſe nomine aquas, quæ ſuper terram ſunt, obſcurabo. Sa-

Digitized by Google

nè ſupra Cœlos, ubi celebratur Tuum Nomen, aquæ propinantur ambroſiæ, & in hac valle lachrymarum amaræ, obſcuræ,& inſalubres. O Domina! Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam? Nomen Tuum mei itineris ſcopus eſt. Diſtat à nobis toto Cœlo. Ex hac lachrymarum caligine altiſſimam ſpartam aggredior, *at opus eſt face,& viatico ad Tuum Nomen*: face ne oberrem, viatico ne deficiam in viâ. Tu es gratiâ plena, & ſi gratiam etiam mihi impetraveris, non carebo viatico,pulchra es ut Sol,& ſi clementiæ radios ad me direxeris, facem habebo. A Te,omnia ſpero. Spes noſtra ſalve; nam omnia impetraſſe me puto, cùm Te ſalutare permittor, & dicere, *Ave MARIA*.

MARIA

Nomen Tetragrammaton.

751 MVlti aggreſſi ſunt Mariani Nominis expoſitionem, nec mirum multa indicta manſerint poſt multa feliciter dicta,eſt enim nomen plenum gratiâ, plenum Deo, & nunquam exhauriri poteſt. *Vtile eſt*, inquit Auguſtinus,*plures libros à pluribus fieri diverſo ſtylo, etiam de Quaſtionibus eiſdem, ut ad plurimos res ipſa perveniat,ad alios ſic,ad alios autem ſic.*Igitur tametſi multa ſcripſerint de Auguſtiſſimo Virginis nomine, ſcribam etiam aliquid ego,ut ad alios illud uno modo illuſtratum perveniat, ad alios alio.

752. Incipio à literarum numero,obſervoq;Deum tetragrammato nomine voluiſſe ubique terrarum honorari. Dixit vetus Poëta, *Numero Deus impare gaudet*; at Ego,

Quatuor immenſi ſi nomen Numinis, alma
Si nomen Matris componunt literæ,utrumque
Demiſsè recolens, & confidenter adorans
Dicã, Divinus numero Rex jã pare gaudet.

Quaternis Deus ab omnibus, aut ferè Gentibus profertur literis: quaternis Diva. Ille ab Hebræis dicitur, nimirùm, IEOVA, ELOA, ADONAI,ADON, hoc eſt, *Ens,Iudex,Superior*, *Dominus*, ab Ægyptiis Θεὺθ, ab Heruſcis Εσὰρ, ab Arabibus ALLA, ab Aſſyriis ADAD, à Syris MORIO, à Turcis AGDI, à Græcis Θεὸς, à Latinis DEVS, ab Hiſpanis DIOS, ab Italis IDIO, à Germanis ſuperioribus, & inferioribus, itemq;ab Anglis *Boot*, à Polonis, & conterminis populis *Boog*, ſemper nomine quadrilitero. A Perſis etiam SYRE, undè videntur Galli Regium ſumpſiſſe titulum, ab ipſis enim SYRE dicitur, qui ab aliis Dominus. A nomine Dei Syriaco MORIO, per contractionem deducitur MORO, ſicut apud Latinos, Græcoſq;à nominibus *DOMINVS*, & KYPIOΣ deducitur *DOMNVS*, & KYPOΣ, quæ ſignificant Humanos Dominos; & hinc ſcitur, cur Africa in ſervitute hærens, Mahomethanos clavum tenentes MOROS dixerit, ſic enim illi volebant dici, quia volebant adorari ut Dii, coli ut Domini. Vide Apodixin Aulæ Regiæ editâ Vienę an. 1647.

753. Vt eſſet nominum ſimilitudo Deus cultus tetragrammato nomine Matrem ſuam puriſſimam coli voluit nomine tetragrammato, MARIAM voluit linguâ Chriſtiana, hoc eſt, Syriacâ dici, hæc enim MARIÆ parentibus, & amicis vernacula. Et quidem nomen MARIAM deducitur à nomine divino Syriacô MORIO, Chaldaicè MARIA, DOMINANS, ut MARIAM rerum etiam Dominam intelligamus.

Sed cur formam pluralem habet? ut ſit nomen MARIAM (MARIM) ſimile nomini ELOHIM; Deus enim unicus, & ſimpliciſſimus eſt, & nomine plurali indigitatur; & MARIA nomen habet,non plurale,ſed plurali ſimillimum,quoniam tametſi Trina non ſit,eſt tamen ſimillima Deo Trino. Nec etymo contradicit Eccleſia, cùm MARIAM *Virginem ſingularem* appellat;ſumma enim in hoc relucet ſingularitas, quod unica perſona cùm ſit, ſit virtualiter multiplex, ut caſtrorum acies ordinata.

MARIA

Αγαπᾶμ.

Amari. verb.

754 QVotidie ab Eccleſiâ Romanâ dicitur Angelorum Regina, *Vita, & Dulcedo*,nominibus ſumptis abſtractim. Abſtractis enim ſumma ineſt ſignifi-

tionis

Digitized by Google

tionis efficacia, quam non adſequuntur concreta. Hanc ob rem, hæc dulciſſima Princeps, ne dicatur *Amans*; id enim nobis eſt gloriæ non merito; quoniam glorioſum nobis eſt à tantâ Heroïde diligi, non tamen ideò digni præmio, quippè, qui ob proprias, & non ob alienas actiones coronabimur. Eamdem ob rem; ne dicatur *Amata*; ſonat enim præteritum, neſcio quam præſentis obſervantiæ carentiam, quam in quocumq; Chriſtiano condemnabo. Ne deniq; vocetur *Amor*: eſt enim potentiale vocabulum, & in actu conſiſtit perfectio. Nos omnes dilectio activa ſimus, ipſa ſit paſſiva dilectio, & ut voces clariùs diſtingui poſſint, nihil in nobis percipi poſſit quàm *amare*, nihil in illâ quàm *amari*. Amemus illam mente, amemus voluntate, amemus ſpiritu. Senſus etiam corporei illam proſequantur amore; & gratiæ omnes nobis divinitùs infuſæ, quæ virtutum nervi, & oſſa moralia ſunt, unanimi conſenſu dicant, *Domina, quis ſimilis Tibi?* Ametur illa tota, ametur totaliter. Ametur in illâ, & admiratione colatur gratia illa præveniens, quam habuit primo conceptionis inſtanti. Amemus, & veneremur prærogativas ſecundarias, gratiæ originariæ pediſequas, omnes virtutes, omnes operationes, & ut verbo dicam, Mariana omnia; deſideremuſq; eſſe Deo ſimiles, nam ſi intelligere Dei eſt eſſe Dei, amare MARIAM ſit noſtrum eſſe, & correlativum illud eſſe, quod MARIAM ad nos redamandos invitat, ſit *à nobis amari*.

MARIA

Ἀναγραμ.

Amari. nom.

755 MVltæ fuerunt MARIÆ, CHRISTI Domini auditrices, & aſſeclæ; præcipuæ ſunt, MARIA Mater Domini, MARIA Mater filiorum Zebedæi, & MARIA Magdalena. Omnibus nomina ſecundaria attribuuntur, nam MARIA Magdalena, *MARIA Lazari* dicitur, MARIA Zebedæi uxor, vocatur *MARIA Salome*; ergo MARIA IESV, ſiquidem iſte Amarus fuit, *MARIA Amari* vocatur. Profectò enim amaris doloribus, & vulneribus CHRISTVS Dominus ſaucius, *Amarus* per antonomaſiam dici potuit; nemo enim tormenta magis amara, & acerba fuit paſſus.

Ex Gnato ad Parentem tranſlatâ denominatione, qui heri dicebam, *Salve Regina, Mater Miſericordiæ; Vita, Dulcedo, & ſpes noſtra ſalve*; uſus antitheſibus hodie, dicam Divæ; *Salve Ancilla Domini*, *Mater Severitatis*; *Mors, Amaritudo, & Spei myſterioſa negatio*. Primò te loco *Ancillam* nomino, ſed Domini; grandiùs enim eſt ancillari Deo, quàm toti orbi terrarum dominari; qui enim Deo ſervit, regnat, & imperat in terrâ, & Cœlo. Te etiam *Matrem infinitæ Severitatis* dixero; quoniam es Parens CHRISTI ſeveriſſimi Iudicis, qui in tribunali horribili judicaturus eſt vivos, & mortuos. Te *Mortem* invoco, vivit enim in me vetus Homo, antiquus Adam, qui deberet, ut novus naſceretur, occidi. Dicebat olim Iob, *Non peccavi; & in amaritudinibus moratur oculus meus*. Et ego illo miſerior (neſcio an miſerabilior) *Peccavi, & in amaritudinibus non moratur oculus meus*: & quidem amaro animo ſum, quia animum amarum non habeo. Sanè omnis medicina eſt amara; & ego peccato laborans, quia dolore, & amaritudine deſtituor, etiam alexipharmaco, & medicina careo. Dolore egeo, Angelorum Regina, lachrymis, contritione, amarore, ut commiſſa expiem, & nova peccata non committam. Sis amaritudo cordi meo; & quia contraria recurantur contrariis, à voluptatis dulcore, quo illicior, *libera me, & pone me juxta Te, & cujus vis manus pugnet contra me. Quia, ecce, qui elongant ſe à Te, peribunt; perdidiſti omnes, qui fornicantur abs Te. Mihi autem adhærere Deo bonum eſt; & ponere in Divâ (quæ invenit gratiam apud Deum) ſpem meam*. Sed cur ſpem? ut ſpe caream? ut poſſim Divæ dicere, *Et in verbo Tuo* (in Redemptore meo) *ſuperſperavi*. An caret ſpe, qui ſuperſperat? caret omninò. quia, ut alibi monuiſſe me memini, qui ſperat, habet ſpem; & qui ſuperſperat, habet aliquid ſuper ſpem, poſſeſſionem nimirùm; & quæ poſſidet aliquis, non ſperat. Tu igitur, Sereniſſima Princeps, es Spes; & Spei carentia, id eſt, Poſſeſſio. quoniam qui ad Te anhelant, ſperant; & qui apud Te ſunt, poſſident IESVM-CHRISTVM Filium Tuum, quem clariùs poſt hoc exilium oſtenſura, etiam nunc nobis in hac valle lachrymarum oſtendis.

Digitized by Google

MARIA
Nomen Immortale.

756 HVmana ſunt, humana omnia; & quia humana caſui,& occaſui expoſita:

Omnia debentur morti. Monumenta fatiſcunt,
Mors etiam ſaxis, marmoribuſque venit.

Saxis, & lapidibus fama perennior quidem eſt, ſed mortalis. Nam & Opinio, & Nominis æternitas moritur. Severinus Boëtius.

Quod ſi putatis longiùs vitam trahi
Mortalis aurâ Nominis,
Cùm ſera vobis rapiet hoc etiam dies,
Iam vos ſecunda mors manet.

At omnia Divina ſunt æterna. Eſſentia, Potentia, Attributa, imò & ipſummet *Nomen Domini manet in æternum*. Huc reſpexerunt Cabaliſtæ, cum Deum ÆGLA vocarunt, hoc enim nomen juxta artem reſolutum, novas dictiones generat, & exponitur, ÆTHA GEBOR LHOLAM ADONAI, *Tu es fortis in æternum Domine*. Vide P. Athanaſium Kircherum *in Prodromo Copto cap.6.pag.* 154.

MARIA Humanitatem CHRISTO, CHRISTVS MARIÆ inter alia Nominis dignitatem,& æternitatem: quam ob rem, *in nomine MARIÆ omne genu flectetur Cæleſtium, Terreſtrium, & Infernorum*, quoniam tametſi alia mortalium pereant Nomina, *Nomen Dominæ manet in æternum*.

MARIA
Nomen Omnipotens.

757 FVit error Abaïlardi, ſi vera,quæ circumferuntur circa Dei dominium, & perſonarum poteſtatem. Prodigioſis vocabulis invexit in Gallias hæreſin prodigioſam. Sanctæ Triados perſonas inæquales adſtruxit, & *Totipotentem* Patrem dixit,*Semipotentem* Filium, & *Nullipotentem* Spiritum Sanctum. Et ego Theologis mentem,& linguam Abaïlardi diſcutiendas committens, ad MARIÆ nomen converto oculos, & has tres proprietates reperio.

Hoc nomen MARIA, in te, fœmina laſciva, & levis, quæ impuritatis quæſtu ſingulas literas infamas; Hoc nomen MARIA, in te fœmina avara, quæ divitias congeris, & per illicitos tractus, & contractus ſanguinem egenorum exugis; Hoc nomen MARIA, in te ſuperba fœmina, quam ſeptem Dæmonum legiones elationis pediſequæ inhabitant;in te inquam hoc Sanctiſſimum nomen violentiam patitur, & *Nullipotens eſt*. Ad Magdalenam converte oculos, & interroga, cur eam non nominarit Lucas *cap.* 7. cum dixit, *Ecce Mulier, quæ erat in Civitate peccatrix*. Et reſpondebo tantæ fuiſſe reverentiæ ipſi Evangeliſtæ MARIÆ nomen, ut illo indignam peccatricem mulierem judicarit.

758. In te,caſta Matrona,prudens,& honeſta Virago, quæ Parentibus reverentiam, Conjugi amorem,Filiis inſtructionem pendis, *Semipotens* hoc nomen eſt.Siquidem ob nominis parthenii reverentiam à culpis abſtines,& virtutibus adquirendis inſudas, multum tu Nomini Auguſtiſſimo defers, multum tibi Nomen feliciſſimum affert.

At in Te,Cęlorum Imperatrix,Angelorum Princeps, omnium Creaturarum rationalium Regina,hoc ipſiſſimum MARIÆ nomen Omnipotens eſt. Eſt veritas omnibus nota, & in Pſalterio expreſſa à Divo Bonaventurâ, qui agens de Te,Virgo Sereniſſima,ait,*Omnipotens poſt Deum nomen ejus*.

759. Sed quis hanc nobis poterit omnipotentiam demonſtrare? Idiota, nobilis & eximius Theologus, & quicumque velit eruditè diſcurrere. Quoniam duo Demonſtrationum genera tradunt Peripatetici; qui alias à priori,& à poſteriori alias efformant.A priori procedit,qui à causâ;& à poſteriori, qui ab effectu: & utrinque Mariani Nominis Omnipotentia demonſtratur. Quoniam, ſi hæc Nomina, *Mater Dei,Deus ex me, Deus ex genere meo*,in Nomine MARIÆ clauduntur,involvunturque,cum àMatre ad Filium à causâ ad effectum proceditur, videturq; carere non poſſe omnipotentiæ privilegio, qui genuit Deum eſſentialiter omnipotentem. Quod ſi hæc nimis ſubtilia,& à ſenſibus dicantur aliena, à poſteriori argumentum deſumam, & MARIÆ Nomini conceſſam divinitùs Omnipotentiam demonſtrabo.Convertam ad miracula oculos, animum ad prodigia, & ſi mira-

ra-

Digitized by Google

racula dicantur, quæ rara, audebo illa negare Virgineo Nomini, quòd patret prodigia quotidie. *MARIÆ enim Nomen*, ait Idiota, *ſuper omnia Sanctorum nomina reficit lapſos, ſanat languidos, illuminat cæcos, penetrat duros, recreat feſſos, ungit agoniſtas, & jugum diaboli extrudit*. Conſonat Senenſis Bernardinus, & ait, *Nomen MARIÆ eſt, quod dat cæcis viſum, ſurdis auditum, claudis greſſum, ſermonem mutis. ---- Proinde ſi qua infirmitas tibi, vel tuis occurrat, ---- recurre ad invocationem Nominis MARIÆ*. Ergo omnia efficit; & ſi omnia, eſſe omnipotens, negari non poteſt.

MARIA
Nomen Iuſtificans.

760 MVltæ cauſæ juſtificantes dantur, & in eiſdem adſignandis multi Hæreticorum errores. Materialis eſt Animus; Formalis eſt habitualis Gratia; Efficiens eſt CHRISTVS; Finalis eſt Dei Gloria; Impetrans eſt Mariana Interventio. Sancta Brigitta *libr.* 1. *cap.* 9. *Nullus eſt tam frigidus ab amore Dei, niſi ſit damnatus, qui ſi invocaverit hoc Nomen MARIÆ hac intentione, ut nunquam reverti velit ad opus ſolitum, quòd non diſcedat ab eo Diabolus ſtatim, & nunquam ampliùs revertatur ad eum, niſi reſumpſerit voluntatem peccandi mortaliter*. Et Idiota *libr.* 2. *de contempl. Virgin. Tanta eſt virtus tui Sanctiſſimi Nominis, ò ſemper benedicta Virgo MARIA, quod mirabiliter emollit, & penetrat duritiem cordis humani*. Conſonat illis Franciſcus Venetus *in harmon. Mundi cant.* 2. *tom.* 2. & ait, *Velint, nolint Dæmones genua flectunt, quando nomen IESV pronunciatum eſt*; quæ verba ad Deiparam transferre potuit; imò & S. Gerardus tranſtulit, cùm dixit, *Invitus Infernus invocato MARIÆ nomine ululat, & procaciſſimi dæmones clamant*. Et S. Bonaventura *in Specul. cap.* 3. *Non ſic timent hoſtes viſibiles caſtrorum aciem copioſam, ſicut aëreæ poteſtates MARIÆ vocabulum*. Nam, & quotidianæ experientiæ teſtantur, Dæmones, tametſi aſſuetos multa pati, Parthenium nomen tolerare non poſſe.

MARIA
Nomen Beatificans.

761 BEatus Vir, inquit D. Bonaventura in ſpeculo, *qui diligit Nomen tuum, MARIA Virgo; animam ejus irrigabit Nomen Tuum*. Et rationem in Pſalterio ſuo exponit. *Glorioſum, & admirabile eſt Nomen tuum*, ait, *qui illud retinent, non expaveſcunt in puncto mortis*. Conſonat S. Brigitta *lib.* 1. *Revel. cap.* 9. *Omnes Dæmones verentur, & timent, quia audientes hoc nomen MARIA ſtatim relinquunt animam*. Dixerat de bonis Spiritibus, *Angeli boni audito hoc Nomine ſtatim appropinquant magis juſtis, quibus dati ſunt ad cuſtodiam, & gaudent de profectu eorum*.

MARIA
Nomen Supernaturale.

762 SVpra Naturæ ordinem alia rerum ſeries ponitur, quam dicimus *Supernaturalem*, & ratio denominandi eſt, quòd tota ſupra naturam ſit. Et ut video naturalia, non ſunt omnium Sanctorum nomina. Aliqua enim cœlitùs dari ſolent: quoniam Angelico Doctore *in Epiſtolam ad Rom. lect.* 1. aſſerente, *Nomina divinitùs imponuntur quibuſdam à principio Nativitatis ad deſignandam gratiam, quam à principio conſequuntur*. Hanc ob rem excipio à nominum naturalium ſerie illud, quod impoſitum hominum lapſorum maximo; ſcilicet Ioanni Baptiſtæ, illud quòd datum Mulierum Maximæ, nunquam lapſæ, quoniam ſine labe concepta culpam actualem non incurrit: & illud impoſitum. Verbo Incarnato. Omnia tria fuerunt revelata divinitùs. Primam revelationem expoſuit nobis Zacharias; ſecundam Hieronymus *Hiſt. de ortu Deiparæ*; tertiam Gabriel. De Ioanne CHRISTVS, Lucæ 1. 26. *Inter Natos mulierum*, ait, *non ſurrexit major Ioanne Baptiſta*. De MARIA Idiota, *MARIÆ nomen ſupra omnia Sanctorum nomina reficit*. Et de CHRISTO Paulus, *Deus exaltavit illum, & dedit illi*

illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, - - - - ut in nomine IESV omne genu flectatur, Cæleſtium, Terreſtrium, & Infernorum. Et Rupertus Abbas *libr. 12. in Ioannem cap. 16. Hujus unigeniti Filii Dei nomen, quod eſt IESVS, neceſſarium omnis orationis eſt vehiculum, quo in Cœlum directo perlata curſu conſiſtat ante Patris conſpectum, ſalutemque de ſinu ejus, & gratiam ſuggere valeat remiſſionis peccatorum.* Liceat & his nominibus addere Nomen Ioſephi, ut pulchrius evadat tetragrammon, & habeat quatuor animalia hoc orationis humilis, & contritæ vehiculum.

763. Aut fallor, aut his quatuor vocabulis, IESVS, MARIA, IOSEPH, IOANNES, ſupernaturales iſtæ prærogativæ, *Fides, Spes, Charitas,* & *Gratia,* debent ſymbolizari; ita ut approprietur CHRISTO Domino Fides, MARIÆ Spes, Ioanni Gratia, Ioſepho Charitas. Porrò Fidem plãtavit CHRISTVS; Vita dulcedo, & Spes noſtra eſt Virgo. Ioannes natus eſt CHRISTI gratiâ, ut eum præcurreret, & viam prædicaturo præpararet. Ioſeph exponitur *Domini augmentum*; & ego Charitatem intelligo, qui enim augentur auro, argento, gemmis, gazis, divitiis, ſi Charitate careant, nihil cœlitùs ſunt, & ideò aucti à Deo non ſunt; & qui Charitate ſunt prædìti, Deum, & in Deo omnia habent.

MARIA
Nomen Fortiſſimum.

764 MAgnes, miraculoſum ſaxum eſt; & ferro armatum, ferrum potentiùs trahit. Et quidem, Deum eſſe Hominum finem ultimum negare non potes, adeòque illum *intelligibilem, & myſticum Magnetem* nominare teneberis. Homines adtracturus; incarnatus eſt de Spiritu Sancto, ex MARIA Virgine, & Homo factus eſt: & armatus Humanitate, potentiſſimè Homines traxit ad Deum, unde ait, *Cùm exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad me ipſum.*

Hinc lux veteris Teſtamenti myſteriis. Nomen Domini potentiſſimum fuit; nihilominùs nomine Abrahami armabatur, ut potentiùs influeret; quoniam Patriarchæ veteres experientiâ magiſtrâ didicerant, plures favores, & gratias impetraturos fore, ſi Dei Nomini nomen Abrahami conjungerent. Ita Origenes *libr. 5. contra Celſum*, & ex ipſo Iuniores.

765. Ergo, & nos CHRISTI magneticum Nomen Mariano armemus, experiemurque vehementiorem influxum, & aſſiſtentiam potentiorem. Præcipuè cùm S. Germanus *Enc. de dorm. B. Virg. Mariæ* nos concîtet, & dicat, *Præſidium eſt nomen Virginis MARIÆ; neque tantum hauſto aëre animæ noſtræ reſpirant, quantum nominis tui protectione confirmamur.*

766. Rem notam ſuppono, non enarro. Armatur Magnes ferro, & centuplò *fortiùs* operatur. Si noſtra Devotio, voluntariaq; Paupertas ſit Magnes, CHRISTI Domini Nomen erit ferrum, quo armabitur, & centuplò potentior erit, juxta illud Matth. 19. *d.* 27. *Omnis, qui reliquerit Domum, vel Fratrem, aut Sorores, aut Patrem, aut Matrem, aut Vxorem, aut Filios, aut agros propter Nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Conſidera Magneticæ Philoſophiæ vocabula; videlicet, illud *Reliquerit,* illud *Accipiet,* illud *Nomen,* illud *Centuplum.* Relinquere & accipere ſunt contraria & oppoſita, & tamen Magneti conveniunt; qui habet duos polos, ferrumque attrahit uno, reſpuit altero. Sic & homo. Produco in ſcœnam Paulum, duos habentem polos; vel, ut ipſe loquitur, duas leges inter ſe repugnantes. Concupiſcentia & Gratia, ex diametro oppoſitæ, erant in ipſo poli duo, quibus agitabatur. Illa concatenato ordine voluptates, & peccata ab eiſdem pendentia ambiebat, illiciebat, tenebat; & renuebat virtutes: hæc contrà appetebat virtutes, divinaſque prærogativas, omnemque voluptatem fugiebat, & fugabat. At iſte Magnetis Apoſtolici polus, armatus CHRISTI Nomine, æternam vitam, quæ in Mentis Verbo centuplò nobiliore, in voluntatis pondere centuplò excellentiore conſiſtit, aut attrahit, aut adſequitur, (imò adtrahit potiùs, quoniam *Adveniat Regnum tuum,* jubemur dicere; non verò, *Ad Regnum tuum veniamus.*) & pœnam æternam evadit.

767. Sicut Natura humana CHRISTI Nomine armatur, ſic etiam CHRISTI Nomen MARIÆ Nomine, ut altiùs mentes elevet, & operetur efficaciùs. Occubuit Sebaſtianus,

Digitized by Google

nus,Luſitanorum Rex,in Africâ, & in ejus ſecretiſſimo ſcrinio repertum eſt ſolenne votū, quo jurabat ſe conceſſurum ſubditis, quidquid ob quinque CHRISTI vulnera flagitarent. O ſi Luſitani hoc ſciviſſent! Dolebat Anglus Epigrammatiſtes his verbis.

Qui petit, accipiet, Iacobus Apoſtolus inquit:
O ſi Iacobus Rex mihi dicat idem!

768. Quid non à Rege peteret,ſi formulam adjuratam ſciret,quâ ille oratus nihil poſſet negare? Nos ſumus egeni, & pauperes; Deus Rex, quî teneamur orare, ut debeamus audiri,jam cognoſcimus. Si vis Patrem orare, inſta per Nomen Filii; ſi Filium vis, inſta per Nomen Matris:quoniam binæ ſunt iſtæ orandi formulæ, quibus nihil renuitur. Primam CHRISTVS Ioann. 15. 13. *Quodcumq; petieritis Patrem in nomine meo,hoc faciam*: ſecundam experientia confirmat; quia cùm nos MARIÆ Nomen, cùm ipſa ſuam authoritatem interponit, nihil peccatori negatur.

769. Quinque vulnerum nomine obſtringebatur Sebaſtianus; quoniam illa ſunt quinque noſtræ Redemptionis charactêres, quibus & lithrum noſtræ libertatis ſcriptum, & chirographum captivitatis noſtræ deletum eſt. Has quinque literas in pentagrammato Virginis Nomine invenîmus: quoniam MARIA,Nomen myſticum eſt; initialibus literis. M.*maternitatem*, A.*amorem*, R.*redemptionem*, I.*iuſtificationem*, & A.*adoptionem* expendens. Hæ ſunt quinque CHRISTI literæ, quibus libellos ſupplices à mundo tranſmiſſos conſignat:hæc ſunt quinq;vulnera,quibus CHRISTI viſcera transverberantur. Sudat enim ſanguine in horto, & quaſi in vitæ, & mortis ultimo agone conſtitutus videtur dicere; [Doleo; ah doleo, cùm recogito *Matrem*! O quantum illa orata poterit; & quàm parum à multis curatur, & oratur! O innumerabilem hominum numerum,quos ſorbebit infernus! O quàm paucis proderit tota mea paſſio! O mortales, ne in æternum moriamini, ad immortalitatem contendite; quæ meæ deſunt paſſioni adimplete.Me ſequiminor;& ſi errare non vultis,à meâ Matre ducamini. Quantum ejus debetis *Maternitati* recognoſcite.Si mihi debetis omnia,omnia meę Parēti debetis.Quę mea eſt Mater, etiam eſt Mater veſtra, ſi mei velitis eſſe fratres.Vos *amo,& amat*;quos ego ſanguine, ipſa oratione à carceribus peccati *redimit*; *juſtificationem* ipſa impetrat,ego concedo;& quos ipſa *adoptare* dignatur in filios, omnes ego ſcribo in albo meorum fratrum. Si meæ paſſioni accedat meæ Parentis protectio, nihil omninò deerit; ergo, quæ deſunt meæ paſſioni adimplete; ad MARIAM confugite, (eſt enim *ſpes altera Mundi*)ſub cujus parthenii Nominis auſpiciis habebitis ſecuritatem.] Sic CHRISTVS, ut Meditationis aure excepi: nihil addo.

MARIA
Nomen Revelatum.

770 MAgna eſt Parentum,Filiorumque ſimilitudo,& inter CHRISTVM Dominum, & MARIAM Virginem puriſſimam ſumma. Ante felicem Incarnationis horam legatur Angelus Gabriel ad MARIAM immaculatam Virginem, & inter alia ait, *Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Emanuel*,quod omnes exponimus, *Nobiſcum Deus*. Et ante MARIÆ conceptionem mittitur Angelus ad Ioachimum, & inter alia conſolatione, & myſterio plena verba *apud S. Hieronymum de Ortu Deiparæ*, ſic inquit, *Anna Vxor tua pariet tibi filiam, & vocabis nomen ejus MARIAM*, quod *libr. de Inſtitut.Virg.cap.*5. exponit Ambroſius,*Deus ex genere meo*. Ecce Deus donare voluit immaculatam Virginem digno vocabulo, & notante Petro Damiano, *ſtatim de theſauro Divinitatis. MARIÆ nomen evolvitur.* Verba ſingula conſideremus.

771. Numerat Deus in Eccleſiâ Catholicâ multitudinem Stellarum, & omnibus eis nomina vocat; omnes in libro vitæ ſcribit, cùm primùm luſtrali baptiſmi aquâ homines convertuntur in ſydera; at quia hæc ipſa converſio non ſtatim accidit, ſed octavo, ut plurimum ab ipsâ nativitate die, ideò nec ſtatim nomina vitæ animabus imponit, illaque tabulæ Iuſtitiæ ſuæ clementi inſcribit; at MARIÆ Virgini ſtatim honorificum nomen indulget, quoniam ipſa ſtatim in primo conceptionis inſtanti præventa gratiâ, ſtatim hoc honore prodigioſo fuit digna. Sed cur, qui numerat multitudinem peccantium Deus,(nemo enim eſt,

Digitized by Google

eſt, qui neſcio Deo peccare poſſit) non omnibus eis nomina vocat? Quia nomine carent peccatores. Peccarunt homines, & *Geneſ.6.*& non increpantur proprio nomine. Sed cur, *Corrupta eſt terra*, dicitur, & non dicitur, *Corrupti ſunt homines?* Reſpondet Chryſoſtomus *homil.24 in Geneſ. Quia peccatum facit, ut homines ſuo nomine vocari nō ſint digni.* Et eamdem ob cauſam Maria Magdalena quandiù peccatrix fuit, nomine caruit, & quandiù juſta, proprio nomine vocata eſt. Et quia brevitati ſtudeo hæc duo loca, Luc. 7. *Ecce mulier, quæ erat in Civitate peccatrix*. Et Matth. 12. *Veniunt ad monumentum Maria Magdalena, & altera Maria*, componenda relinquo.

Et quidem nominis Mariani pretium illa verba, *de theſauris Divinitatis* prædicant; ſolùm enim pretioſa, & curioſa clenodia in Regum theſauris collocantur.

Sed cur evolvitur? Quia fœmina circumdabit virum, Virgo Deum; quæ ſi contemplationis manibus evolvatur, exponet oculis noſtris cor plenum Deo.

Præpara igitur, Orthodoxe Chriſtiane, mentem tuam, linguam tuam: & totam Cœleſtium Spirituum Principem contemplator. Ecce ſummæ prærogativæ, & gratiæ tenebris involvuntur, eas evolvere neceſſe eſt. Multæ in ſingulis Virginis operationibus, multæ in ſingulis Virginis verbis, multæ ſingulis parthenii nominis characteribus ſunt involutæ. Dic mente, dic labio, *Benedictum, & glorioſum ſit nomen, quod os Domini mirabiliter nominavit.*

MARIA
Altum Nomen.

772 CIrcumferuntur Incantationes militares; & venefici, qui *alta*, quę vocant, *Nomina* nundinantur. Illis abire juſſis S. Ioannem Chryſoſtomum, beneficum Doctorem advoco, & incantationes ſupernaturales exoro, & *alta Nomina* impetrare deſidero. At ipſe cordi meo MARIÆ nomen inſcribit, altum, excelſum, thaumaturgum, & ait, *Sunt nobis incantationes Spirituales. Ipſum nomen MARIÆ hujuſmodi incantatio eſt: & non ſolùm Draconem ab ſpeluncis abigit, atque ita in ignem coniicit, ſed & vulneribus quoque medetur. Hoc igitur nomine ornemur, ipſi hoc tanquam muro nos muniamur.*

773. Et ne antiqua revocare dicamur, quaſi à Chryſoſtomo ad nos nemo fuerit, qui MARIÆ nomen eſſe *altum* dixerit, ſenſeritve, ad heſterna bella, & victoriam Pragenſem toto orbe celebrem oculos convertamus. Erant multo numero hæretici, culmina montium præoccupaverant, angulos univerſos muniverant, & tormentis maximis coronârant. Orthodoxi, ſi numerum, arma, & locum conſiderem, erant impares; at cauſæ æquitate, & armorum juſtitiâ ſuperiores. Adeſt Didacus, Carmelitarum Excalceatorum gloria, Sanctiſſimus, & pientiſſimus Vir, & oratione habitâ ad milites, erga Reginam Cęli fortem devotionem inſtillat. *Gaude, MARIA Virgo*, intonat, *cunctas hæreſes ſola interemiſti, dum Virgo Deum, & Hominem genuiſti, quæ Gabrielis Archangeli dictis credidiſti, Dei Genitrix intercede pro nobis.* Verba ultima reſumit Maximilianus Sereniſſimus Bavariæ Dux; totius Orthodoxæ militiæ Generalis. Reſumit eadem Orthodoxus exercitus; & dum *Dei genitrix intercede pro nobis*, terreni repetunt, audiuntur cœlitùs, & glorioſiſſimam victoriam impetrant. Dedit nobis, quæ cunctas interimit hæreſes, victoriam celeberrimam, omneſque hæreticos Catholiciſſimi Ferdinandi II. poteſtati ſuppoſuit. Hanc Pragæ annuâ ſolennitate celebramus, & cùm Heterodoxos triumphatos, & Catholicos triumphantes admiramur, ſummo jubilo dicimus, *Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine DOMINÆ ſperavimus. Ipſi obligati ſunt, & ceciderunt: nos autem ſurreximus, & erecti ſumus. Domine ſalvum fac Ferdinandum Bohemiæ verum, & legitimum Regem; & exaudi nos in die, quâ invocaverimus te. Pſalm. 19.*

MARIA
Nomen Magnificum.

774 VOcat Geneſeos duodecimo Abrahamum Deus; & ait, *Egredere de domo tuâ, & de domo Patris tui, & veni in terram*

ram quam monſtrabo tibi. Faciamq; te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, eriſque benedictus. Benedicam benedicentibus tibi; & maledicam maledicentibus tibi; atq; in te benedicentur univerſæ cognationes terræ. Sed omnia futura aliquando debent eſſe præſentia; quando ergo hujus Patriarchæ nomen de facto magnificatum fuit?

Duas ego hîc reperio Theologorum ſententias, quæ tametſi differentes appareant, componi facillimè poſſunt. Alii enim hanc promiſſionem impletam putant Geneſeos 17. alii 24.

SI STEMUS opinioni priori, recognoſcere debebimus ſacrum contextum, (*Gen.* 17.4.) ubi dicitur; *Ego ſum; & pactum meum tecum; eriſq; Pater multarum gentium. Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram, ſed appellaberis Abraham; quia Patrem multarum gentium conſtitui te*. Et debebimus conſequenter aſſerere, magnificari nomen *Abram*, cum addito uno charactere; videlicet, *He* (*H*) tranſivit in *Abraham*. Sed non intelligo. Potuit unica ſola litera, Magnificum hoc nomen reddere? Potuit; & rationem ſubjungo.

775. Tetragrammaton Nomen IEOVA, conſtat ex quatuor myſticis characteribus. Primus ſignificat Dei ſubſtantiam propriam, & individualem; moris enim apud Hebræos eſt per *Iod* incipere nomina propria, & Principum magnorum præcipuè. Reliquæ tres ſignificant divinas hypoſtaſes; nimirùm, *He* Patrem, & *He* Filium conſubſtantialem Patri; & *Vau* copulam connexionem, ſeu amorem Patris, & Filii; videlicet Spiritum Sanctum. Communicato igitur unico nominis divini charactere, qui vocabatur ABRAM, vocatur ABRAHAM, nomine Divinitatis characterem amplexo, atq; adeò cœlitùs magnificato.

SI STEMUS opinioni ſecundæ, reperio ſummæ eſſe Abrahamo gloriæ, quòd denominet Deum, qui Geneſeos XXIV. & ſæpè alibi, *Deus Abraham* nominatur. Vndè Rupertus *libr.* 5. *in Geneſ. cap.* 5. *Magnificatum eſt nomen Abrahæ; videlicet, cùm nomine Dei magno, & tremendo, dum per orbem prædicatur talis definitio, DEUS ABRAHAM*.

776. Et ad Auguſtiſſimum MARIÆ nomen tranſeundo, utramq; ſententiam compono, & illud *Magnificum* eſſe perſuadeo. MARIA enim *Magnifica* redditur, Verbo æterno in filium unigenitum dato. A filio habet, quòd magnificet animo ſuo Dominum; à filio, quòd ſe magnificent omnes generationes: à filio, quòd habeat nomen *Magnificum*, quod ſit ſuper omne nomen.

Si rem accuratiùs ſpeculor, Academicum eſt hoc vocabulum, & ſoli Rectori conveniens. Et colligo in rerum Vniverſitate MARIAM eſſe Rectricem, ſiquidem *Magnificæ* titulo condecoratur. Subſim igitur in Vniverſitate iſta Mundi, Virgini Rectrici Magnificæ; & ſub ejus auſpiciis *magnificet Anima mea Domino, & exultet ſpiritus meus in Deo ſalutari meo*.

MARIA
Nomen Eximium.

777 EXimii titulus Theologiæ Doctoribus debitus, fœminis univerſis negatus, Deiparæ debuit concedi. MARIA enim, teſte Idiotâ *de laudib. Virg. Matr. cap.* 3. & iterum *cap.* 5. *Doctrix*, & *Magiſtra maris* interpretatur. Cui expoſitioni conſtat ille, MARIAMq; vocat alibi, *Doctorum Doctricem*, & *Apoſtolorum Magiſtram*, quam ſæpè Eccleſia *Prudentiſſimam Virginem*, & *Sapientiæ Parentem* appellat.

Sed quando ipſa, & quantâ fuit ſolennitate ad laurea Magiſterii promota? quot fuerunt diſputationes præmiſſæ? quæ in ipſis materiæ diſputatæ?

Erat olim Zenonis Parentis Stoicorum ſententia, *Motum non dari*. Dum in ſcholaſticâ arenâ ingenio decertaret, Tharçus *dari motum* aſſumpſit; negat aſſumptum Zeno; & Tharçus, Probo, inquit, & deambulando potiùs, quàm loquendo, aſſumptum negatum demonſtravit. Nam dantur vocales actiones, quæ plus tacitæ dicunt, quàm valeant plurimæ linguæ recenſere. CHRISTI infantis præconium, ut canit Eccleſia, Infantes innocentes non loquendo, ſed moriendo confeſſi ſunt; nam imbuitur martyrium ſublimiore Rhetoricâ, & plus laudat Deum, qui tacitus pro CHRISTO moritur, quàm qui noctu diuque vociferatur. Lachrymæ taciturnæ etiam ſunt Rhetores. Ambroſius ſuper Lucam *libr.* 9. *Flevit*

amarè (nempe, *Petrus*) *ut lachryma lavarent delictum. Tu ſimiliter lachrymis dilue culpam. Non invenio, quid dixerit, ſed quòd flevit. Lachrymas lego; ſatisfactionem non lego: ſed quod defendi non poteſt, ablui poteſt. Lavant lachrymæ delictum, quod voce pudor eſt dicere, vel confiteri. Lachrymæ veniam non poſtulant, ſed obtinent.* Et Hieronymus in Epiſt. *O lachryma humilis! tua potentia! tuum Regnum! tribunal Iudicis non vereris. Amicorum tuorum accuſationibus ſilentium imponis.*

778. Hæc dixero, ut oſtenderem, ſilente etiam voce efficaciſſima poſſe argumenta depromi, & graviſſimas quæſtiones concludi. Ad MARIAM, Theologam eximiam, converto oculos, cujus vitam ſilentium perenne fuiſſe lego; tamen ter diſputavit, de originali culpâ, de Peccatis, & Gratiâ, & de Virginitate fœcundâ. Quærebatur, An-ne aliquis culpâ originali caruerit, aut carere poſſit? An detur creatura gratiâ plena? An aliqua ſumma, & quę in eminentiſſimo faſtigio ſit apud Deum? An competat, vel Maternitas Virgini, vel Virginitas Matri? Negant omnia omnes. At ſicut Tharæus movendo ſe motûs poſſibilitatem demonſtravit, ſic MARIA, ecce adſum, ait, & merâ ſuâ præſentiâ omnes has quæſtiones reſolvit. Ipſa enim ſine culpâ concipitur, ab omni præſervatur peccato, invenit gratiam apud Deum, & concipit Virgo, quem capere Cœli non poſſunt. Hæ fuerunt diſputationes noſtræ Divæ, quæ præceſſerunt Lauream. Hanc autem quando accepit? In Incarnatione Dominicâ. Audi Eccleſiam in Hymno. *IESV Corona Virginum*, ait, *Quem Mater illa concipit, Quæ ſola Virgo parturit, Hæc vota clemens accipe*. Ecce, CHRISTVS Virginum Corona, & Laurea eſt, ſed primò coronavit illam, à quâ carnem ſuſcepit, cujus paſſione potuit fideles coronare. Viles ſunt hujus mundi coronæ; imò deauratæ, & deornatæ mendaciis; & ſi eminentes viſæ, eſt eis omninò *IESVS Corona celſior, Et veritas ſublimior, Qui confitenti ſervulo, Reddit perenne præmium.* Eſt enim, ut alibi canit Eccleſia, *Deus ſuorum militum ſors, & Corona, & præmium.*

779. Igitur, Virgo prudentiſſima, veræ Theologiæ Doctrix, Verbi infiniti Parēs, Laureâ donata es, ut Eximia dicereris, & eſſes. Sub Dei Optimi Maximi auſpiciis (quod bonum fauſtumq; fuit) Promotore Gabriele Vniverſitatis ſupercęleſtis Principe ad altiſſimam Magiſterii Lauream Angelitùs evecta es. Promotionis fuit formula, *Ave gratiâ plena, Dominus tecum.* Igitur, Potentiſſima Princeps, *Sumēs illud AVE Gabrielis ore, Funda nos in pace, Mutans EVÆ nomen.* Alii Te orent divitias, dignitates, theſauros; hæc non ego. Vnicam pacem oro. Habeo hoſtes internos, & externos, & ut quieſcere poſſim; illâ indigeo, quam Mundus dare non poteſt, pace. Theologiæ Doctrix es, Doctor etiam ſum ego: at in Te ſublimes notitiæ pacem habent; & in me contra tenebras militant, & ſępiſſimè periclitantur. Deum cōcepiſti, illum concipio: ſed in Te relucet Conceptionis veritas, & in me tantùm magni Nominis umbra. *Eximius* fortaſſis dicor, quod ex imo evectus, & elatus; ignorantiæ meæ immemor, dùm aliquid me ſcire puto, ſuperbeſco. Tu in Academiâ Chriſtianâ primariam moderaris cathedram; à CHRISTO docta doces reliquos. *Diſcite à me*, ais, *quia mitis ſum, & humilis corde.* Et quia Omnipotens Deus reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc Beatam eximiamque Te dicent omnes generationes.

MARIA

Nomen Dominans.

780 EAmdem vocalem quam Hebręi vocant Cametz, ab aliis profertur ut A, & ab aliis ut O, quod etiam Syri obſervāt: Orientalioribus enim clarior prolatio placet, & Occidentalioribus obſcurior. Ab ipſis igitur ſcribitur; legitur *Morio, vel Maria*, & exponitur *Dominans.* Hinc jam intelligi poterit S. Petrus Chryſologus, qui ait, *MARIA latinè Domina nuncupatur; vocat ergo Angelus Dominam, ut Dominatoris Genitricem trepidatio deſerat ſervitutis.*

781. An dominari volam, qui potero MARIÆ ſubeſſe? Imò gliſcit animus utrumq; facere: nam MARIÆ ſervire, regnare eſt, ipſa enim nihil aliud nobis, ſervis ſuis, præcipit, quàm quòd ſimus actuum noſtrorum domini; nolimus obedire, & ſervire peccato; & paſſionibus omnibus, ab iraſcibili, & concupiſcibili ſubortis, dominemur.

MARIA

MARIA
Dei Mater.

Α'ναγραμ. *Diameter.*

782. MVlta in hoc Nomine Parthenio reperiunt, qui illud attentiùs diſcutiunt, & examinant. Divus Ambroſius ad Sanctum Idioma recurrit, & affirmat grande myſterium hoc Sancto Nomine ſignificari. Non interpretationem propugnandam, ſed ornandam, explicandamque aſſumo. Sic enim *lib. de Inſtit. Virg. cap.* 5. Archiepiſcopus Mediolanenſis; *Speciale MARIA Domini hoc nomen invenit, quod ſignificat, Deus ex genere meo.* Ecce Nomen, quod eſt ſuper omne nomen, nam ut optimè S. Bernardinus Senenſis *tom.* 1. *ſerm.* 52. aſſerit, *Majus eſt hoc donum, quòd ſit Mater Dei, quàm quod ſit Domina Creaturarum.* Et rationem apud Tertullianum *in Apolog.* reperio. *Gratius eſt enim nomen pietatis, quàm poteſtatis.*

783. Id breviter expoſiturus ſum; & quia Plato è gymnaſiis ſuis arcebat Ageometras; illos nimirùm, qui neſciebant metiri Tellurem, Ego exeſſe jubebo à meis ſcholis omnes illos, qui Cœlos neſciunt menſurare. Sol Iuſtitiæ; ut nos docet Eccleſia, eſt CHRISTVS Dominus Deus noſter. Sed quanta eſt hujus Solis Diameter? Reſpondebo anagramma myſticum conſiderando; Eſt, inquam, Diameter, *Dei Mater.* Sed quomodo? Annon lego in Prophetâ, *Fœmina circumdedit Virum?* An-non audio ab Eccleſiâ, *Quem Cœli capere non poterant, tuo gremio contuliſti?* MARIA igitur, Circulus eſt, & CHRISTVS Radius: cur ergo contrà anagrammati ſtamus, Deiq; Matrē eſſe Diametrū volumus, & eſſe globū, aut ſphæram non volumus? Multa occurrunt; ſed aliquid ediſſeram breviter.

784. In Diametro tria præcipua ſunt puncta; primum, ultimum, medium. Primum, & ultimum ſunt apud circulum, & medium in circuli centro. Poſitionem recognoſco, & multa me diſcere video. Deus eſt Sphæra, MARIA Diameter; in ipſâ tria inſtantia vitæ ſpeciali devotione contemplor; primum, ultimum, medium. In medio (hoc eſt, totâ vitâ) fuit in corde Dei, quia Deum habuit in corde; multò altiùs, & ſublimiùs Davide, de quo Deus, *Inveni Virum juxta cor meum.* In primo (hoc eſt, in ipſâ Conceptione) fuit apud Deum MARIA: in ultimo (hoc eſt, in ipſo tranſitu, & Aſſumptione) fuit apud Deum. Ideò ipſa concepta ſine labe peccatis, & in obitu puriſſimam animam egit. Dicat omnis mortalis, cùm conceptionem ſuam, vitæ primum punctum, recogitat; *In iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me Mater mea.* (*pſalm.* 50.) Dicat cum obitum, qui eſt punctum ultimum, *Quaſi putredo conſumendus ſum, & quaſi veſtimentum quod comeditur à tineâ. Quis autem mihi hoc tribuat, ut in Inferno protegas me, & abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus, & conſtituas mihi tempus, in quo recorderis mei.* (*Iob. cap.* 13. *& cap.* 14.) At Tu, Diameter optima, Dei Mater alma, primum vitæ tuæ reſpicis atomum, & ais, *In prærogativis, & virtutibus concepta ſum, & in gratiâ concepit me Mater mea.* Reſpicis ultimum, & inquis, *Corpus quod corrumpitur, aggravat Animum; & meum, quia Animum non gravat, non corrumpitur; & quia ſemper culpâ carui, furorem divinum non timeo.* Et ego Tuā Conceptionem, Tuam Vitam, Tuam Aſſumptionem gratiâ plenas conſiderans, Sanctæ Annæ obliviſci non potero, & in gaudii lachrymas devotas ſuffuſus, ſic inquam. *Deus, qui Beatæ Annæ tantam gratiam donare dignatus es, ut Beatiſſimam MARIAM Matrem Tuam in ſuo utero glorioſo portare mereretur, da nobis quæſumus per interceſſionem Matris, & Filiæ tuæ protectionis abundantiam, ut quarum memoriam pio amore complectimur, earum meritis, & precibus ad Cœleſtem Ieruſalem pervenire mereamur.* Sic legunt Ciſtercienſes in officio Parthenio.

785. Vel dicamus hanc Diametrum, hāc Dei Matrem, eſſe conceptā concipientemque, & ideò bina puncta cōtingere; quâ concipitur, Annam, & quâ concipit, CHRISTVM. Annæ gratiam copioſâ datam cęlitùs, ut MARIAM mereretur concipere, Chorus Ciſtercienſis intonuit; CHRISTVS, cùm ſit Deus, gratiâ relativâ non eguit; auderem tamen dicere, ſicut Annæ ob MARIÆ merita infuſa fuit copioſior gratia, etiā infundendā fuiſſe CHRISTO, ſi Deus non eſſet. Tanti enim gratiâ plenam Deus facit, ut omnes illos gratiâ donet, quos MARIA immediatè contingit.

Digitized by Google

Hoc ipſum confidenter meditor; & ut me illa ſuo favore, & interceſſione contingat, inſtantiſſimè deprecor. Nullîus enim cor tangere poteſt gratiâ plena, quod non donetur ſupernaturali gratiâ, quâ poſſit, ſi velit, converti.

MARIA
Mária.

786 SEd quid hoc nomen dulciſſimum ſignificat? Obvium, id eſt, deducitur enim à mari, & plurimo tempeſtatum horrore *mária* ſonat. Sed quid commune MARIÆ dulciſſimæ,amariſſimo Mári? Exponam.

Mare omnium fluviorum eſt terminus,principiumque; in illud omnes influunt,ut iterum fluant, & nos in lachrymarum valle lugemus, & noſtri luctûs fluvios dirigimus ad oceanum Virgineum,ut inde per ſecretos meatus reduces, iterum fluant. Ecce adſum Mare gratiarum plenum, peccavi,& lugere non poſſum; me non poſſe lugere,lugeo, & has primas lachrymas ad te derivo, ut illas recipias, foveaſque,& remittas ſale divinæ gratiæ tinctas, ut lachrymari incipiam, & aquis diſtillatis à corde abluere conſcientiam, & animam.

787.✠CHRISTI oculi excitandis lachrymis potentiſſimi. Si dubites tuos converte ad Petrum. Magiſtrum negat! petra eſt! Quis undas extrahere poterit ab hoc ſaxo duriſſimo? Reſpondebit Ambroſius, vel ut alii volunt Auguſtinus; imò uterque, quoniam, ut neutrîus verba ſint, eorum ſenſus,ſpirituſque erit utriuſque. *Quos IESVS reſpicit dando ſpiritum compunctionis, flent delictum.* Dedit rationem,& progreditur. *Quare flevit? quia erravit ut homo. Non invenio,quid dixerit,invenio, quod fleverit:* Non enim multis verbis indiget, qui lachrymatur: labuntur enim oculis guttæ, & ſingulæ amaritudinis internæ non modò teſtes ſunt, ſed & præcones. Subjungit ille, *Lachrymas ejus lego,ſatisfactionem non lego.* Torqueo literam,aurea enim fila eò videntur pulchriora, quò plus torquentur. Petrus dimiſit lachrymas,& ego lego,ego colligo; ut non jam proprias, ſed lachrymas Eccleſiæ emittam. An-ne condemno privatas lachrymas? Minimè;niſi fortè impedimento fuerint publicis. Gaudere cum gaudentibus, & flere jubemur cum flentibus; & me miſerum! ſingularis ſum,ego donec tranſeam.Gaudeo cum flentibus,& crudelitatem inſinuo; lugeo cum gaudentibus,& prodo invidiam; nec unquam proximum diligo ſicut me ipſum. Sed jam reformo mores meos;Petrus caput Eccleſiæ eſt; oceanos ille lachrymarum emittit; hæc eſt inundatio publica, non privata; ejus lachrymas colligam, & juſſus utar, ne ſingularis videar, ſi juſſus lugere, aut jejunare rideam, aut juſſus in Domino exultare, lachrymer. Reſumo igitur verba, quæ torſi, eademque ſpiritu communi illuſtro. *Lachrymas ejus lego*, ait S.Doctor, *ſatisfactionem non lego: ſed quod defendi non poteſt, ablui poteſt. Lavent lachrymæ delictum, quod confiteri pudet; (lachrymæ enim crimen ſine offenſione verecundiæ confitentur.) Lachrymæ veniam non poſtulant,ſed merentur. Bonæ lachrymæ, quæ lavant culpam.* Et ad rem ipſam veniens,inſit. *Vnde lachrymæ? Quia reſpexit CHRISTVS. Negavit primò Petrus, & non flevit, quia non reſpexerat Dominus. Negavit ſecundò, non flevit, quia nondum reſpexerat Dominus. Negavit & tertiò, reſpexit Dominus, & ille amariſſimè flevit.* Et concludit, dicens; *Reſpice, Domine IESV, ut ſciamus noſtrum deflere peccatum, lavare delictum.*

788.✠At ego etiam peccavi, & nondum fleo. An orabo Dominum lachrymas? Sed quâ fronte illum inimicus, & ingratus accedam? Quid faciam? Ingrediar cor altum, & ſeriò rem ipſam cogitabo.Audio fideles Chriſtianos,Cœlorum Reginæ devotos;qui ſic aſſumunt, *Ad Te,ſuſpiramus gementes,& flentes in hac lachrymarum valle, Ergo advocata noſtra illos Tuos miſericordes oculos ad nos converte.* Subinferunt, *Ergo & IESVM benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende.* Et hac ego fortiſſimâ argumentatione perſuadeor noſtras lachrymas reſpectas à MARIA nobilitari,& eo promoveri,ut etiam à CHRISTO reſpiciantur.

789.✠Huc ſpectat cujuſpiam junioris ſpeculatio, quæ prodeſſe noſtro conceptui poterit.Habet textus Syriacus.*Et converſus Dominus reſpexit Petrum* (proſpexit Petro)-----*Et egreſſus foras Petrus flevit*(mari rohith) *amarè*, vel *MARIA reſpiciente.* Ecce CHRISTVS dando auxilium excitans,& præveniens,proſpe-

Digitized by Google

ſpexit Petro; ſed quo illi modo proſpexit? conducendo ad MARIAM. Et quid præſtitit illa? Lachrymas excitatas à CHRISTO, in ignem ſuâ præſentiâ convertit,& ſuorum oculorum vi amaras reddidit.At,ut video,te moratur propriæ tenuitatis cognitio,conſcientiæ pudor, & criminum commiſſorum memoria. Sed ſi te peccatorem conſideras, oportet, ut medicinam cœleſtem non repellas. Imò perſuadente Bernardo, *Si criminum immanitate turbatus, conſcientiæ fœditate confuſus, judicii horrore perterritus,barathro incipias abſorberi triſtitiæ, & deſperationis abyſſo, MARIAM cogita, MARIAM invoca; & aliàs in periculis, in anguſtiis,rebuſq;dubiis non recedat à corde, non recedat ab ore.Hanc cogitans,non erras;rogans, non deſperas;ſequens,non devias. Hac tenente, non corruis;protegente, non metuis;duce,non fatigaris;propitiâ,pervenis:& ſic in te experiri poteris, quàm meritò dilectum ſit Nomen Virginis MARIÆ.*Ita Melleus Doctor apud Goſvinum *in Specul.*

MARIA

Α'ναγραμ.

A Rami, ſubintelligo *fructu*.

790 MARIAM, & Crucem meditor, & ſummam proportionem invenio. MARIA Crux CHRISTI fuit: Crux, CHRISTI Mater.In MARIÆ ipſe viſceribus paſſionem eam incepit, quam tandem in Calvario abſolvit. Torquebatur nondum natus IESVS patiendi dolores deſiderio; & quoniam iſtud erat vehemens, intenſiùs, quàm ſi pateretur acerbiſſimos. MARIA CHRISTI fuit Mater, à quâ natus Mundi Redemptor, fuit morti,& tormentis obnoxius: at natus myſterioſè à Cruce, jam non moritur, nec mors illi ultra dominabitur.

Cruci dicit Eccleſia.*Crux fidelis inter omnes Arbor una nobilis; Nulla ſylva talem profert Fronde,flore,germine:Dulce lignum,dulces clavos,Dulce pondus ſuſtinens. Flecte ramos,arbor alta,Tenſa laxa viſcera, Et rigor lenteſcat ille, Quem dedit nativitas;Vt ſupremi membra Regis Miti tendas ſtipite.Sola digna tu fuiſti Ferre ſæcli pretium; Atq; portum præparare Nauta mundo naufrago, Quem ſacer cruor perunxit, Fuſus Agni corpore.*

791.✠MARIÆ Ego. Tu fuiſti,Sereniſſima Princeps, prima illa, & puriſſima Crux, quam Verbum æternum incurrit.Dum fœmina eximia, ſexûs muliebris gloria, circumdabas Virum,illi eſſe in thalamo,& non in Cruce Cruci, & tormento fuit; locò enim ſolaminis, & gloriæ habuit pati pro filiis hominum.Tu es, Arbos unica,fidelis,& nobilis.Arbos quidem; reliquæ enim creaturæ,aut nullam,aut multas vitas habent, & plantæ unicâ contentæ ſunt. Ethnici, quandiu fide nudi, ſunt ſaxa, & lapides,quæ vitâ carent. Peccatores, quandiu indulgent genio,ſunt ſenſuales,& ſimiles equo, & mulo,quibus non eſt intellectus.Iuſti,etiam optimi ſunt homines; nam ſepties in die cadit juſtus,& hominum errare eſt. At Tu,quoniam viva es, cum lapidibus, & elementis cõparari non potes: quoniam pura,ſenſuum imperfectione cares: & quoniam conſtans, nec lapſui obnoxia, humanas maculas non participas, *Sed quaſi Therebinthus extendis ramos tuos; ramos ſcilicet honoris,& gratiæ. Quaſi vitis fructificaſti ſuavitatem odoris; & flores tui fructus honoris, & honeſtatis.* Et Arbos Virginea, unica, & nulli ſimilis; quam Orthodoxus Mundus *Virginem ſingularem* appellat.Arbos unica, quam poſtulabat olim Propheta Rex, dicens, *Vnam petii à Domino; hanc* (unam)*requiram.*Sed ad quid illam? *Vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ*: Ex hac enim *Arbore decorâ, & fulgidâ, Ornatâ Regis purpurâ,Electâ digno ſtipite, Tam ſancta membra tangere*, formatur illa Iacobi Scala, quâ Deus coronatus Angelis venit ad Homines, & Homo Angelis ſeptus aſcendit ad Deum. Eſt hæc,Virgo puriſſima,nobilis,& fidelis;originem reſpicit Nobilitas, & facinora propria Fidelitas. Omnes ſumus ignobiles; omnes in peccato concepti, natique, Ioannes fuit benè natus, (*Hiſp.*bien nacido) at culpam communem contraxerat; at MARIÆ originalis fuit nobilitas, & immunitas, quam actibus generoſis,cùm ætas ſuccrevit, adauxit. Cùm igitur hæc MARIÆ immaculata nobilitas ſingulariſſima ſit, meritò dicimus omnes viros egregios eſſe Arbores,at Partheniæ impares; nulla enim ſylva talem profert, ſeu agamus de Charitatis (quæ operire multitudinem pecca-

Digitized by Google

catorum aſſeritur) fronde, ſive de virtutum flore, ſive de meritorum germine. Nobis igitur, Potentiſſima Princeps, dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus exhibe. Naufragantibus nobis extrema imminebant pericula, & Pœnitentia, altera poſt baptiſmum tabula, fauſtum, & dulce lignum fuit. Dulces ſunt clavi, qui nos CHRISTO crucifixo ſuffigunt, dulceq; pondus illud, quo in Numinis amorem rapimur.

792. Igitur, Arbor alta, ſiquidem pygmæi ſumus, & gigantæa tua Majeſtas, ut Te amplecti poſſimus, flecte ramos, & IESVM benedictum fructum ventris tui, nobis poſt hoc exilium miſerabile oſtende. Per viſcera miſericordię Dei noſtri, quibus viſitavit nos oriens ex altâ (hoc eſt, ex Te) tenſa, obſecro, laxa viſcera, & gementes, & flentes exules filios Evæ ulnis miſericordiæ protege. Si cõſideres Conceptionis, & Nativitatis tuæ puritatem, fortè nos viles, humiles, & ſordidos peccatores deſpicies; ſed rigor lenteſcat ille, quem dedit Nativitas. Sol abyſſos tenebroſas illuminat, nec inficitur tenebris; tu manum peccatori porriges, nec eris obnoxia peccato. Omnes CHRISTI membra ſumus, qui de uno calice participamus: & quia ille Summus Monarcha eſt, ad tuos pedes provoluimur, oramuſque, ut tuo favore, & auxilio ſuffulta hæc Supremi membra Regis, ad te tendant Cœlitùs.

793. Orarunt olim Patriarchæ, ut viderent oculis ſuis ſalutare Dei, quod parârat ante faciem omnium populorum: lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis ſuæ Iſraël. (*Luc.2.d.29.*) Lytro egebant captivi, ſubligati peccatorum compedibus: & tamen ſola digna tu fuiſti ferre ſæcli pretium; ut redempti omnes, qui CHRISTVM primarium Redemptorem ſuſpicimus, te cultu congruo dicamus, & veneremur Redemptricem. Procellam in captivitatis oceano, tempeſtatem in miſeriarum pelago, ſœvam, perpetuam, & periculoſam fuimus paſſi. At quia Tu, Sereniſſima Princeps, ambulare cœpiſti ſuper aquas, ceſſarunt venti, & ſequuta eſt tranquillitas magna. Ave igitur, Maris Stella, Dei Mater alma, Atq; ſemper Virgo; Felix Cœli porta. Digneris igitur ſecundos Zephyros, Atque portum præparare Nauta Mundo naufrago; ut ſuperatis Syrtibus, Scyllis, & Carybdibus, ad Empyreum (hic verus omnium portus) tandem aliquando perveniat. Pyratas, & hoſtes plurimos in undoſo elemento timemus; at quia olim in Ægypto ſecura domus illa fuit, Quam ſacer cruor inunxit Fuſus Agni corpore, hodie, ut ſpero, in procelloſo hoc mundo, illa erit navis tuta, quæ Agni delibuta ſit ſanguine. Nos quidem, Angelorum Regina, ſacer cruor unxit, Te perunxit: & quia nos tametſi laverimus ſtolas noſtras, & candidas eas fecerimus in ſanguine Agni, tantùm ex parte tincti ſumus, ideò maculas, & peccata contraximus. At à Te primo anhelitu ad ultimum, à Conceptione ad obitum, totam, totam, ſacer cruor, non modo unxit, ſed & perunxit etiam, & ideò Conceptio tua *tincta* divino ſanguine immaculata fuit; tua Nativitas cruore Agni delibuta, puriſſima; Vita etiam tua hoc liquore ſuffuſa, obedientiſſima; & tuus etiam tranſitus hoc purpureo lacte, hac lacteâ purpurâ decoratus, diviniſſimus, & feliciſſimus. Vndè Sponſus contemplatus te totam, ab ipsâ Conceptione ad tranſitum, *Tota pulchra es amica mea*, ait, *& macula non eſt in te*.

MARIA

ANAGRAMM.

A mirâ. A mari.

794 TE à mari culparum antequam ingredereris favore præventionali ereptam, dicam *Miram*, an *Myrrham*? Sed quia Miram frequentiſſimè dixero, nunc Myrrham dicam, ſequutus Epiphanium. Ait enim *ſerm. de laudib. Virg. Mariæ. Nomen MARIA interpretatur Myrrha maris*. Illam non ſolùm *Myrrham* Eccleſiaſticus, ſed etiam *electam* appellat, datur enim Myrrha, quæ, nec electa eſt, nec cum Angelorum Regina comparanda. Sic lego. *Sicut Cinnamomum, & balſamum aromatizans odorem dedit, quaſi Myrrha electa dedit ſuavitatem odoris*. *Eccl.* 24. *b.* 20.

Myrrha igitur, ut conſtat Plinio *libr.* 12. *cap.*15. *&* 16. eſt Arabiæ arbos, è cujus cortice defluit lachryma, quæ & ipſa *Myrrha* vocatur, & mortuorum cadavera incorrupta conſervat. Ab Hebræis *Mor* dicitur; unde

Digitized by Google

de nomen *Mos moris*, aut etiam *Mors mortis* exortum meritò ſuſpicaremur.

Et quidem, ſi rem bene conſiderem, MARIA Myrrha eſt, CHRISTVS Myrrha. Illa, Arbos; hic ejuſdem Arboris lachryma: qui enim ratione generationis æternæ eſt Deus de Deo; Lumen de Lumine, ratione temporalis Fructus de Plantâ, lachryma de Arbore, Myrrha de Myrrhâ eſt.

Hinc jam intelligo Spiritûs Sancti illa verba, quæ frequentiſſimè reſumit Eccleſia; videlicet: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*. Pone corpus immerſum Myrrhæ, & corrumpi non poterit: Pone animam immerſam CHRISTO, & corruptelę, & culpę neſcia ęterna erit.

A Myrrhæ nomine deduximus *Mortem*, & *Morem*, quoniam boni mores, & bona mors ſunt affines, & in Myrrhæ ratione conveniunt. Conſultus Auguſtinus, An mors ſubitanea ſit mala? Mortem non eſſe malam, ait, ſi bonam ipſa vitam, & bonos mores ſubſequatur. Quos habeas, rogo, laſcivos, molles, dulces? ergo in ipſis peccati alitur vita, non mors. Habes amaros, regulares, ſeveros? ergo dum mortificas corpus, ut moriaris peccato, condis contritionis Myrrhâ animum, ut à corruptione præſerveris.

795. Macte igitur animo, Candide Lector; ſi careas lachrymis, MARIAM accede, illamque ora, ut ſuam lachrymam pretioſiſſimam tibi communicet. Ejus lachryma eſt CHRISTVS, Verbum æterni Patris, quo ad Cœlos ducimur. Ne dicito, *Hic ſermo eſt durus, hoc eſt verbum amarum*; ægrotas enim, & in medicinâ non quæritur dulcor, ſed ſalus; non ſuavitas; ſed mera ſanitas. Quod ſi quæratur etiam ſuavitas, cum pro æternâ ſalute toleratur, afflictio dulcis eſt, dolor ſuavis, amaritudo mellea, rigor benignus; omnis enim pro Deo ſuſcepta mortificatio recreat, rigor fovet, & auſteritas favit.

MARIA

ANAGRAMM.

I arma, hoc eſt, *Ito ad arma*, aut *Ito & armato.*

796 *Terribilis ut caſtrorum acies ordinata*, Cœlorum Imperatrix dicitur; & ſiquidem coram acie ſumus, dum linguâ invocamus MARIAM, mente vertamus nominis fortiſſimi literas, & iterum, iterumque *Arma*, & *Arma* dicamus. Ad arma, ad arma, Orthodoxi Chriſtiani, hoc eſt, ad MARIAM; quotquot enim eâ carent, inermes ſunt; & quotquot non carent, armati.

Igitur, Devoti Auditores, *abiiciamus opera tenebrarum, & induamus arma lucis, ſicut* (ut ſic) *in die honeſtè ambulemus*. Id nos docet Apoſtolus *ad Rom. 6.* cujus verba ſingulatim exponam. Opera tenebrarum ſunt culpæ; & quia fruſtra victoriam ſperaret Pugil catenis, & compedibus obrutus, vos culpas, quibus concatenati eſtis, abiicite, & expediti in arenam intrate. Arma Lucis induite. Quæ tamen arma? cujus Lucis? An Lux indicet, aut utitur armis? Lux, de quâ in præſentiarum, CHRISTVS eſt; qui meritò ab Ambroſio dicitur, *Splendor paternæ gloriæ, De luce lucem proferens, Lux Lucis, & fons luminis, Diem Dies illuminans*. Hæc divina Lux, cùm induit fragilitatem noſtram, armis qui ſe muniret, non eguit; nam à Divinitate protecta debuit hoſtium inſultus ſuperare. At quia nos nudi eramus, & perpetuò debebamus confligere, nobis arma providit, (MARIAM intelligo) quibus tecti, protecti; quibus veſtiti, muniti; quibus induti, tuti.

797. O mi Deus, quàm altè nunc intelligo illud civile Axioma; *Silent leges inter arma*. Ethnicè ipſum pro Milone expoſuit olim Cicero; illud ego Chriſtianè. Peccavimus, Domine Deus, in Patribus noſtris originaliter; cum Patribus noſtris actualiter; injuſtè egimus, quia contra Te; iniquitatem fecimus; quia contra Proximos. Læſæ ſunt Leges Divinæ Humanæque, nos reos inclamant, & dignos pœnâ æternâ pronunciant. At nos Lucis Arma appellamus. An-ne à Lege Divinâ appellari permittitur? an-ne armorum ſtrepitus in appellatione toleratur? Hæc ſunt Armorum Lucis, hæc MARIÆ, hæc CHRISTI ſtupenda miracula. Clamant Iura, & polaria, & politica; à nobis læſa, à nobis fracta. MARIAM inclamamus, Miſericordiæ Matrem; ipſa CHRISTVM, hoc eſt, Miſericordiam. Nos arma-

mamur Virgineo Patrocinio; & his armis tantus excitatur ſtrepitus, ut leges audiri non valeant. Silent igitur, dum arma clamant; clauduntur ora Iuſtitiæ etiam Divinæ, appellatur Clementia, Miſericordia loquitur, & hæc ſola auditur inter Lucis Arma.

Lucis arma indui, & ſtatim ſenſi intellectum meum, & illuminatum, & armatum: jam clariùs fortiùs, & ſecuriùs diſcurro; jam altè intelligo illa verba, *Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti (& volentes) rapiunt illud*. Cœlum, aliàs inexpugnabile, neſcit reſiſtere armis Lucis, MARIÆ verbis. Verbo Deus Cœlum condidit, Verbi virtute illud MARIA promeruit, nobis Verbi miſericordia illud aperit, ut triumphantes intremus. Violentia infertur naturę, ſed nihil violẽtũ eſt volenti, nihil arduum armato, nihil invium conducto, nihil periculoſum homini à Principe Angelorum protecto.

MARIA

ANAGRAMM.

I aram.

798 PIngebant veteres Ægyptii in hieroglyphicis omnes paſſiones, & virtutes; & inter ipſas ſummam Animi demiſſionem, & reſignationem ſpecie bovis inter aram & aratrum medii cum hoc lemmate, *Ad utrũq; paratus.* Et Ego, quoniam in Ezechiele *c.* 1. *&* 10. legi boves converti in Angelos, nolo cum Leone ſuperbeſcere, nolo cum Aquilâ ſupervolare, nolo cum homine nimiùm diſcurrere, cùm agitur de vitâ æternâ, quæ humiliter deſcendendo, & captivando intellectum adquiritur. Bos ſum inter aram, & aratrum, inter Mariam, & Martham, inter Contemplationem & Actionem poſitus; & quò me convertam ignoro. Conſulo Cœlites, & *I ARAM* dicunt, & ne deviem, aut errem, grandi *ARÆ* nomine MARIAM intelligunt, MARIAM exponunt. An-ne *MARIA* eſt ara? Aſſertivè reſpondeo; & illi approprio pulcherrima Naſonis *Faſt.* 5. carmina. Sic inquam.

Nos quoq; tangit honos, feſtis gaudemus & aris,
Turbaque Cœleſtes ambitioſa ſumus.
Sæpe Deos aliquis peccando fecit iniquos,
Et pro delictis hoſtia blanda fuit.
Sæpe Iovem vidi, cùm jam ſua mittere vellet
Fulmina, thure dato ſuſtinuiſſe manum.
At ſi negligitur, magnis injuria pœnis
Solvitur, & juſtum præterit ira modum.

Authoris mentem non examino; verba retineo; meam propono. Angelos omnes ſuæ Reginæ ſervire video, aut invideo; & quia æmulor Dei æmulatione, nomine Mortalium ſic eloquor.

799. Regnatis Cœlites, quia Regum Reginæ ſervitis; *nos quoq; tangit honos*, volumuſq; exemplo veſtro Virgini divinæ famulari. Ejus *feſtis gaudemus*, & ſolenni apparatu multas quotannis celebramus. Et quia ipſa non ſolùm ſimplex, ſed multiplex ara eſt, gaudemus *arâ & aris.* MARIAM ardemus, ut in MARIA ardeamus, & holocauſti inſtar conteramur in cineres, & ſicut incenſum in conſpectu Domini aſcendamus ad Cœlos. Sanè vulgus empyrea amans, *turbaque Cœleſtes ambitioſa ſumus*; & hæc ambitio bona eſt, & Mariano patrocinio fovetur. *Sæpe Deos* humanos (Reges, Principes) *aliquis peccando* (imò & ſępe precando) *fecit iniquos*; crebrò enim peccata obſequia reputant, crebrò preces injurias; quoniam iniqui ſunt, & ut faveant fato aut caſu, non virtute moventur. Sæpe apud Cæſares habita pro ſceleribus obedientia, & ſinceritas, *& pro delictis hoſtia blanda fuit.* At omnia aliter habentur apud Deum. Iuſtus eſt, & univerſis ſtipendia meritorum largitur; punit peccata, & virtutes coronat. *Sæpe Iovem* (Ieovam) *vidi, cùm jam ſua mittere vellet Fulmina*: & quia *ARA* hæc Parthenia cœpit teneri à peccatoribus, ornari floribus, rigari lachrymis, flammis charitatis ſuccendi, vidi etiam Deum auro devotionis oblato, myrrhâ mortificationis poſitâ, & orationis *thure dato, ſuſtinuiſſe manum*. Curanda eſt omninò pœnitentia, altera poſt baptiſmum tabula; *nam ſi negligitur, magnis* (imò æternis) *injuria pœnis ſolvitur*: & tamen, quia Deus, cùm iraſcitur miſericordiæ recordatur, *juſtum præterit ira modum*: nam ſi in aliquâ actione, etiam malâ, aut modus agendi ſit bonus, aut aliqua circumſtantia honeſta, hanc ira præterit; non enim ſub Deo juſto, vel unica formalitas bona punietur, vel unica coronabitur mala.

MARIA

MARIA

Α'ναγραμ.

Mì ara, id eſt, *Mihi es ara*.

800 NOn poſſum ab Arâ hac Virgineâ diſcedere, libenter ardeo. Sic aliis, Angelorum Regina, Vita, Dulcedo, Spes; mihi eris omnia, modò mihi ſis Ara. Et vos Mortales Silium 12. Bell. Pun. audite, & intelligite utiliore conceptu, ait ille.

Ferte. Modo & tepidos Ara libato cruores.

Ferte, afferte, auferte. Feretis proximos, ſi alter alterius onera portetis; feretis grata munera, ſi voluntatem reincidendi auferatis. Sed quid debetis conſecrare? Sanguinem; imò ſanguines etiam: multis enim vinculis ſanguis obſtringit hominem, & hæc omnia debent Deo conſecrari. Dixit CHRISTVS, *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, vel ſorores, vel Patrem, vel Matrem, vel Vxorem, vel filios, vel agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit*. Et vos dicitis; Nexu ſanguinis ſtrictiſſimo tenemur Parentibus, fratribus, filiis; & quia poſſeſſiones ſunt media, quibus ſuſtinetur familia; etiam domibus, & agris egemus; at tepida ſunt ſanguinis omnia iſta vincula, & illa ARÆ, & MODO libamus: hoc CHRISTO, & MARIÆ.

An-ne CHRISTVS eſt Ara; MARIA Modus? Maximè. Primò enim, Crux eſt ara, & Crucifixus victima, quæ in ipſâ Parenti divino immolatur. Eccleſia in Hymno. *Chriſto canamus Principi, Cujus corpus Sanctiſſimum In arâ Crucis torridum Cruore ejus roſeo Guſtando vivimus Deo.* Secundò, in CHRISTO crucifigimur, & tunc ipſemet eſt Crux, nos ſuffixi; ipſe eſt Ara, nos victimæ dicatæ Deo. Tertiò, Virgo Mater eſt Ara, in quâ noſtræ incenduntur preces, ut non jam tepidæ ſint, ſed ferventes. Vnde Eccleſia Deo; *Quam magnificata ſunt opera tua Domine*; & inter alia quàm eminens illud, ob quod dixit MARIA, Magnificat Anima mea Dominum. *Omnia in ſapientiâ feciſti; repleta eſt terra*. Sed quæ terra? illa, de quâ dicitur, Aperiatur terra, & germinet Salvatorem: illa, quæ eſt plena gratiâ, repleta Deo. Illa, quæ noſtras preces ſuſcipit, fovet, & igne charitatis ſuſcendit. Igitur, *Dirigatur Domine, oratio noſtra, ſicut incenſum in conſpectu tuo.*

801. Sed uter eſt modus alterius? CHRISTVS MARIÆ, an MARIA CHRISTI? Multi, ut Modi eſſentiam circumſcribant, confugiunt ad abſolutam Dei omnipotentiam, illumque eſſe Modum affirmant, ſine quo res poteſt, & ſolet eſſe, qui ſine re eſſe, nec divinitùs poteſt. Nos hic mitiùs, & temperatiùs, ordinariam poteſtatem urgebimus, præſcindemus ab extraordinariâ. Et quia docet Oviedus contr. 6. pūct. 6. n. 4. creaturas eſſe modos extrinſecos Dei, dicam primò, CHRISTVM eſſe Modum Deiparæ; ſecundò aliter urgebo conceptum, & aſſeram Deiparam eſſe CHRISTI modum.

MARIA quindecim annis CHRISTO antiquior, de facto ſine CHRISTO fuit, CHRISTVS ſine MARIA nunquam fuit, nunquam erit; ergo, ſi ſanguinem tepidum libare jubemur Modo, & Aræ, tenemur libare CHRISTO, & Virgini, nam CHRISTVS eſt Virginis Modus. Cicero de Oratore. *In omnibus rebus videndum eſt quatenus. Et ſi enim ſuus cuique modus eſt, tamen magis offendit nimium quàm parum*. Et Poëta vetus, *Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines.* Omnis igitur homo ſuum modum habet, ſuam legem, ſuam regulam, ad quam omnes vitæ actiones elîmat: alii nimietate, alii avaritiâ peccant; virtus in medio eſt, hoc eſt, in CHRISTO. quoniam

Latrones inter Salvator quando pependit,
Aut nunquam, aut virtus tunc fuit in medio.

Apud nonnullos vitæ modus eſt præcipitatio, prodigalitas, furor; apud alios timor, tenacitas, & puſillanimitas; at apud Beatam Virginem vitæ modus fuit CHRISTVS. CHRISTO enim concepta, CHRISTO nata, CHRISTVM concepit; CHRISTVM peperit; eidem vixit, eidem obiit, ad eumdem abiit, & cum eodem regnat in ſæcula.

802. Vel dicamus MARIAM eſſe Modum CHRISTI; hunc ſine illâ eſſe nolle, iſtam non poſſe. Video illam ſine filio à quopiam juniore Apelle pictam; at ſubiratam audio; &, ni fallor, hæc verba,

Neſcio cur Matrem ſine Gnato pinxeris: eſſe
Nam ſine me potiùs, quàm ſine prole queo.

O Igi-

Igitur CHRISTI Modus eſt, quæ ſine CHRISTO eſſe non poteſt.

MARIA

Α'ναγραμ.

Mì ara, hoc eſt, *Mihi arato*.

803 PEccarat Adam; & illi Deus jus dicit, ſententiamque miſericordiâ plenam affert. *Quia audiviſti vocem uxoris tuæ, & comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo; in laboribus comedes ex eâ omnibus diebus vitæ tuæ. Spinas, & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ. In ſudore vultûs tui veſcêris pane, donec revertaris in terram, de quâ ſumptus es; quia pulvis es, & in pulverem reverteris*. Relego illa verba, *In ſudore vultûs tui*, & CHRISTVM eſſe hominum caput meminero, & admiror ſummam Dei juſtitiam, ſummâ clementiâ temperatam. Ergo in ſudore CHRISTI, ô homo, veſcêris pane; videlicet ſupereſſentiali; qui *Panis Angelorum* aliàs dicitur, & Cœlitibus datur. O quantum CHRISTO, ô quantum CHRISTI Matri debemus! Inſudat noſtræ ſaluti ille; vomere illa clementiæ in noſtris animis Agni characterem exarat; implantat excellentes virtutes, & patrocinii vi tandem nos conducit ad gloriam.

MARIA

ANAGRAMM. *Ramia*.

804 DEcem ſunt Regna, quæ Vngaros Monarchas coronant; *Hungaria*, *Dalmatia*, *Croatia*, *Sclavonia*, *Boſnia*, *Lodomeria*, *Galatia*, *Bulgaria*, & quas ultimo loco, ut exitus cæteras probet, enumerare volui, *Servia*, & *Ramia*.

Te, Ramiam afflictam, & invaſam conſpicio; & condoleo. Laboras religione, & fide. A Mahomethanis, Calvinis, Lutheranis, Anabaptiſtis, & aliis hominum monſtris occuparis; ne tamen deſponde animo, nam MARIÆ nomen potentiſſimum, & puriſſimum eſt, & MARIA variato ordine characterum eſt RAMIA. Non potes recordari tui, quin MARIÆ. Ejus nomen thaumaturgum habes; confuge ad Virginem provinciali nomine ſignificatam. Congrega fideles paucos tuos, & præcipe, ut ad MARIÆ genua provoluti, ſic orent. [*Cunctas hæreſes ſola interemiſti*; & noſtra Patria ſola, veteres juniores, cunctas habet: illas interime, illam tuere; & *Dei Genitrix intercede pro nobis*.]

MARIA

ANAGRAMM. *Arimâ*.

805 HOminum alii navigant, alii iteragunt, alii denique volant. *Vadunt de virtute in virtutem*, & omnes ad Cœlum anhelant. Nant Sæculares, navigant Religioſi; iteragunt Activi, & Contemplativi ſupervolant. Et quidem omni ſervata proprietate, Angelorum Regina eſt tutiſſimus navigantibus Portus, pervia iteragentibus porta, & volantibus feneſtra patula. Si navigemus, aut natemus, dicamus, *Ave Maris Stella; Dei Mater alma, Atque ſemper Virgo, Felix Cœli Porta*; aut ſtando Maris, & Stellæ metaphoræ, *Felix Cœli Portus*. Si curramus, dicamus Mundæ; *Tu Regis alti Ianua, Et Porta lucis fulgida*; dicamus Mundo, *Vitam datam per Virginem Gentes redemptæ plaudite*. Si ſupervolemus, dicet Propheta, *Qui ſunt iſti, qui ut nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas*, hoc eſt, ad unicam feneſtram, quæ eſt tanta, ut nomine plurali ſit digna. Et nos Deiparæ, *Quod Eva triſtis abſtulit, Tu reddis almo germine: Intrent ut Aſtra flebiles, Cœli feneſtra facta es*.

806. Sed nos miſeros! ſe nobis opponunt noſtræ culpæ; claudunt maria, portus, portas, feneſtras, januas. Et dum Iuſtitiam fuiſſe læſam inclamant, & nos reos mortis ſempiternæ pronunciant, Cœlum clauditur. An excluſi manebimus? An-non aliqua rima intererit, per quam influere in Empyreum poſſimus? Intererit. MARIÆ enim ex privilegio convenit eſſe Cœlorum portam, & privilegia tolli poſſunt; & quæ non tolluntur, cum poſtulat æquitas, & ratio ſuſpenduntur. At eſſe MARIAM, aut eſſẽtiale aut propriũ eſt; & eſſentia, & proprietas rei cõvenit toti, ubique, & ſẽper, MARIA à RIMA deducitur; ergo, quibus MARIA adſit, etſi claudãtur Cęli, aliqua ſaltẽ RIMA, quâ poſſint introduci, non deerit.

MARIA

MARIA

ANAGRAMM.

A Mari.

807 A mari eductam matrem turpis dilectionis fabulatur antiquitas,quam dixit Venerem, & tam immundam finxit, ut prudentiùs taceatur,quàm moraliter dilucidetur.Vndecumq;illa Divinitas ficta,fuerit orta, MARIAM,Matrem pulchrę dilectionis à mari eductam certum eſt. Sed cur non à terrâ, ſed à mari?

Quia nulla eſt Cœli,& terræ vicinitas;ſumma maris,& Cęli cognatio.Cęlum enim oceanus eſt æthereus, & oceanus æther quidam marinus eſt. Aquis Mare componitur, aquis Supremum Cęlum:unde in cantico non ſolùm ſublunares,ſed & aquę,quæ ſuper Cęlos ſunt, jubentur benedicere Domino.Terra corrumpi debet,& homo in iniquitatibus cōceptus,terra eſt,& in terram ibit; at MARIA aqua eſt,& in aquam ivit. Aqua eſt elemētaris,à quâ omnia, & per quam omnia impetrata nobis ſunt, & ſine quâ impetratum eſt nihil: ab aquis illa ivit ad aquas; à terreſtribus ad cæleſtes,ab inferioribus ad ſuperiores,& ab imis ad ſummas, Terra,Cęlumq;differunt toto cęlo:atque adeò nos,qui ſumus terra,maximis gratiæ machinis indigemus,ut ad Empyreū transferamur.Terra innatâ ſibi gravitate centrū poſtulat, & homo,quia terra eſt,habet corpus,quod corrumpatur, & aggravet animum,& originalis peccati innatâ gravitate ad centrum,ſeu infernum cōferat. At MARIA,Aqua myſtici oceani cōſubſtantialis aquæ cęli,quaſi violentiam patitur,& ad Cęlum anhelat.Non habet originalē culpam,ob quā debeat potiùs turbari in terris, quàm in cęlis requieſcere: & ideò MARIA,à mari moraliter educta dicitur, quia forma eſt educta ex aquarum potentiâ, ipſas aquas nobilitans,& terrenas cœleſtibus ſuâ aſſumptione conjungens.

808.✠Tandē in Cęlis reſidens demonſtrat hęc duo nomina *Aqua*, & *Vnda*,appoſitiſſimè ſibi eſſe impoſita. *Aqua* vocatur,à quâ omnia, & *Vnda*,unde omnia: & ſiquidē omnia dona, quæ cœlitùs nobis infuſa,à MARIÆ patrocinio proveniunt, ipſa eſt *à quâ* favores immortales recipimus; & ipſa *unde*, quòd receptos non perdamus,habemus.

Vt igitur,Auditores devoti,omnia,quę hucuſq;dixi, ad unam,vel alterā periodum redigam;PRIMO adimpleamus,quę deſūt Paſſioni IESV-CHRISTI. Sed quid deeſt CHRISTI pretioſiſſimo ſanguini?Patrocinium MARIÆ.Id enim in quamplurimis deficit,& ejus defectus multum officit,ne lavēt ſtolas ſuas,& candidas eas faciant in Agni ſanguine.Dantur principales,& inſtrumētales cauſę;& ſi Prędeſtinationem ego noſtrā primariò, & principaliter adtribuam CHRISTO,& Deo, ſecundariò, & inſtrumentaliter Deiparæ, à me ſtabit Alanus,qui ab eâdem Sereniſſimâ Cæli Reginâ hanc Summæ Theologiæ Deciſionem audivit.*Secretum jam pandam tibi Divinæ Providentia*,ait MARIA Alano,*Scias enim & ſecurè intelligas, quod inde aliis latè patefacias; quòd videlicet ſignum probabile eſt, & propinquum æternæ damnationis horrere,& attædiari, & negligere ſalutationem Angelicam, totius Mundi reparativam: habentibus verò devotionem ad hanc,ſignum eſt Ordinationis,& Prædeſtinationis permagnū ad gloriam.*Sic habes apud Alanum *lib.de Pſalt.Virg.cap.* 11.Cōſonat Pomerius Marianus *lib.* 12.*art.* 1.inquit enim,*Servire MARIÆ,eſt certiſſimū ſignum ſalutis æternæ conſequēdæ.*Clariùs S.Catharina Senēſis *tract.* 4.*cap.* 139.cui æternus Pater,*MARIÆ, Unigeniti Filii mei Genitrici conceſſum eſt à Bonitate meâ,propter Incarnati Verbi reverentiam,quòd quicumq; injuſtus, vel peccator, qui recurrit ad eā devotâ reverentiâ,nullo modo diripietur,vel devorabitur ab infernali Dæmone.Nam ipſa eſt à me velut eſca dulciſſima, collocata, & electa, pro capiendis hominibus, & animabus præcipuè peccatorū.*Et Doctor Seraphicus *in Stimul. Div. Amor. part.* 3. *cap.* 19. *Verè Domina, Regina es miſericordiæ,quia non eſt in hac vitâ, ſic deſperatus, ſic miſer, cui non impetres miſericordiam Salvatoris, ſi ad tuum reclinabit regimen.* Et Melleus meus Bernardus *ſuper Salve Regina* rationem ſuggerit, *Convenienter*,inquit,*vocatur Regina Miſericordiæ, quòd divinæ Pietatis abyſſum, cui vult, & quando vult, & quo modo vult, creditur aperire; ut quivis enormis peccator non pereat,qui Sancta Sanctorum patrocinii ſuffragia præſtat.* Si hæc vera: immò, quia omnia vera, cum Sancto Antonino *part.* 4. *t.* 15. *cap.* 15. §. 7. confidenter exclamo,

Digitized by Google

Impoſſibile eſt, quod illi à quibus MARIA Virgo oculos ſua miſericordia avertit, ſalventur. Et neceſſarium eſt, quod hi, ad quos convertit oculos ſuos, pro eis advocans, juſtificentur, & glorificentur.

809. SECVNDO tandem, Auditores devoti, adimpleamus, quæ deſunt Patrocinio Deiparæ. Sed quid deeſt Marianæ Interceſſioni inſtantiſſimæ, potentiſſimæ, efficaciſſimæ? Quod Martyrum, & Confeſſorum patrocinio. Auguſtinus *ſerm. 30. de Sanctis. Nos verò, Fratres dilectiſſimi, ſi ad conſortium Sanctorum Martyrum pervenire volumus, de imitatione Martyrum cogitemus. Debent enim in nobis aliquid de ſuis virtutibus recognoſcere, ut pro nobis dignentur Domino ſupplicare.* Igitur, ſi noſtram vitam ad Marianam formemus; ſi ita vivamus, ut in nobis ſuas ipſa virtutes recognoſcat, adimplebimus, quæ deſunt Triumphantis Orationi MARIÆ; ipſa, quos ſibi ſimiles eſſe viderit; non amare non poterit, nec valebit non velle ſalvari, quos amat; nec perdi poterunt, pro quibus orat ipſa, ne pereant. Sic faciamus, obſecro; & à Domino principaliter, & à Dominâ inſtrumentaliter ad Empyreum evecti (quod opto, quod ſpero) tandem aliquando triumphabimus.

PERORATIO.

810 ET ſiquidem Orationis excurſu MARIAM terris aſſumptam Cœlos intuli, ad inferiora nec illam reducam, nec regrediar. Vos ad Cœlum invito, & tranquillo eſſe animo, & ſpiritu mando. *Advocatam (ſer. de Aſſumptione)* ait Bernardus, *præmiſit peregrinatio noſtra; quæ tanquam Iudicis mater, & mater Miſericordiæ, ſuppliciter, & efficaciter ſalutis noſtræ negotia* (non tractabit ſolummodò, ſed etiam omninò) *pertractabit. Pretioſum munus terra noſtra direxit in Cælum, ut dando, & accipiendo felici amicitiarum fædere copulentur humana divinis, terrena cæleſtibus, ima ſummis. Illò enim aſcendit fructus terræ ſublimis, unde data optima, & dona perfecta deſcendunt. Aſcēdens ergo in altum Virgo Beata, dabit ipſa quoq; dona hominibus. Quid ni daret? Siquidem nec facultas ei deeſſe poterit, nec voluntas.* Sed quæ dona? Cœleſtia. Hæc ambio, hæc totâ voluntate deſidero; hæc Beatæ Virginis interceſſione placatus concedat nobis Trinus, & Vnus Deus, qui vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum: Amen.

FINIS.

Digitized by Google

AD LAVDEM

S. TERESIAE VIRGINIS

CARMELITARVM EXCALCEATORVM

FVNDATRICIS.

ORATIO

Habita fuit Neapoli coram Eminentiſſimo Principe D. Paſchale Aragonio, Cardinale-Prorege: die XV. Octobr. M.DC.LXIV.

THEMA.

Ecce ego creo Cœlos novos, & Terram novam. Iſaias 65. 17.

PEteret hodie, cùm feſtivitas, tum ſolennitatis apparatus non haberi Concionem: ubi enim argumentum eſt eloquentiâ & rhetoricâ majus, optimè pexum Panegyricum ſilẽtium eſt. Multum dicere ſolet,qui parum loquitur; multum aliquando,qui nihil.Vel dicite.Quid in mundo excellentius ſublimius-ve quàm Eſſentia Divina? & quis nobiliori intellectu præditus, quàm Perſona Divina; illa, à quâ omnis Paternitas denominatur? Debuit autem hæc ſuæ infinitæ naturæ imaginem infinitam exprimere, & totâ æternitate tantummodò dixit unum Verbum, quo ſe totum expreſſit.

Voluit & Deum depingere Propheta Rex; & ſumptæ lyræ chordas temperans cecinit. *Te decet hymnus Deus in Sion*. Noto illam vocem *Hymnus*. non enim ſolam narrationem continet,ſed laudem cum gloriâ conjunctam. Et qualis,quæſo,hic Hymnus fuit?Silentium; nam poſuerat Hebræus, *Te decet ſilentium Deus in Sion*.Ac ſi dixerit David. [Audax fui, cùm infinitam Numinis gloriam celebrare decrevi.Interim exſequar intentum: ſed quomodo?Deponam inſtrumentum, & digito ori admodo,quem verbis neſcio, alto ſilentio venerabor.Tacebo igitur;quoniam,ſi putant homines Deum ſe poſſe celebrare condignè,delirant lyræ, & barbiti optimè temperatæ ſunt barbaræ: tunc fides carent fide, [*y las cuerdas mas finas y ſutiles ſon necias*:] puncta & notæ ſunt maculæ,literæ ſunt lituræ;penna,quâ delineantur,pœna:penniculus, ſcopa [Hiſp.*broche*] & altiſſimus Diſcantus eſt Baſſus. Dicam igitur, *Te decet ſilentium Deus in Sion*, nam ut te celebrem,nulla nobilior Muſica ſilentio eſt.

Iam percipitis, quò me provehit Spiritus. Habeo ob oculos Dei perfectam imaginem, quam dignè deſcribere,ſupra eloquentię vires eſt: nempe, Virginem ſanctiſſimam puriſſimamque: in quam tantùm non prodigâ liberalitate Divina Amalthæa gratiarum & charitum cornu-copiam profudit. Tereſiam, inquam; creaturam tam mirabilem, ut præſcindendo à ſupernaturalibus dotibus & prærogativis,ſi tantùm dona naturalia (vivacitatem intellectûs,ubertatem memoriæ, & efficaciam voluntatis) conſideremus, debebimus dicere

Digitized by Google

ſuiſſe mundi prodigium: & convertendo ad eaſdem cœleſtes & ſupernaturales dotes oculos, debebimus neceſſariò fateri humana ingenia coram tanto Sole eſſe nocturnas aves.

Et quidem, ſi verum eſſet illud Ariſtotelis Dogma, quod ſtatuit, Mundum fuiſſe ab æterno: & in hoc mundo æterno fuiſſem primus homo, impenſo æterno tempore, decircinaviſſem has periodos, & uno tantum verbo, ſed æterno, prolato, puriſſimè hujus Virginis gratias & virtutes deſcriberem.

Et, ſi meam auderem tenuitatem cum Davidis majeſtate componere, virtutes, quibus Tereſiam condecoravit Deus, in his, quæ non dicturus ſum, comprehendi non poſſe ſupponens; nec poſſe in his, quæ eſſem dicturus inferens, ori digito ad noto, vel omninò tacerem, vel tantum dicerem, *Te decet ſilentium Domina in Sion*. politiori dilaudari panegyri non potes, quàm ſilentio.

Verum enim verò, cùm loquuturus ſim, nec tacere libet, nec omnes Tereſiæ virtutes licet ad unicum verbum reducere. Conabor ergo ſaltem paucis verbis complecti gratias multas. Vnde, quia perpendere gratias nemo abſq; gratiâ poteſt, ad gratiâ plenam Angelorum Imperatricem recurramus; &, ut illius potentiſſimo interventu gratiam à Numine impetrare poſſimus, humilem devotumq; libellum genuflexi offeramus, dicentes, *Ave Maria*.

THEMA. *Ecce ego creo cœlos novos, & terram novam*. Iſaias cap. 65. 17.

NON eſſet magnus mundus, niſi de ejus magnitudine ageret, & diſputaret totus mundus. In ejus centro tellus reſidet: circumfuſa undis, aëre circùmdata: nam ignea regio, tametſi præſcripſerit in Peripatu, jam evanuit. [*tan alta la puſo Ariſtoteles, que ſe deſuaneciò de ſoberbia*:] ut minimum lyncei illam Iuniorum oculi non percipiunt. Elementorum horum maſſa, eſt cordi cœlo æthereo, quod pectunt ſuis circulis Sol, Luna, & cæteri globi inconſtantes, qui vocantur Planetæ. Supereſt Firmamentum cælatum fixis lucibus & conſtellationibus imaginatum.

Sed, amabo, quanta eſt mundialis machina? Tychone Brahæo nemo parcior: nam quatuordecim millibus ſemidiametris terræ hanc diſtantiam exæquat. Ego decuplò majorem ſtatuo: alii aliter philoſophantur. Ergo (Domini mei) machina mundialis eſt res magna. Sed erramus, & præjudiciis diludimur, nam eſt res parva. *In homine carnali,* inquit Divinus Doctor ſerm. 147. de temp. *tota regula intelligendi eſt conſuetudo videndi*. Et quidem obtinuit conſuetudo, ut Ægyptias Pyramides, Coloſſum Rhodium, Babylonica mœnia, Cretenſem Labyrinthum, Mauſoleum Nini, aut etiam Amphitheatrum Romanum mundi miracula fuiſſe dicamus: & quia moles iſtæ, tametſi gigantes opinione communi, cum cœlis collatæ ſunt pygmææ, oceano admirationum naufragi exclamamus, *Res magna eſt mundus*: & tamen totus quantus eſt, res eſt parva. Non enim effectus cum alio effectu componi debet, ſed cum cauſâ. Cum autem Cauſa cauſarum, quæ prima dicitur, & cœlos condidit, ſit infinita; totus mundus corporeus, cum illâ collatus eſt res parva.

Hoc conceptu præventus erat Rex Propheta, cùm dixit, *Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum; lunam & ſtellas, quæ tu fundaſti*. Non-ne vidiſtis aliquando cogitabundum Principem, qui clavim verſans digito, circulos in aëre deſcribit. Liberè motat digitum, ſed aliam nobiliorem curam volutat capite. Ecce hieroglyphicum Immenſi Opificis. *Opera digitorum ſuorum ſunt cœli*. Facilius Summo Numini fuit cœlum & terram condere, quàm mihi digitum hunc movere. At quando mundum ille condidit, cogitabundo ſimilis aliam curam majorem & nobiliorem agebat animo. Volebat novum mundum producere, & antiquum formavit, ut tanquam per gradus ad nobiliorem tranſiremus. Digito non exſerimus vires, ſed brachio: unde Deus, qui digito veterem mundum tornaverat; *fecit potentiam in brachio ſuo*, & formaturus novum dixit, *Ecce ego creo cælos novos & terram novam*. Ac, ſi dixiſſet Deus. [Veterum cœlorum & elementorum ſum conditor. Ab illorum creatione Omnipotentia innotuit; ut autem Miſericordia mea innoteſcat, creo novam terram, (Tereſiam) terram ſcilicet virginem, quæ & mater ſit, & novos cœlos, & nova ſydera, & novas conſtel-

ſtellationes (nempe, congregationes duas per Hiſpaniam & Italiam) parturiat. Volo mundum hunc novum à veteri toto cœlo diſtingui. In antiquo Sol, Luna, & reliquæ cœleſtes lampades naſcuntur ab Oriente: in novo aliter: orientur ab occaſu. Mors erat ibi *ultima linea rerum*; hîc prima. quoniam Carmelitanæ Stellæ à morte ad gloriam Empyream naſcentur. *Interitus* & *Introitus* in mundo antiquo diſtinguuntur: at in novo coïncidunt; quoniam interitus eſt introitus ad beatitudinem. Volo nunc Cynoſuram collocare in Meridie: deſcendent ad nos novi cœli; & terra hæc nova (Tereſia) ultra Aplanem & affixa ſydera promovebitur. *Ecce ego creo cælos novos & terram novam*. Sanè ad Empyreum evecta eſt terra hæc nova, & in Aſtrum converſa Eccleſiam univerſam illuminat, unde Bozius. *Tereſia Hiſpana, Virgo admirandæ ſanctitatis; incredibili patientiâ, humilitate, ac prudentiâ floruit. In precibus ſæpe extra omnes ſenſus rapiebatur in altumque toto corpore ſuſtollebatur*. Ecce Terra, quæ ſtando Naturæ viribus, *ponderibus librata ſuis* fuiſſet immobilis, ſupernaturalis gratiæ impetu ſubrigitur in Firmamentum. Gregorius Papa XV. *Quam Dominus ad tantum opus peragendum abundanter implevit ſpiritu ſapientiæ & intellectûs, & theſauris gratiæ ſuæ adeò illuſtravit, ut ſplendor ejus tanquam Stella in Firmamento, fulgeat in domo Dei in perpetuas æternitates*.

Vt igitur antiqui & novi Mundi diſcrimen manifeſtum ediſſeram, veniam ad mundi initium, & audiam Moyſem ſingularum rerum creationem referentem. [*Cuenta Moyſes, como formó Dios el hombre: y como en eſta cuenta las partidas ſon grueſſas, la acaba breuemente. Crió Angeles, Elementos, Plantas, y Animales Dios. Y haziendo el computo Moyſes, y juntando eſtos numeros*, ſpecies enim ſicut numeri ſunt, *para ſacar la Summa dize, Las perfeciones de los Elementos, la de las plantas, la de los Animales, la de los Angeles, reducidas a vna Summa total, ſon el Hombre.*] Hanc ipſam veritatem adfirmat Chriſtus Marci cap. 16. dicens, *Prædicate Evangelium omni creaturæ.* non quidem ſaxis, non arboribus, non beſtiis, non Angelis, & tamen omni creaturæ, hoc eſt, homini. Quæ S. Gregorius Papa verba homil. 29. in Evang. radio hoc dilucidat. *Omnis creaturæ nomine ſignatur homo, omnis enim creaturæ aliquid habet homo. Habet namque commune eſſe cum lapidibus, vivere cum arboribus, ſentire cum animalibus, intelligere cum Angelis.* &c. *Omni ergo creaturæ prædicatur Evangelium, cùm ſoli homini prædicatur*. Ergo, ſi omnium rerum homo perfectiones complectitur, in computu Phyſico homo eſt Summa: &, ſi in horto Philoſophico perfectiones ſunt roſæ, & adtributa flores, homo eſt faſciculus [*un ramillete*] qui Floræ divitias univerſas complectitur.

Et quo Deus modo formavit hominem. Hiſtoriographus Vates. Conſideravit omne, quod fecerat, *& vidit Deus, quòd eſſet bonum*. Geneſ. 1. Memoriâ retineamus hunc Prologum. Subdit Omnipotens. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* & mox. *Formavit Deus hominem ex limo terræ, & ſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem.* & poſteà. *Non eſt bonum eſſe hominem ſolum, faciamus ei* (mulierem) *adjutorium ſimile ſibi.* & tandem. *Creſcite & multiplicamini & replete terram*. Sic proceſſerit Altiſſimus in conditione mundi veteris: *ecce nunc creat cælos novos, & terram novam,* modum ſpeculemur.

Profectò ex diametro oppoſitam viam inivit Summum Numen. Divinæ Providentiæ oculis Mon-Carmelum contemplatur, & *vidit Deus, quòd eſſet bonus,* aitque eſt Ordo ſanctiſſimus & reformatiſſimus. In illo cum ſummâ religione vivitur, & ſummâ Statuta perfectione & rigore obſervantur. Hic Ordo antiquus eſt optimus, at debet nihilominùs perfici, ut optimo melior reddatur. Si Hercules fuiſſet Theologus, & horum Religioſorum pietatem & rigorem noviſſet, columnas illas, quas in Hiſpaniæ finibus poſuiſſe dicitur, in Carmelo erexiſſet, ſubſcribens, NON PLVS VLTRA. At Spiritusſanctus, qui ſub Columbæ ſpecie apparuit pluries, hodie videri vult Columbus, & novas hominibus terras, novos orbes, novos cœlos, novos mundos detegere. *Ecce nunc creat terras novas, & cælos novos*. ac propterea Omnipotentiæ celte incîdit [*con el buril de ſu Providencia, y con el cincel de ſu miſericordia graua y eſculpe*] in ſecuriſſimis earumdem columnarum baſibus, PLVS VLTRA.

Sed quò, Monarcha potentiſſime, humanæ poſſunt vires progredi? Carmeli vertex

Digitized by Google

regiones, in quibus conſolidantur grandines, formantur nives, pluvii imbres ſuſpenduntur: nempe, in quibus tonitrua reboant, accenduntur fulgura, & fulmina diſploduntur, deſpiciens, caput aſtris vicinum erigit, & conſtantiâ ipſe ſuâ facie ad faciem Lunam erroris & inconſtantiæ incriminatur. Qui hunc montem incolunt, ſunt vitæ rigorem prætergreſſi, quem vires humanæ præſcribunt. *Ventum ad ſupremum eſt*, Domine, & ubi humana audacia inclamat NON PLVS VLTRA, reponit tua potentia PLVS VLTRA. Sunt infinita tua conſilia: nec eſſent talia, ſi humanitùs comprehenderentur. In tantâ lucis abundantiâ cœcutio: illumina tenebras meas.

Sed jam aperio oculos, & myſterii veritatem ſentiſco. Admirationes noſtræ mundum veterem attinent: ceſſabunt ipſæ, cum adluceſcat novus, *ecce enim Deus terram novam & cælos novos creat*, & in ipſis antiquas leges univerſas invertit. ubi enim Carmelus ſenior deſinit, incipit junior: & ubi ille ſtadii metam figit, inde hic ſumit initium, ut novam arenam percurrat. Quam ob rem in alterutro ſingula ſunt omninò diverſa. Vel attendite.

Dixit in Mundo antiquo Deus, *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*. in novo autem, *Faciamus mulierem*(Tereſiam)*ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* ut in hac vitâ ſuis heroïcis virtutibus Divinas perfectiones éxprimat & imaginet; & in alterâ Deo ſimilis ſit, quoniam *videbit Deum ſicuti eſt*. Olim in mũdo veteri *Formavit Deus hominem ex limo terræ*, nempe ex materiâ vili, ut conditionis ſuæ ſemper eſſet memor & ſciret, ſe ex terrâ eſſe, & in terram iturum. unde voluit ADAM, Hebraicè dici ab ADAMA', *Terrâ*, & HOMINEM Latinè ab *humo*. At Tereſiam, *formavit Deus ex cælo Carmeli*, & jam ſcimus Cœli & Terræ materias ſpecie apud Philoſophos politiores diſtingui. Deinde: in priori illo mundo, *Spiravit Deus in faciem ejus* (hominis) *ſpiraculum vitæ* (vitam naturalem videlicet) *& factus eſt homo in animam viventem.* At verò in poſteriori, *Inſpiravit Deus in cor ejus* (Tereſiæ) *ſpiraculum vitæ*(videlicet ſupernaturalis: hoc eſt, charitatem uberrimam exornatam nobiliſſimis gratiis) *& facta eſt mulier in animam viviſicantem.* Aut dicito; non-ne mortua Tereſia corpora vitæ reſtituit,& animas mortuas ſuſcitavit. In Canonizationis Bullâ Summus Pontifex. *In diebus noſtris fecit*(Deus)*ſalutem magnam in manu fœminæ, ſuſcitavit enim in Eccleſiâ ſuâ,veluti novam Deboram, Tereſiam Virginem.* Sic num. 2. qui poſteà num. 22. 23. & 24. miracula patrata à Tereſiâ recenſet. Et ad Animas veniens, quid aliud facit vitâ & ſcriptis ſuis hæc ſanctiſſima Virgo, quàm mortuos ſuſcitare. Fides ſine operibus mortua eſt, & opera ſine fide ſunt mortua: cadaver igitur hominis eſt, quicumque in Europâ Chriſtianus male vivit: cadaver etiam quicumque in Aſiâ Ethnicus & Saracenus male credit: ergo quando vitæ exemplo illos Tereſia, & doctrinæ efficacia iſtos convertit, exercet minus Animæ vivificantis. Et quidem prodigioſam iſtam prærogativam ſe indulſiſſe Tereſiæ, voluit Divinâ linguâ Deus ſignificare. Sed quæ eſt lingua Divina? Verbis loquuntur Homines, conceptibus Angeli, & miraculis Deus. Et quod fuit hoc miraculum, quod inſinuo. Bulla Canonizationis. *Quædam arbor calce ac macerie obſtructa, ac jam dudum arida, quæ cubiculo proxima erat, præter omnem temporis & naturæ rationem* (non enim October arbores foliis & floribus exornat, ſed ſpoliat) *repente floribus onuſta in ipsâ tranſitûs* (mortis) *horâ apparuit*. Arbores ſumus (Auditores fideles) arbores ſumus: jam dudum ſiccæ & aridæ. Diem celebramus, quo tranſit ad Empyreum Tereſia. Accurramus triumphanti, & præter omnem temporis & naturæ rationem (Gratia enim, ſupernaturalis eſt habitus, qui nec tempora nec naturam moratur) illicò comêmur charitibus, & virtutum floribus aut etiam fructibus condecorabimur. *Repente: in ipſo tranſitu*. Cùm tranſeat Tereſia, quæ eſt vivificans Anima. Sed cur illam permittemus trãſire? *Mane nobiſcum* (prudentiſſima Virgo) *quoniam adveſperaſcit, & inclinata eſt jam dies*. Sed, quia illa progreditur, nos etiam in noſtro diſcurſu progrediamur, & novas Veteris & Novi Mundi antitheſes cõſideremus. Profectò: in ſeniore illo mundo dixit Deus, *Non eſt bonum eſſe hominem ſolum; faciamus ei*(mulierem)*adjutorium ſimile ſibi.* in hoc autem novo & adoleſcente repoſuit. *Non eſt bonum eſſe mulierem* (Tereſiam)*ſolam; faciamus ei* (homines; nimirùm, Carmelitanos excalceatos) *adjutorium ſimile ſibi*. De Tereſiâ, & quomodo ab illâ Carmelitæ Reformati prodie-

dierint grandia hæc Pontifex, *Poſtquam mirabili victoriâ carnem ſuam perpetuâ virginitate, mundum admirabili humilitate, & cunctas ad inventiones Diaboli multis maximiſque virtutibus ſuperaſſet, excelſiora moliens, & virtutem ſexûs animi magnitudine ſupergreſſa accinxit fortitudine lumbos ſuos & roboravit brachium ſuum, & inſtituit* (nempe, *in adjutorium ſimile ſibi*) *exercitus fortium, qui pro domo Dei Sabaoth, & pro lege ejus, & pro mandatis ejus, armis ſpiritualibus decertarent. Quam Dominus ad tantum opus peragendum abundanter implevit ſpiritu ſapientiæ & intellectûs*. Ecce in antiquo mundo, cõditur homo ſimilis Deo, & ſimilis homini mulier: hîc autem in novo conformatur fœmina ſimilis Deo, & homines ſimiles fœminæ. Tandem in decrepito mundo, dicit hominibus vetuſtis Deus, *Creſcite & multiplicamini*; & idem præſcribit præceptum hominibus novis in novo: verùm ſenſu diverſo; quoniam eadem humana natura ibi multiplicatur in diverſis corporibus: & eadem ſupernaturalis gratia hîc in diverſis multiplicatur animabus. Concludit ibi, *Replete terram*; hîc denique *Replete cælum*. quoniam naturalis hominum multiplicatio terram attinet, & cœlum ſupernaturalis. Ecce ſummum veteris & novi mundi à creatione diſcrimen: & ecce quomodo ubi naturę vires acclamant NON PLVS VLTRA, de virtute in virtutem, ulteriùs & ulteriùs pergunt, & PLVS VLTRA ſucclamant vires gratiæ.

Vt hunc progreſſum explicem juvabor ſimili, quod eò meliùs noſtræ inſtructioni ſerviet, quò fuerit communius & notius. Sumo pilam: eamque aut manu, at militari machinâ in altum fulmino. Surſum pelletur. Æqualibus illa temporibus peraget ſpatia inæqualia. Quò altiùs involet, remiſſiori illa impulſu, & impetu tardiore movebitur. Et ut ſummum tetigerit, niſi novum pulſum indipiſcatur, récidet. Sumo aliam pilam, eamque è turris faſtigio dimitto. Proprio pondere ruet: ſed & ipſa æqualibus temporibus ſpatia inæqualia percurret: hoc diſcrimine tamen, nam cum tempore impetum intenſiorem adquiret, & motu velociore propelletur, quouſque veniat ad terminum.

Prior pila cœteras omnes priſci ævi Religiones, quæ fuerunt ante Chriſtum; aut etiam fortè aliquas poſterioris ævi repræſentat: ſed Carmelitanam poſterior. Illę ipſæ ſub initium indeptæ ſunt fortem & intenſum ſpiritum, qui tamen ætate langueret, enervaretur, aut etiam deficeret ſenio. O quot in mundo antiquo vidimus, qui invitis ſimiles [*como por los cabellos*] ad ſervitium Dei fuerunt pertracti! O quot ibi Abacuchi, qui cùm agebatur de operibus miſericordiæ, hæſiſſent procul dubio, niſi cæſarie apprehensâ ab Angelis fuiſſent tranſportati! O quot etiam nunc homines Placidi exemplum in ſcandalum vertunt, in lacu ſuarum miſeriarum manſuri, ni S. Maurus adſit, qui ambulans ſuper aquas, illos per capillos eripiat. Hęc áccidunt in mundo antiquo: at in Carmelitano (in mundo novo) omnia ſuccedunt aliter. Non eſt lapis, qui rectiùs, qui tutiùs centrum petat, quàm hi ſeveri Aſcetæ Chriſtum, qui ſuorum omnium motuum & operationum eſt centrum. Creſcunt de virtute in virtutem: & licèt ad perfectionis ſummum perveniſſe videantur, hortantur tamen poſteros & ſemper inculcant & inclamant, PLVS VLTRA. Multum dixi, ſed circumſpectè & cautè. Conſto reſolutioni, & in Carmelo ſpiritum intendi affirmo, & clariſſimè oſtendo.

Aperio Biblia, & in Ezechiele novi hujus Cœli imaginem ad vivum reperio: nempe, globum, ſphæram, circulum, rotam. Multa de hac ſphæricâ imagine dicere poſſem; aliqua ſtatim dicam; ſed me unica circumſtantia juvat modò, videlicet, *Non revertebatur, cùm ambularet*. Alibi Oceano ſimilis Spiritus fluit & refluit, at in excalceato ille Carmelo influit, non refluit, ſemper progreditur: ſemper progredietur, cùm ambulabit. Adfirmat hanc Veritatem Pentateuchum, in quo hiſtorias decrepitas lego, quarum apud Græcos & Latinos Chronologos nulla memoria. Enoch fuit primus, qui inſtituit choros, & cœpit publicè laudes Divinas modulari. Sequuti ſunt viri pii & religioſi, qui nam cęteros vitæ rigore & aſperitate ſuperabant, *Gigantes* dicti: qui poſteà confluentes in Carmelum, religionem formarunt, quæ fuit ſemper in pretio. Indepti ſunt cœleſtia dona, ob quæ in Sacrâ Scripturâ *Filii Prophetarum* vocantur. Ergo crevit ſpiritus. Inter eos eminuit Elias, vir verè magnus & Deo plenus, cujus miracula & prodigia in libro Regum recenſentur. Ergo iterum crevit ſpiritus. An-ne in Eliâ dicemus, NON PLVS VL-

Digitized by Google

VLTRA? minimè. Creſcit ſanctitatis ambitio, & cum illa Charitas & Spiritus. Succeſſit Heliſæus, Eliæ diſcipulus: in quo illa generalis Regula, *Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum*, limitationem paſſa. Vt Deo perfectiùs ſerviat, Spiritum duplum poſtulat, impetratque. Ergo non ſolùm pietas hîc crevit, ſed incrementa ipſa ſpatia majora percurrunt. Natus fuit Chriſtus, & ad gratiæ legem tranſiverunt Patres Carmelitani, & undis baptiſmi dilibutæ, fuerunt omnes eorum virtutes ad ſtatum perfectiorem evectæ. Tandem venit Tereſia, Virgo miraculoſa, gratiæ prodigium, quam juvat cum Eliâ componere, ut ejus clariùs Celſitudo innoteſcat. Elias teſte Spirituſancto, *fuit homo ſimilis nobis paſſibilis*, ſed Tereſia *impaſſibilis, & diſſimilis nobis*. Fuit etiam in hac vitâ mortali pura Angelus, Cœlum novum, & externarum impreſſionum exſors. Teſtor omnes Spirituales Patres, qui multis annis ejuſdem confeſſiones exceperunt, conſcientiam gubernarunt; negabant enim omnes, humanis eam affectibus & paſſionibus obnoxiam fuiſſe. Vnde Gregorius, *Inter cæteras Tereſiæ virtutes præcipuè emicuit dilectio Dei; quæ adeò in corde ejus exarſit, ut Confeſſarii ipſius Tereſiæ Charitatem tanquam non hominis, ſed Cherubim propriam admirarentur & celebrarent*. Fortè, cùm ad Tereſiam, ad metam vénimus. Fortè poſt illam Carmelitani non fuerunt progreſſi PLVS VLTRA. Siquis iſto laborat præjudicio, in Aſceteriâ Carmeli excalceati ingrediatur, mores regulares examinet, perpendat, conſideret; & ſeveriorem eſſe hodie diſciplinam, majoremq; obſervantiam, quàm ævo Tereſiæ reperiet. Conſonat Bozius dicens. *Ratio vitæ, quam ſuorum Monaſteriis præſcripſit, eſt ſupra humanam conditionem, magnæ perfectionis ac puritatis: quam factis exhibuerunt* [N.B.] *& exhibent ejus Sectatores*. Stat ergo Spiritum apud Carmelum ſemper creſcere.

Creſcit quidem & ſemper creſcet in ſingulis Tereſiæ Spiritus, quem deſcribam S. Gregorii verba attemperando. Sic inquam. *Habuit Tereſia eſſe commune cum lapidibus, vivere cum arboribus, ſentire cum animalibus, & intelligere cum Angelis*. hoc eſt, quatuor nobiliſſimas prærogativas, quas ſingulatim illuſtrabo.

Sanè, ſi concitabat Dæmon procelloſos tribulationum & tẽtationum vortices, fuit Marpeſia cautes, fuit ſaxum; immotum, immò immobile. Concuti & affligi ventis potuit, non excuti, non flecti, non frangi.

Teſtor D. Ferdinandum de Mata S.Th. Licentiatum, & Concionatorem egregium, qui juridicè examinatus inter alia ſic de hac ſanctiſſimâ Virgine depoſuit. *Et hò etiandio udito dire al P. Rodrigo Aluarez, il quale haueua confeſſata generalmente, che haueua hauuto particolar dono di Caſtità. &c. & cauando fuori una caſſa d'occhiali, diſſe: Nella maniera, che queſta caſſa è impotente ad hauere penſamenti, e ſentimenti di carne, così era ella per dono particolare di caſtità, e purità, di cui da Dio era dotata*.

E lapidibus ignis potentiâ metalla fiunt. Et quid mirum, ſi Tereſia, quæ Amoris Divini ſemper arſit & æſtuavit incendio, in metallum puriſſimum converſa ſit. De hoc incendio Gregorius. *Cùm Sanctorum Martyrum acta perlegeret* (Tereſia) *adeò Sancti Spiritûs igne cor ejus intra eam concaluit, ut cum fratre Germano, etiam puero, domo aufugerit, ut in Africam trajiceret, ubi ſanguinem ac vitam pro teſtimonio Ieſu-Chriſti profunderet. Sed occurſu patrui revocata, cùm optimam ſibi ſortem ereptam eſſe jugis lachrymis deploraret, ardens martyrii deſiderium eleemoſynâ aliiſq; operibus compenſavit*. Hoc autem igne in aurum puriſſimum verſam oſtendit idem Pontifex, dicens, *Cùm per duo de viginti annos graviſſimis morbis, ac variis prætereà tentationibus vexata eſſet, nulliſq; ſupernis conſolationibus reficeretur, adeò invictè adjuvante Domino omnia pertulit, ut probatio fidei illius omni pretioſior auro, quod per ignem probatur inventa fuerit, in laudem, & gloriam, & honorem, in revelationem Ieſu-Chriſti*. Audiunto Religioſi: admirantor. immò etiã imitantor. Aurum Tereſia fuit: nos plumbum. Illa in tribulationum fornace igne Charitatis probata: nos in deliciis hæremus, aut ſaltem mortificationes fugimus, & volumus Religioſi vocari. O de quàm multis è nobis verificantur illi Sanctiſſimi P.N. Benedicti verba, quibus Sarabaitas *cap.* 1. deſcripſit. Quàm multi inquam ſunt, *qui nullâ Regulâ approbati* [nullâ approbantur, qui nullam obſervant] nec quidem *experientiâ Magiſtri, ſicut aurum fornacis; ſed in plumbi naturâ molliti, adhuc operibus ſervantes ſæculo fidem, mentiri Deo per tonſuram noſcuntur*.

Arbos etiam Tereſia, quæ dedit fructum ſuum & in tempore ſuo. Sunt enim nonnullæ in-

infructiferæ, quæ abundant foliis, luxuriant floribus, ſed fructu carent. Sunt, quæ fructum alienum proferunt, puta pyrum cui inſerta malus. Sunt, quæ tempore alieno; nam cùm autumnum Natura fructicibus univerſis præſcribat, amygdalus emittit ſuos fructus nimis citò, moruſque nimis tardè. Sed contrà hæc Virgo prudentiſſima: fuit enim arbos, ſed fructifera; foliorum ſeu divitiarum pompam contemnens, flores mundi ſeu delicias deſpiciens, & fructus uberrimos proferens: nam ſexaginta aut plura, cùm Monachorum, tum Sanctimonialium Aſceteria fundavit: & quidem omnia tempore ſuo; nimirùm, quando Germaniam hæreſes, & alias regiones vitia & morum deformatio inundaverant: oportuit enim Luthero & Calvino, Deum impoſſibilia jubere delirantibus, opponere teneras Virgines, & debiles adoleſcentes, qui præcepta & conſilia non poſſibilia ſolùm, ſed & facilia, vitæ puritate monſtrarent. Hi omnes faciunt fructum ſuum; nam cognoſco nonnullos, qui pii volunt videri, & tamen fructum alienum faciunt. Vel dicito, non-ne huc ſpectant illi, qui dum devotionibus voluntariis ſe onerant, obligationi deſunt, & præcepto conſilium anteponunt? Sed de his redibit ſermo: pergamus.

Arbos Tereſia fuit, jam dixi: ſed qualis? Fuit Oliva, fuit Palma.

Sanè Oliva; fuit enim Virgo prudentiſſima, ſemperque ardentem & lucentem habuit conſcientię lampades illaſque oleo proprio nutrivit, ne aliis deberet dicere, *Date nobis de oleo veſtro, quia lampades noſtræ extinguuntur.*

Sed & fuit etiam Palma: arbos victorię ſymbolum, quæ oneri non ſuccumbit. Alciatus,

Nititur in pondus Palma & conſurgit in altum,
Quò magis & premitur, hoc mage tollit onus.

Multa docent hi numeri. Attendite. Graviſſima onera importat obſervantia regularis in Carmelo excalceato. Quis de hoc dubitet? Eſt clauſura ſtrictiſſima: ſilentium perpetuum, jejunia rigida, cilicia aſpera, diſciplinæ frequentes, mortificatio aſſidua, oratio vocalis producta, & mentalis continua. Tanto Tereſia onere ſuccumberet, ſi Quercus eſſet; frangeretur, ſi Robur. At fuit Palma, & vi ponderis in altum ibat; & quò magis onerabatur, altiùs & altiùs aſſurgebat. Et hìc obiter noto Solis avem & arborem communi voce Phœnicem vocari apud Græcos, nam Tereſia inter plantas fuit Palma, & inter alites myſterioſas fuit Phœnix, virtutum aromatibus ſibi ſepulchrum apparans, & moriens Charitatis incendio.

Tres Marias, quas Evangelium (*Marc.* 16. *a.* 1.) celebrat, imitata eſt Tereſia: hanc & nos imitari debemus. Modum S. Gregorius I. qui meritò *Magnus* dicitur univerſis præſcribit: nam *homil.* 21. *in Evang.* has opportunas periodos magno ſpiritu & fructu declamat. *Sed res geſta* (nempe olim tres illas Sanctas fœminas, hodie S. Tereſiam cum aromatibus ad ſepulchrum veniſſe) aliquid in ſanctâ Eccleſiâ ſignat gerendum. Sic quippe neceſſe eſt, ut audiamus, quatenus cogitemus etiam, quæ nobis ſunt ex eorum imitatione facienda. Et nos ergo in eum (D. N. Ieſu-Chriſtum) qui mortuus eſt (& ſurrexit) *credentes* [& in ejus (Tereſiæ) quę viſa eſt oculis inſipientium mori, & tamen in æternum vivet, patrocinio ſperantes] ſi odore virtutum referti, cum opinione bonorum operum Dominum quærimus, ad monumentum (ſepulchrum) profectò cum aromatibus venîmus: nempe ad noſtrum, quia moritur: nempe ad Chriſti ſepulchrum, quia in Domino morimur, quando ut Phœnices inter fragantia virtutum & gratiarum aromata igne Charitatis ardemus.

Aut eſto Columba Tereſia, felle carens; nam mitiſſima fuit, & voluit Deus, ut ejus Anima ſub candidiſſimæ Columbæ & Chriſtalli lucidiſſimæ ſpecie in Cœlum iret. Gregorium XV. teſtor, dicentem. *Quædam etiam* (Monialis) *in ipſo tranſitûs momento candidam Columbam ex ipſius ore in Cælum evolantem: alia ſplendorem Chriſtalli inſtar feneſtrâ egredientem vidit.* Hinc diſco, cur in excalceato Carmelo Columbina conſervatur ſinceritas, nam, ſi Tereſia fuit Columba, non niſi Columbinæ erunt ſuaviſſimæ Virginis filii. Iacobus Falco,

Nulla Columbino de ſemine naſcitur Ales
Prædatrix, taurum nulla creavit ovis.

Hinc audebo verba, quæ Apoſtolis appropriat Eccleſia, ad Viros Apoſtolicos (Reformatos Carmelitas) extendere; & edicere, *Qui ſunt iſti, qui ut nubes volant, & quaſi Columbæ ad feneſtras ſuas? Candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſapphiro pulchriores.* &c.

Stat igitur habuiſſe, & tranſmiſiſſe ad Poſte-

Digitized by Google

ſteros (ſuos Religioſos) Tereſiam , conſtantiam communem cum ſaxis & lapidibus,cum auro perfectionem & pretium, cum chriſtallo ſplendorem & gloriam , providentiam cum Olivâ, fortitudinem cum Palmâ, vitæ candorem cum Columbâ , mortem cum Phœnice : & hodie in cœlo beatitudinem communem cum Angelis. Et hoc ſenſu placuit verba S.Gregorii I. appropriare Tereſiæ.

Sed quibus hoc novum Cœlum aſtris,quibus hæc Virgo prudentiſſima dotibus & virtutibus condecoratur ? Quibus dico , non quot: ſpecies indago, non numeros, nam ſunt innumerabiles hujus Sanctæ Virginis prærogativæ,& ſicut immenſitas claudi nequit ſpatio,& Æternitas tempore, ſic Innumerabile ad abacum reduci non poteſt. Vnde cum Cœlorum Regina parthenii Empyrei Sol, tot huic puriſſimæ Virgini gratias communicaverit, ut Parelium reddiderit, ipſum Solem (Mariam) contemplans exclamabo ,

Tot tibi ſunt Virgo dotes , quot Sydera Cœlo .
& oculos ad Parelium (Tereſiam) vertens dicam .

——————— *Dotes*
Sunt tot, quot Cœlo Sydera, Virgo tibi.

Vt vel ſic conſervent numeri reverentiam debitam Angelorum Reginæ : nam ſi aſtra Firmamenti Tereſię dotes multitudine exęquant, cum Deiparâ collata deficiunt,quoniam Matris Divinæ dotes aſtra ſuperant & excedunt.

Hoc novum Cœlum , hunc globum, hanc ſphęram cęlatam ſtellis ob oculos habuit Ezechiel,aſſerens ſe vidiſſe unum circulum,unam rotam plenam oculis in circuitu . Diametrum *altitudinem* vocat , & aſſerit horribilem eſſe . Sed quæ eſt iſta *Diameter ?* anagrammaticôs , *Dei mater* . Et cur horribilis ? quia, quæ clementer reſpicit Orthodoxos , ab Hæreticis cum horrore reſpicitur. Vnde cum devoto jubilo modulamur Catholici,*Specioſa facta es & ſuavis in deliciis tuis Sancta Dei Genitrix* . audiunt *Heterodoxi, Gaude Maria Virgo,cunctas hæreſes ſola interemiſti in univerſo mundo.*Profectò Tereſiam(novum Cœlum) quam habemus ob oculos, non tam mirari hodie , quàm imitari accuratè debemus : nam ut Catholicè cecinit Acatholicus ille, [Owenus]

Sanctorũ vitas legere,& non degere,fruſtra eſt.
Sanctorum vitas degite , non legite .

Et quidem inter alias virtutes , quibus Tereſia fulta, ſpeciali à nobis curâ eſt conſideranda Circumſpectio , nam fuit plena oculis in circuitu . Periclitatur enim anima , niſi in ſingulis ſenſibus habeat centenos oculos, qui inſtar Vigilum éxcubent . Oculos in auribus habuit Tereſia , eſt enim curâ eximiâ gubernandus Auditus : qui enim aurem murmurationi inclinat , aut lubricis colloquiis aperit , in præceps ruit . Lego apud Plautum , *Habeo aures oculatas ; credo, quod video* . & tamen eſt Catholicum Monitum, *Quid eſt Fides? credere , quod non vides* . Oportet igitur , ut auris aliquando ſit cœca, aliquando oculoſa; &, ut tempus à tempore diſtinguat animus , puriſſimis oculis indiget . Sed & oculis indiget lingua, *nam in multiloquio nunquam deerit peccatum* . & ſæpe verbum ſine advertentiâ prolatum perturbavit reſpublicas. Sanè in Cœnobiis linguæ ſpecialibus legibus gubernantur . S.Benedictus cap.6.*Faciamus,quod ait Propheta, Dixi cuſtodiam vias meas* , (ponam vigiles & excubitores) *ut non delinquam in linguâ meâ* . *Poſui ori meo cuſtodiam* (Argos inſomnes)*obmutui & humiliatus ſum, & ſilui à bonis. Hîc oſtendit Propheta . Si à bonis eloquiis interdum propter taciturnitatem debet taceri ; quantò magis à malis propter pœnam peccati debet ceſſari ?* Profectò ,

Non bene ſemper olet , qui bene ſemper olet .
inquit Martialis ; & quia hypocriſis odorem Sanctimoniæ præ ſe fert , indigent Superiores oculatu odoratu, ut odorem ab odore diſtinguant. Sed quid ſi hoc ſenſu careas? Tereſiam implora & adquires. In Canonizationis Bullâ lego . *Altera* (Sanctimonialis) *ejus exoſculatis pedibus ſenſum odoratûs amiſſum recuperavit , & corporaliter odorem unguentorum quo ſacroſanctum ejus corpus à Domino perfuſum erat , percepit* . Ergo & recuperavit ſpiritualiter , ut Chriſto diceret,*Trahe me poſt te, & curremus in odorem unguentorum tuorum* . Sed & guſtus debet eſſe oculoſus: nam originale peccatum, quod mortales pervadit, initium à guſtu deſumpſit. Moyſes cap.3. Gen. *Vidit igitur mulier, quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum,& pulchrum oculis , aſpectuque delectabile* . Sed claude oculos corporeos mulier , & incorporeos aperi ; & periculum in quod te odor ſuavis , pulcher aſpectus, & dulcor ſaporis te conjiciunt, conſidera. Non adquieſcit. Sumit pomum; comedit : dat & viro ſuo, qui & come-

me-

Digitized by Google

medit. *Et aperti ſunt oculi amborum* (videlicet oculi animæ) *& cognoverunt ſe eſſe nudos* (hoc eſt, ſtolam gratię perdidiſſe.) Aperiamus igitur animæ oculos, ne peccemus: Hoc ſuadeo. Quid, ſi peccaverimus? Saltem aperiamus oculos animæ poſt lapſum, ut ſaltem cum Adamo & Evâ, cum Petro, cum Latrone, cum Magdalenâ, & aliis pœnitentiam agamus. Sed attendite Religioſi, attendite. Sub ſerpentis ſpecie damnatus Angelus decepit hominem: & iterum idemmet Angelus ſub ſpecie Medici (nam *Angelus* & *Galenus* anagrammata ſunt) nos decipit, ne agamus pœnitentiam. Ambroſius. *Contraria Divinæ Diſpoſitioni ſunt Medicinæ præcepta: à jejunio revocant, lucubrare non ſinunt, ab omni intentione meditationis abducunt, ita ut qui ſe Medicis dederit, ſeipſum neget.* nam Galenus inimicatur Chriſto, & ſub benigno medicinæ vocabulo ſeveritatem vitæ Regularis enervat. Sanè Religioſo non ſano negare convenientia remedia, inſania ſit: ſed relaxare antiquos obſervantiæ mores, & hoc ſub pietatis prætextu eſt inconveniens. Pharmaca & Medicos Veteres negabant Religioſis, etiam in morbo extremo: concedunt Moderni etiam in levi: fortè illa videri poterit nimia ſeveritas; verum enim verò hæc, nimia eſt benignitas: & quia condeſcendere ſubdito poteſt Superior, non autem cum ſubdito cadere, oculis multis indiget, ut morbum à morbo diſtinguat: nam ſi ob quemcumque levem miniſtrandæ ſint carnes, & intermittenda jejunia, ceſſabunt ordinariæ obſervantiæ; rarus enim aut nullus in monaſterio vivit, qui careat morbis.

Sed & Tactus indiget directore oculato: Pacis oſcula D. Benedicti tempore in Italiâ dabantur: ſed & in Galliâ & Belgio dantur hodie: nec incuſari poterunt, quandiu intra urbanitatis limites ſe contineant: at quia interdum exorbitant, & limites à Prudentiâ poſitos prætergrediuntur, juſſit ille ſanctiſſimus Pater Pacis oſculo orationem præmitti, ut admoneret ſingulos, rem eſſe periculi plenam, & magnâ circumſpectione tractãdam. Cap. LIII. ſic inquit. *Pacis oſculum non priùs offeratur, niſi oratione præmiſſâ, propter illuſiones diabolicas.* Idem de verbis dicito: laſciva enim ſunt ſæpe, quæ affectuoſa vocantur: & Amor interdum eſt Plutonicus, qui Platonicus dicitur: unde conſultus eſt occaſionem fugere, quàm in illâ circumſpectè operari. Fuit hic ſenſus (Tactus) in Tereſiâ virgineus, quia centenis oculis cuſtodiebatur. Gregorius. *Inter cæteras ejus virtutes, quibus quaſi Sponſa à Deo ornata mirificè excelluit, integerrima effulſit Caſtitas; quam adeò eximiè coluit, ut non ſolùm propoſitum Virginitatis ſervandæ à pueritiâ conceptum uſque ad mortem perduxerit, ſed omnis expertem maculæ Angelicam in corpore & corde ſervaverit puritatem.*

Egimus de oculis, & nihil hucuſque de Viſu diximus. Eſt ſenſus præceps, & plurimos homines perdidit. Aliquando ſunt claudendi oculi, aliquando aperiendi; & quia tempora implicantur temporibus, indiget Animus vivaciſſimis oculis, ut corporeos gubernet. Et profectò Tereſia vivaciſſimos habuit in Animo, & tam modeſtè gubernabat corporeos, ut ultra ſeptem terræ pedes (non indigemus pluribus, ut ſepeliamur) aciem viſivam non protraheret.

Manus etiam indigent oculis, indigent pedes: & tamen non ſemper illi aperiri debebunt. *Ne videat ſiniſtra tua*, inquit Chriſtus, *quæ facit dextera tua*. & tamen reponit alibi, *Videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in Cælis eſt.* Oportet igitur, ut manus interdum oculatæ, & interdum ſint cœcæ: & ut jam operentur viſæ, jam inviſæ. Ita enim obligationibus tuis ſatisfeceris, ut omnes videant: ita præter alios ſis ſanctus, ut ſolus Deus ſit tuæ ſanctitatis teſtis. Et hîc obiter nota, Superiorem, quia ratione muneris debet ſubditis præbere exemplum, non eſſe præter alios ſanctum, cùm ſupra cæteros, qui enim Magiſter eſt, ter magis eminere tenetur.

Ad pedes venio, qui niſi oculoſi ſint, [*daran vn traſpie*] ceſpitabunt. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis*, inquit Propheta Rex: & fruſtrà prælucerètur pedibus, ſi iſti eſſent cœci.

Oculis etiam indigent interiores potentię; Intellectus, Memoria, Voluntas: nam captivandus eſt ille in obſequium Fidei, & qui clauſis oculis credit quæ proponit Eccleſia, lynceus eſt: Et quidem Tereſia, quia in Fide excelluit, lyncea fuit. Gregorius. *Quoniam ad erigendum ſublime Chriſtianarum virtutum ædificium Fidei fundamentum ponendum fuit, illud adeò ſtabile & inconcuſſum Tereſia collocavit, ut juxta verbum Domini comparata ſit*

Viro ſapienti, qui ædificavit domum ſuam ſupra petram. Eâ *etenim firmitate Sacroſancta Eccleſia Sacramenta, cæteraque Catholicæ Religionis Dogmata credebat & venerabatur, ut majorem, ut ipſa ſæpius teſtificabatur, de quâlibet re certitudinem habere non poſſet. Hac Fidei lucerna illuminata, Domini noſtri Ieſu-Chriſti corpus in ſacratiſſimâ Euchariſtiâ mentis oculis* (ecce habebat oculos in intellectu) *adeò clarè intuebatur, ut aſſereret, nihil eſſe quod invideret eorum beatitudini, qui corporeis oculis Dominum conſpexiſſent*. De Arte Memoriæ ſcripſere quàm multi, de Arte Oblivionis nemo, Hieronis enim dogmata non reperiuntur: & qui ſcit quando aperire Memoria oculos debeat, & quando claudere, perſpicax eſt.

Sed quando debet oculos aperire Memoria? quando claudere? Debemus ſemper Dei meminiſſe, & ſemper obliviſci injuriarum. Vtrumque nos docuit Tereſia; primum, *quia ſemper fuit memoriæ oculis præſens Deo, & Deum ſibi perpetuâ contemplatione præſentem reddidit*. P. Ægidius Gonzalez S.I. in ſuo libro id apertè teſtatur, inquit enim, *Fuit Mater Tereſia Virgo magni ſpiritûs. Vidi in ipsâ eminentiſſimam orationem, & continuam D. N. Ieſu-Chriſti præſentiam*. &c. Conſonat P. Bartholomæus Perez ejuſdem Societatis. *Habebat ſemper Dominum præſentem ſuæ memoriæ. & tanto fervore de eo loquebatur, ut amore eam ardere conſtaret*. &c. Secundum, *mirabiliter enim imitata eſt Dominum noſtrum Ieſum-Chriſtum in dilectione inimicorum: nam cùm ingentes pateretur perſecutiones & adverſitates, diligebat tamen perſequentes & orabat pro his, qui oderant ſe, quinimò detrimenta & offenſiones, quas patiebatur, amoris & charitatis ipſi eſcam miniſtrabant; adeò, ut Viri graves dicere ſolerent. Qui amari à Tereſiâ vellet, damno aut injuriâ ut eam afficeret, oportere*. Hi ſunt veri Memoriæ oculi: qui enim aliter inimicorum recordatur, quàm ut eos diligat, & Deo commendet, cœcus eſt.

Vltima Animæ potentia eſt Voluntas, & quia ſæpe exorbitat, & ita eſt libera, ut legibus ſubeſſe non velit, coërceri debet, & ut præſtemus efficaciter oculis multis indigemus.

Cœca dicitur, & ſi à cœco intellectu ducatur, in foveam cadent. Oculis indiget aut alienis aut propriis, ut ſcopum attingat. In Deum, ſeu nolit, ſeu velit, ſeu amore ſeu odio rem proſequatur, collimare ipſa debet (hic eſt ultimus finis, & operationum omnium terminus) & tamen ſæpe bona temporali a ſe inſinuant, & qui deberet propter ſe, aut non amatur omninò, aut propter creaturam amatur Deus. Sed Tereſia omnia in Deum, velut in finem dirigens, eumdem in ſingulis Charitate & Spe proſequebatur. Nimirùm Charitate tantâ, *ut aliquando Angelum viderit ignito jaculo, ſibi præcordia tranſverberantem*, tam profuſâ erga proximos, *ut infidelium & hæreticorum tenebras perpetuis lachrymis deſleret, & pro eorum illuminatione non ſolùm juges ad Deum preces funderet, ſed & jejunia & flagellationes ac alias carnis macerationes offerret: proponeretq; in corde ſuo*, [ſicut olim Archimedes nullum diem ſine lineâ, ſic etiam ipſa] *nullum diem ſine Charitatis officio tranſigere: in quo etiam Deus ipſi auxilium præſtitit, nunquam enim ei defuit, ipſo largiente, exercendæ Charitatis occaſio*. Et quidem hanc Prudentiſſimæ Virginis Charitatem fuiſſe plenam oculis in circuitu, teſtatur Gregorius his verbis: *Quam* (Charitatem) *etiam Dominus noſter Ieſus-Chriſtus multis viſionibus & revelationibus mirabiliter auxit*. ſuas videlicet perfectiones manifeſtando, ut quò clariùs videret, fortiùs & intenſiùs amaret: & fuiſſe Deo gratiſſimam hanc Charitatem probat, *quandoq; enim datâ dexterâ, clavoq; oſtenſo, illam in Sponſam ſuam adoptavit, atq; his ipſam verbis alloqui dignatus eſt: Deinceps, ut vera Sponſa, meum zelabis honorem. Iam ipſe ſum totus tuus, & tu tota mea*. Sed & Deum Tereſia proſequebatur tantâ Spe, ut cum Davide diceret, *Et in Verbum tuum ſuperſperavi*. Tantâ, inquam, Spe, ut ſuperſperare gloriam (hoc eſt poſſidere, nam ſupra Spem ſola poſſeſſio reperitur) potiùs, quã ſperare videretur. Vnde teſte Pontifice, *tantum vivæ* (ſeu oculatæ) *Spei in Domino collocaverat, ut jugiter deploraret, quod tamdiu in præſenti mortali vitâ detineretur, quæ ſibi impedimentum afferret, quo minùs ſemper cum Domino eſſet*. [Clamabat ergo frequenter cum Apoſtolo, *Volo diſſolvi & eſſe cum Chriſto*] *Nec raro dum in corde ſuo Cæleſtis Patriæ gaudia recogitabat, mente excedebat, & ad eorum fruitionem in carne rapiebatur*. Ecce Spes erat ſæpe poſſeſſio, & plena oculis beatitudinis futuræ cogitatio.

Homo igitur ſit circumſpectus, Tereſiæ ſimi-

ſimilis, plenus oculis in circuitu: nam ſi periculis & miſeriis circumdatur, oculis (curis pervigilibus) debet circummuniri. Sed inſtas. Video pericula, & tamen non invenio remedium. Centenos, aut interdum oculos aperire debebo, ne labar, ne irretiar, ne intercipiar: ſed quo illos modo aperire potero, qui ſum cœcus à nativitate. Peccatum eſt Animæ cœcitas: & quia plurimis ego culpis obruor, plurimis præpedior cœcitatibus. Condoleo tibi & mihi fateor, quibus eadem eſt cauſa lugendi. Infirmi & ægri ſumus, ſed voluntario morbo laboramus. Adeſt Tereſia ſolita cœcos illuminare. Gregorius. *Quædam Monialis dudum capitis & oculorum infirmitate laborans, apprehenſâ mortuæ Virginis manu, ac capiti oculiſque admotâ ſtatim convaluit*. Laborat capite mea Diœceſis, nam indignus tanto munere ſum, & tamen multorum hominum Sanctorum ſum Caput: laboramus oculis, quoniam cœcutimus ſponte, nec noſtras miſerias videmus, nec emergendi viam noſſe deſideramus. Sed in Tereſiæ manu remedium eſt. Si illam imploremus devotè, omnes illuminabimur.

Vbi *Plena oculis in circuitu*, habet Vulgatus, legit Paraphraſtes Chaldæus, *Plena oculis in dorſo ejus*. Sed quid hoc? An-ne *monſtrum horrendum informe ingens, cui lumen ademptum?* Oculos in facie habent homines, etiam aliæ animantes: eos in fronte dicuntur habuiſſe Cyclopes, alii in pectore, ſi antiquis Coſmographis fides. At in occipite aut tergo oculos nulli animanti Natura indulſit, nulli Poëſis affinxit. Cur ergo hoc novum Cœlum, hæc nova Sphæra pingitur *plena oculis in dorſo ejus?* Sanè multum innuit hæc Verſio: multum addiſco, aliquid hodie utiliter docere potero. Attendite.

Pono ob oculos Rotam: tardo illam impetu circumverto: motum conſiderate. Sunt in ipsâ duæ partes, anterior & poſterior: hæc ſe inclinat inferiùs, illa ſurſum ſe ſubrigit: & tamen quæ cadit, eſt cœca, oculoſa quæ ſurgit. Multi occurrunt conceptus, qui quæſtionem enodent, unum expendo.

In Orbe Eccleſiaſtico, in Politico, multæ ſunt partes afferente Ariſtotele Polit. 4. inquit enim, *Civitas non conſtat ex unâ parte tantùm, ſed ex multis: quarum una ſunt agricolæ, alia artifices manuales, alia qui negotiantur circa forum*. &c. Citiùs rem ego expedio. Duas in Orbe Politico partes conſidero, alteram, quæ imperat; alteram, quæ obêdit. Illa eſt tota Hierarchica, & per gradus adſcendit. ad illam enim pertinent in Eccleſiaſticis Prælati, Epiſcopi, Archiepiſcopi, Patriarchæ, Pontifex: ad hanc Domini, Comites, Marchiones, Duces, Principes, Reges, Imperatores. Ecce gradus in Eccleſiâ & Politicâ adſcenditur. At omnes iſtos gradus eſſe plenos oculis affirmat Paraphraſtes, & eſſe Argos debere, qui occupant ſingulos. Quoniam imperare & jubere eſt res ſummè difficilis, & quæ clauſis oculis nequeat præſumi. Princeps (Eccleſiaſticus, aut Sœcularis) lynx eſſe debet: oculos aperire, vigilare perpetuò: *hazerſe ojos*, circumſpectè procedere, & ſemper reſpicere bonum commune. Superiorem (Prælatum, Principem) *cap.* 2. alloquitur S. Benedictus his verbis, *Sciat*, inquit, *quàm difficilem & arduam rem ſuſcepit, regere animas, & multorum ſervire moribus. Et alium quidem blandimentis, alium verò increpationibus, alium ſuaſionibus: & ſecundum uniuſcujuſque qualitatem vel intelligentiam, ita ſe omnibus conformet & aptet, ut non ſolùm detrimenta gregis ſibi commiſſi non patiatur, verum etiam in augmentatione boni gregis gaudeat*. Ecce, quàm difficilem nayant operam, qui per gradus adſcendunt, & partem illam Rotæ occupant, quæ imperat alteri. Ecce Superior debet eſſe omnibus omnia; & ut bene gubernet, ornari oculis in circuitu. Sed pars quæ obedit? nullis oculis indiget. Obedientia eo perfectior, quò cœcior: non enim debet ſubditus leges examinare, cauſas diſquirere, finem diſcutere, ſed ſe ſubmittere, inclinare caput, claudere oculos & alacri voluntate obedire.

Vtriuſque rei exemplum habemus in Tereſiâ. Fuit Antiſtes, fuit ſubdita. Quando prælata cæteris, Argos erat, tota plena oculis in circuitu. Circumſpiciebat omnia, prudenter tamen, nam debet Circumſpectio ſuſpicioſa non eſſe. Vnde S. Benedictus cap. 64. *Prælatus ſtudeat plus amari, quàm timeri. Non ſit turbulentus & anxius; non ſit nimius & obſtinatus; non zelo typus & nimis ſuſpicioſus; quia nunquam requieſcet*. Videbat bene Tereſia, quid præciperet: bene, an præcepta exactè obſervarentur: invigilabat Monaſterio, fovebat virtutes, & negligentias, ne in vitia tranſirent,

ubi pullulare occœperant, eradicabat. Sed quid, quando fuit ſubdita? clauſit oculos & obedivit.

Longo iſtum Globum tempore contemplamur in aëre: vereor ne noſtra periclitetur inſtructio, ni fundari ſinatur. Olim Martialis cecinit.

Aëre nec vacuo pendentia Mauſolëa
Laudibus immodicis Cares in aſtra ferant.

Pendebat ab aëre illa machina; quam Mauſoleo fratri & ſponſo ſuo ſumptu prodigo erexit Regina Artemiſia. ſed quia caducis fundamentis ſubſtructa, corruit. Pendebat ſimiliter ab aëre vacuo Coloſſus, ſed fatiſcente fundamento præcipitatus fuit. Iubeamus igitur,ut pauliſper hæc Sphæra, iſte Globus,hic Circulus ſe dimittat, & terræ adhæreat: [*ſe apoye en la tierra*] ne noſtra vacillet aut periclitetur inſtructio. Ecce terram attingit: contactum nos intentis oculis conſideremus. Porrò Globus inſiſtens plano, Circulus adjacens lineæ, ipſam contingit. Sed quomodo? Deviant Authores,& in oppoſitarum opinionum divortia tracti rem exponunt. Mathematici in puncto indiviſibili,in atomo,fieri hunc contactum aſſerunt: in parte autem proportionali Philoſophi.

Multa nos docet hæc Sphæra, multa Cœlum hoc novum, multa hic Circulus. Habeo ob oculos Religioſos, habeo & Sœculares: utrorumque Inſtitutio ab hujuſce contactûs conſideratione dependet.

Audiunto utrique. Figura perfectiſſima inter ſolidas eſt Sphæra, inter planas eſt Circulus. Et certè omni figurâ caret Deus;eſt enim ſpiritualis & immenſus, & peripheriâ claudi non poteſt. Cæterùm, ſi per impoſſibile, aliquam deberet admittere, Sphæricâ definiretur. Immò,quam realiter neſcit, virtualiter & moraliter obtinet: unde Mercurius (qui, fuit enim maximus Philoſophus,maximus Sacerdos,& maximus Monarcha ΤΡΙΣΜΕΓΙΣΤΟΣ, *ter maximus* vocari ſolet) Deum eſſe aſſerit *Sphæram quamdam intelligibilem*, *cujus centrum ubique eſt,& nullibi circumferentia.* Anima in nobis, licèt immaterialis, per corporis materiam diffunditur: & à loco, à quo illud circumſcribitur,definitur. Sed ſeparata à corpore quam figuram affectat? Opinione multorum, niſi fortè impediatur per accidens,per Sphæricum ſpatium tenditur. Huc ſpectat Apocalypſis illa, quam in S. Benedicti vitâ legimus. videlicet. *Pater ſanctus, dum intentam oculorum aciem in ſplendore coruſcæ lucis habere videretur,vidit Germani, Capuani Epiſcopi, animam in Sphærâ igneâ ab Angelis in Cælum deferri.* Vt ſe habeant Phyſica,Anima, quæ perfecta, moraliter erit Sphærica: quod breviſſimè oſtendo. In Circulo omnes lineæ à centro ad circumferentiam ſunt æquales: & quia in Homine centrum eſt cor, lineæ quæ inde profluunt, cogitationes & operationes; ſi iſte perfectus ſit, illæ fuerint æquales: nimirum, Divinæ legi æquales, & uniformes inter ſe. Quandiu cogitationes noſtræ Sanctiones Divinas exæquant, ſanctiſſimè & puriſſimè vivimus: culpa enim omnis(gravis, levis) conſiſtit in exceſſu aut defectu. Vnde Poëta vetus,quem in Iuriſprudentiæ Scientiâ. princip. 2. citat Antonius Faber, cecinit, Virum perfectum eſſe,

——————Iuſto trutina,qui examine penſat,
Nequid hiet,nequid protuberet,angulus æquis
Partibus ut coëat, nihil ut deliret amuſſis.

Et quidem in Circulo, quem binæ diametri in quatuor angulos rectos diſpeſcunt, nihil hiat, nihil protuberat, & omnes quatuor anguli æqui ſunt, & omnes in idem punctum coëunt,quin amuſſis vel minimam exorbitantiam oſtendat. Ergo breviùs & clariùs eum Virum perfectum eſſe diceret,

———Qui in moribus eſſet Circulus.

Quam ob rem Iuſtinianus, *Angulus æquis Partibus ut coëat,* ſine æqualitate vitæ Iuſtitiam intelligere noluit.Illo aſſerente Iuſtus à Iuſtitiâ denominatur: & hæc eſt *conſtans & perpetua voluntas*: &c. ut ſcias illos qui ſibi non conſtant, ſed fluctuante voluntate ſunt præditi, *Iuſtos* dici non poſſe. Vnde magnæ Sanctitatis argumentum eſt piæ vitæ uniformitas, nam fluunt & refluunt devotiones novitiæ; conſtant verò, ubi venerint ad ſtatum perfectum. Conſidera D.Bernardum, de quo Ciſtertienſes Chori intonant. *Prima virtus Viri ſancti, corporis compoſitio*, &c. *ſemper eodem modo ſe habentis.*&c.Conſidera D.Tereſiam,quæ uniformem vitæ ſemper obſervabat rigorem, & uniformem vivendi normam ſuis Religioſis præſcripſit.

Adiunto Regulares. Circuli & lineæ,Globi & plani contactum contemplantor: nam vos concernit Geometrarum Opinio,quę ſtatue-

Digitized by Google

tuebat hunc non niſi in indiviſibili puncto cōtactum fieri. Homo quidem, licèt ſanctiſſimus, dum in terrâ eſt, terræ adhærere debet, nec poteſt omninò diſſolvi. Terra eſt; & quia ex terrâ cónditus, in terram ibit. Carne & corpore conſtat: patitur famem, ſitim: elementorum inclementiæ ſubſiſtit. Indiget alimento, ut vitam protrahat; indumento, ut nuditatem tegat. Caret lege neceſſitas; homo igitur, quia materialis eſt, rerum materialium ſuccurſu non poteſt omninò deſtitui. at quia Globus eſt, ſtare poterit ſi terrena contingat, ſi à terrenis contingatur in indiviſibili puncto: ſi præcisè neceſſaria recipiat, & cætera reputet eſſe ſuperflua. *Habentes victum & amictum, his contenti ſitis*, inquit Chriſtus: nam quando Religioſus habet bucellam panis, qui in communitate præbetur, tametſi à Gabaonitis pinſi: & pauperem habitum, qui in vitâ nuditatem tegat, & in morte ſerviat pro libitina, nullâ re caret neceſſariâ; ſiquid aliud ſe attinere præſumit, [*ſi pienſa que le toca otra coſa*,] eſt imperfectus; Globus enim, qui in parte aliquâ determinatâ planum tangit, non eſt perfectè ſphæricus, [*eſtá abollado.*] Hæc eſt vita Evangelica, quam docet Chriſtus: quam egit Tereſia, dum viveret, ait enim Pontifex. *Paupertatem adeò dilexit, ut non ſolùm labore manuum ſuarum ſibi victum compararet: ſed ſi quam Monialem vilioribus indutam veſtibus conſpexiſſet, illicò ſua cum illius commutaret: ac ſi quando neceſſaria deficerent, mirificè lætaretur & exultaret, gratiaſque Deo ageret, tanquam inſigne aliquod conſequuta beneficium.* Vnde Pater Magiſter Chriſtophorus Columbus, Generalis Ordinis Viſitator, aſſerebat interdum, ſe nullam puram creaturam vidiſſe, quæ ita res terrenas contemneret: hæc eſt, quam ſectantur hodie Carmelitæ Excalceati; quam debent obſervare cæteri Religioſi, qui ſanctè converſari deſiderant.

Audiunto Sœculares, Paterfamilias extremam hanc, quam profitentur Regulares, paupertatem obſervare non debet, immò nec poteſt. Plutarchus de amore parentum erga liberos. *Cùm paupertatem malorum extremum cenſeamus, hanc non aliter ac gravem & difficilem morbum liberis tradere formidamus.* Ergo debet procurare divitias: ſed intra terminos providentiæ & prudentiæ. Ergo vos etiam Sœculares, globi hujus contactum contemplaminor, nam & vos inſtruit hæc Sphæra. Contingit illa planum (terram) ſed quomodo? Altera nos juvat ſententia, quæ jubet contactum illum fieri in parte aliquâ proportionali. Multum dicunt Philoſophi, cùm proportionem ſtatuunt: nam Modeſtiam, ſummè neceſſariam virtutem, fundat & ſuccollat proportio: multa enim ab uno exeſſe jubebit Modeſtia, quæ in alio neceſſariò requirit. Opes, divitiæ, gazæ, aulæa, ſupellectilia; rhedæ, equi, famuli, mancipia, &c. ſecundum ſe conſiderata ſunt res indifferentes: bona eſſe poſſunt, ſi Prudentia proportionem præſcribat: & erunt mala ſi à debitâ proportione deficiant. Multa in palatio Principis ſunt neceſſaria, quæ in causâ pauperis eſſent ſuperflua: & redibit ad Mundum Aurea ætas, ſi Regulæ Aureæ (hæc proportiones diſcutit) vitæ Politicę externus apparatus ſubjaceat. Quam ob rem, ſicubi mechanicus cum cive, pauper cum divite, vilis cum nobili, nobilis cum Principe, Princeps cum Rege velit in expenſis & ornatu competere, [*deſconcertado anda el Relox Politico.*] deformata eſt Reſpublica, non eſt Globus, non eſt Sphæra, non eſt Cœlum; reformari aut perire debebit. Cadaver eſt, & niſi novâ ſuperveniente vitâ ſtet, ſuâ mole corruet, & multos propriâ ruinâ ſepeliet.

Hæc ultima verba me Tereſiæ reſtituunt. Globus ipſa, ſed animatus, immò etiam animoſus fuit. Et hîc diſcrimen ultimum, quod inter Cœlum, antiquum novumque, reperitur, obſervo. Quoniam in mundo veteri Aplanes, Orbes Ætherei, Planetæ, Sydera, Satellites, &c. ſunt Globi inanimes: & hoc in Peripatu ita obtinuit, ut muſca Sole ipſo nobilior & perfectior dicatur: & meritò: nam illa movetur ab intrinſeco, & vitam poſſidet: at Sol, quia inanimus eſt, movetur ab extrinſeco (ab Intelligentiâ, ſeu Angelo) &, ſi externo promotore careret, quieſceret, & maneret immotus. Vnde quando jubente Ioſue ſtetit; non fuit violentiam paſſus, ſed ceſſante Intelligentiâ provectrice naturaliter hæſit: nam miraculum debet opportunè explicari: Angelum enim voci hominis obtemperaſſe, prodigium fuit: at verò Solem angelitùs negato impulſu hæſiſſe, tam naturale & neceſſarium fuit, ut ſine novo miraculo non hærere non poſſet.

Ecce Sol, Luna, Planetæ, Stellæ, & omnes antiqui mundi globi, ſunt mortua corpora: at

in mundo novo omnia ſunt viva: nam vivit terra hæc nova (Tereſia) & Cœli novi (Carmelitani) vivunt. Virgilius,

Spiritus intus alit, totoſque infuſa per artus
Mens agitat molẽ, & magno ſe corpore miſcet.

Et cur numeris Ethnicis utar, quando innumera ſuccurrunt in Sacrâ Scripturâ teſtimonia, quæ noſtram Reſolutionem fulciant. Profectò novos Cœlos, novos Globos, novas Sphæras, quas ob oculos poſui, deſcripſerat Ezechiel, & ornaverat oculis in circuitu. Sanè Cœlum antiquum etiam eſt oculoſum, tot enim habet Firmamentum oculos, quot ſtellas; & tot Cœlum novum (Tereſia) habet ſtellas ſeu virtutes, quot oculos ſeu advertentias. Mundi veteris oculi (Stellæ) à nobis videntur, nos non vident: huc enim referri poteſt illud Pſalmi, *Oculos habent & non videbunt*: at mundi novi (Tereſiæ) oculi (circumſpectio, providentia, vigilantia, cura) univerſa conſpiciunt; quia, ut habet Ezechiel, *Spiritus vitæ erat in rotâ*. Porrò vita in operatione conſiſtit (ipſa eſt motus ab intrinſeco exſiliens) & quia Tereſia fuit Firmamentum vivum, ſemper fuit operata, & vitæ exemplo quî debeamus operari, nos inſtruit. Multas illuſtres & heroicas virtutes illa exercuit: alias celebrent alii: me juvat unica; quam ſi adſequamur mente & animo, erimus perfectiſſimi.

Audivi hac nocte, in ſecundo nocturno. In Breviario Monaſt. lect. VII. *Eo* (D. N. Ieſu-Chriſto) *conſiliante maximè arduum votum emiſit, efficiendi ſemper quidquid perfectius eſſe intelligeret.* Magnam reſolutionem! an temerariam dixero? minimè: fuit Tereſia prudentiſſima virgo. Si objicias, vel prudentiſſimam, fœminam eſſe, & fœminas ſæpe videri nimias; non te morabor; nam magno proceſſit conſilio. Si conſuluiſſet illa homines, diſſuaſiſſent omninò: at conſuluit Dominum, qui non conſilium ſolum fuit, ſed etiam auxilium largitus, unde hoc votum tam perfectè adimplevit, ut ſcripſerit P. Iulianus d'Avila. *In tutto il tempo, che con lei trattai, che ſeranno vent'anni, non conobbe mai, che faceſſe penſatamente vn peccato veniale. E sò da lei, che non l'hauerebbe fatto, quando bene haueſſe douuto guadagnare quant'è nel mondo.* Ergo Tereſia prudentiſſimè vovit, & votum ſervavit perfectiſſimè. Sed quomodo, quæſo, obſervavit? Vnitivâ contemplatione, quâ ſe anima Creatori unit, & Deiformis redditur, actio perfectior nulla. Ergo ſemper Deum Tereſia cõtemplabatur genuflexa. Non ergo gubernavit ſuas ſubditas: nullò iteregit: non habuit lites, non porrexit libellos ſupplices, non ſolicitavit negotia Ordinis apud Principes, non ſcripſit epiſtolas, non libros; non ſe diſtraxit & ad inferiora dimiſit. Sed hæc omnia, quæ minùs ſunt perfecta, illa fecit, & tamen voverat facere perfectiora; & nihilominùs arduo illi voto ſatisfecit; ergo latet aliquid, quod proderit bene intelligere. Attendite.

Perfectio duplex eſt; materialis, formalis. Illa objectum reſpicit, hæc præceptum. Materialiter perfectiora dicuntur, quę ſecundum ſuam ſpeciem nobiliora; perfectiora formaliter, quæ Deo gratiora: & nihil gratum Deo in quod inobedientiæ circumſtantia ſe inſinuat. Sacrificia ad Religionem (ſumma eſt virtus) ſpectant: Humilitatem (virtus moralis eſt) Obedientia concernit: ſed hanc præcipit Deus, & ait, *Melior eſt Obedientia, quàm victima.* Vnde vel nobiliſſimæ virtutis exercitio Obedientia eſt Deo gratior, adeòq; formaliter loquendo perfectior. Eſto igitur Contemplatio unitiva materialiter loquẽdo virtutibus univerſis nobilior, Fidei enim & Charitatis actus eſt, ad quam Spes affectuosè concurrit. Sed non ideò debuit ſemper Tereſia contemplari, ut ſatis voto faceret: nam mutabantur circumſtantiæ, & alia ſuccedebant præcepta. Iuſſa nova monaſteria fundare, itinera moleſta aggredi debuit: Principes alloqui: ſupplices libellos interponere, & per viros pios Ordinis negotia promovere. His debuit ſcribere literas, nec enim aliter abſentibus loqui ſolemus. Scripſit juſſa libros, qui Carmelum illuſtrant, & poſteritatem inſtituunt. De illis hæc eſt Apoſtolicæ Sedis Cenſura. *Adimplevit eam Spiritus intelligentiæ, ut non ſolùm bonorum operum in Eccleſiâ exempla relinqueret, ſed & illam Cæleſtis Sapientiæ imbribus irrigaret, editis de Myſticâ Theologiâ aliiſq; multâ pietate refertis libellis, ex quibus fidelium mentes uberrimos fructus percipiunt, & ad ſuperna Patriæ deſiderium maximè excitantur.* Inter quos ille unicus, quem juſſa combuſit, diſertiſſimus eſt: nam in flammis plus docet, quàm ſi fuiſſet cum inobedientiâ ſervatus; videmus enim & admiramur ſummam hujus virginis reſignationem; &, ſi libri ſunt intellectûs liberi, in hac generosâ obe-

obedientiâ Abrahamo ſimilis Tereſia fuit. Gregorius, *Volumen, quod in Canticâ Canticorum inſigni pietate refertum ſcripſerat, ut Confeſſario obtemperaret, flammis injecit: dicere enim ſolebat, ſe in diſcernendis viſionibus ac revelationibus* [quibus illa Commentaria exornaverat] *decipi poſſe, in Obedientiâ verò Superiori præſtandâ falli non poſſe.* Sæpe ipſa, ut P. Iulianus d'Avila literis conſignavit, à contemplatione illâ altiſſimâ, cui inſiſtebat aſſiduè, interdum ſe diſtrahebat liberè, & domeſtica negotia tractabat, & tunc temporis loci & præcepti conſideratis circumſtantiis Martha optimam partem eligebat, tanto enim fervore in oratione Maria æſtuabat, ut ne in deliquium caderet aut fortè moreretur, ut ſe diſtraheret, Confeſſarii aliquando præceperint. Et ſanè prudentiſſimè, nam deficiente hoc præcepto ſe tandem ita Deo Tereſia immerſit, ut in actu ferventis Charitatis obierit: quod atteſtatur Pontifex his verbis. *Poſt mortem cuidam Moniali per viſum manifeſtavit, ſe non vi morbi, ſed ex intolerabili Divini amoris incendio, vitâ exceſſiſſe.*

Ergo, pientiſſimi Auditores, dediſcamus hodie nebulam, quæ doctrina videtur, & animas multas in viâ perfectionis retardat. Semper perfectiſſimè operata eſt Tereſia, & nos exemplo monet, ut cooperetur perfectiſſimè. Multa bona fiunt malè, & multa perfecta imperfectè: imò & contrà minùs perfecta poſſunt & ſolent perfectiſſimè fieri. Laborare ex obedientiâ in horto, quàm contra obedientiam contemplari perfectius formaliter eſt. Ergo, ſi magis obligatoria ſemper facitis, perfectiſſimi eſtis, & imitamini Tereſiam perfectiſſimè. Hoc multi non intelligunt: &, quia Milites & Politici laborant præjudiciis interdum, hi hodie à nobis ex Tereſiâ, à Tereſiâ per nos ſunt inſtituendi.

Video milites aliquos, qui videntur prudentes, & loca altiora in exercitu occupant, & tamen compunctis ſimiles, roſarium extrahũt, inclinant caput, obtorquent collum, oculos crucifigunt, & clamant, *O ſi, quot Regi annos ſervivimus, Deo ſerviſſemus, frueremur tranquilliore conſcientiâ.* Tacete, quæſo. Sunt hallucinationes & tenebræ, quas profertis, non voces, non dictiones, non verba. Laboratis præjudicio peſtifero, & acri medicinâ indigetis. Sanè ſervire Regi, eſt Deo ſervire: nam Regi, nativitatis multi jure, cœteri jurejurando obedire tenentur. Rex contra legem Divinam nihil imperat, & quandiu pro aris Rex Catholicus militat, ex Religione illi obedire debetis. Chriſtiani olim milites ſub Ethnicis Imperatoribus merentes, juſſi pro ſalute Reipublicæ ſigna conſerere, dimicabant ſtrenuè; juſſi pro Diis, hærebant, & ab omnibus ſemper laudantur. Hodie nemo pro Diis arma ſumere jubet: Deum unicum colimus univerſi, tam qui imperant, quàm qui obediunt; omnes ſumus Chriſtiani, omnes Catholici. Ergo, quia nihil imperatur legi Divinæ diſſonum, qui ex Deo eſt, obedire tenetur.

Vel dicito. Cenſebis-ne meliora facere militem, qui excubare juſſus in propugnaculo, ſumit roſarium, & ut ad templum vadat & ſacris myſteriis interſit locum deſerit, & arcem periculo exponit? Non rem meliorem iſte miles, non bonam, ſed malam perpetrat: inobediens eſt, puniri debet. Cenſebis-ne meliora facere Imperatorem, ſi in conflictu, quando agitur de ſummâ rerum: quando indiget millenis oculis, ut motibus hoſtium occurrat, & impetus generosè retundat, nolit eſſe plenus oculis in circuitu, ſed genuflectat potiùs, & recitet pſalmos pœnitentiales? Rem profectò iſte bonam male faceret: ſuos exponeret gladio, & Rempublicam perderet. Volo hîc in aciem producere Moyſem & Ioſuem, & expeditionem illam primam conſiderare. Moyſes erat Propheta, Ioſue Imperator. Illîus erat pugnare, hujus orare. Sed quomodo pugnavit Moyſes? quomodo oravit Ioſue? Pugnavit ille lachrymis, precibus, orationibus: oravit autem iſte jaculis, telis, haſtis, gladiis.

Sed cur decrepitas hiſtorias recenſeo, quando recentes ſuppetunt, quæ audivimus, aut etiam vidimus; quarum effectus & triumphos glorioſos etiam hodie ſentimus. Porrò anno Domini M.DC.XIX. Matthias, Romanorum Imperator devixit: Bohemi tumultuant priùs, poſteà apertè rebellant. negant fidem Ferdinando II. & Fridericum, Comitem Palatinum coronant. Addunt animos & vires hæreſi, & in Religionem Orthodoxam conſpirant. Si Comes retineat Regiam cydarim, lauream Cæſaream indepturum affirmant. Et bone Deus, quid Eccleſia, quid Germania, quid tota Europa inciperet ſub Imperatore Calviniſtâ? Erant in arcto ſingula, felicitas publica

Digitized by Google

in arduo; ſumuntur arma in ſpe contra ſpem: & cauſæ juſtitiæ veriùs, quàm confidentes viribus, Catholici in aciem feſtinant. Erant hi pauci & ægri, & tamen contra ſuperbos, arrogantes, & plurimos. Hujus expeditionis P.Dominicus de Ieſu-Mariâ, Propheta fuit, Moyſes fuit: Generaliſſimus, Maximilianus Dux Bavariæ. Sabbato (pridie decretorium conflictum) toto mane lectæ ſunt miſſæ, & habitæ conciones in caſtris: poſt meridiem iterum iterumque litaniæ concinuntur, publicè recitatur Roſarium, & triumphans imploratur Eccleſia, ut militanti aſſiſtat. Illuxit dies Dominica: ne periculo exponerentur Divina myſteria, res ſacra celebrari non potuit: & quidem omnia bene fiunt, quando aliter fieri non poſſunt. Dominicus magno ſpiritu, ſummâ dictionis vi concionem ad exercitum habuit. Illud Pſalmi 149. b. 6. *Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladii ancipites in manibus eorum*, opportunè dilucidat, & tandem concludit his verbis. *Heri fortiſſimi commilitones (nam & ego ſum miles, & vobiſcum ſub labaro Catholico mereo) contra rebelles, ſchiſmaticas, hæreticas & excommunicatas copias totâ die confliximus & pugnavimus lachrymis & roſariis. Hæc eſt dies, quam fecit Dominus, feſtiva & ſacra. Deo tota debetur. Sic tempus, ſic locus, ſic publica neceſſitas poſtulat, quæ modum orationis præſcribit. Orandum igitur etiamnum eſt, ſed bombardis, haſtis gladiiſque. Beati erunt hodie, qui pro Domino occident: ſed generoſiùs & utiliùs orabunt, qui Crucis inimicos occident.* Dixit, & conferuntur ſigna, & poſt publici agonis horas tres, ſtetit victoria à Catholicis, fuit proſtrata hæreſis, & Orthodoxa exaltata Religio. Volui hanc hiſtoriam recenſere, quia hæc victoria, quanta fuit, & triumphi poſt illam producti, Carmelo Excalceato debentur. Noſter exercitus erat impar tantæ reſolutioni. Statuerant militiæ Catholicæ Principes non producere in campum aciem, ſed cunctando lapſam reſtituere Rempublicam. At Dominicus in ſpiritu Eliæ, Dei Sabaoth nomine conflictum generalem indicit, pollicetur victoriam, & animos militares accendit: adeſt pugnantibus, & cum victrice Reginæ Angelorum Imagine in urbem victam triumphum init. [*Vide Caramuelis Dominicum*. num. 691.]

Sufficiant hæc, ut noſcant milites ſe poſſe eſſe ſanctiſſimos, ſi prout tempora ferant, & neceſſitas poſtulet, pugnent roſario, aut orent gladio, parati ad omnia quæ loci & temporis circumſtantiæ præſcribant.

Hinc Politici diſcant adſpirare ad meliora: & tamen ſupponant nihil ſe poſſe melius, aut Deo gratius facere, quàm proprii officii & muneris obligationibus correſpondere. Fruſtrà inculcet nonnullus.

O mihi tranſactos referat ſi Iuppiter annos! Fruſtrà exclamet, *Si tempus illud, quod proceſſus legendo, textus recognoſcendo, teſtimonia & authoritates ponderando, impendi; illud, illud in Dei ſervitio impendiſſem.* Taceto: ne progreditor: quoniam in præceps ruit hæc exclamatio: tempore enim, quo Advocati, quo Iudices, &c. momenta cauſarum diſcutiunt, & inſtrumenta legunt, teſtes examinant, & eorumdem conferunt & perpendunt aſſerta, ſerviunt Deo: &, ſi his intermiſſis negotiis, ad quæ tenentur ex juſtitiâ, Divinis Officiis intereſſent, peccarent, & ſtipendia Regi reſtituere, & clientibus damna emergentia recompenſare tenerentur. Vel dicito. Eſt-ne ad gloriam Dei, quod ubi una antecamera eſt hominibus plena, quorum ſinguli unicum agunt negotium, egrediatur famulus, qui ſine ſolamine univerſos dimittat, negetque audientiam, quod Dominus Senator audire in tali templo debeat Muſicam, aut concionem in tali? Clientum lachrymæ & preces, quando legibus publicis conſonant, reddunt harmoniam optimam; nec erit utilis concio, ſi audiatur cum Iuſtitiæ diſpendio. Quid enim dicet Concionator, ſi Evangelicus ſit? *Rectè judicate filii hominum.* jubebit ergo, ut Iudices relinquant Deum pro Deo; & horas publicis aſſignatas negotiis non acenſeant devotioni privatæ. Progredior. Vniverſos alloquor, & univerſos audire amo, in re quæ ſcandalizat univerſos. Dicunto. Conducit-ne ad gloriam & ſervitium Dei, tot in Cæſarum & Regum Vrbibus (nullam nomino: & utinam, quæ hac indigeat doctrinâ, ſit hodie in mundo nulla.) Eſt-ne, inquam, ad ſervitium Dei tot Epiſcopos huc illuc fluxu & refluxu Oceani Politici propelli, ad tot damnari ſumptus, & tot incommoditatibus divexari? Pedites hi inter lutum, ſordibus pedibus equinis excuſſis inquinantur: illi condu-

du-

Digitized by Google

ductitiâ lecticâ ex Caiphæ ædibus tranſportantur ad Herodis palatia. Illi amicis moleſti rhedam impetrant, aut tandem aliunde pretio redimunt, ut ſua poſſint promovere negotia. Reſidentia eſt de Iure Divino. Hoc verti in dubium nullus patiar. Et quidem, ſi ſuos ſubditos propriâ malitiâ deficit, peccat Epiſcopus: cæterum, ſi abeſſe cogitur, vel Procuratoris ignaviâ, vel Advocati negligentiâ, vel partis adverſæ proterviâ, vel oſcitantiâ Iudicum; culpa in cauſam exonerat, & ſcandali publici Authores in tribunali altiori reſpondebunt Numini, minas has fulminanti, nimirùm, *Cùm accepero tempus, Ego Iuſtitias judicabo.* Injuſtitiæ jam judicatæ ſunt; at manent adhuc judicandæ Iuſtitiæ, nimium enim jus, nimia injuria: & quæ in Epiſcopos in multis Regiis fiunt. ſunt hodie nimia; & licèt Iuſtitiæ nomine colorentur, ſunt graviſſimæ injuriæ: Progrediamur: dicunto, Conducit-ne ad gloriam Dei, quem præceptis ſalutaribus moniti & Divinâ inſtitutione formati audemus dicere, *Patrem noſtrum*, ut æternæ ſint lites, finem ignorent cauſæ, nemo Debitor ſolvat, ſi nolit; nemo Creditor reddatur indemnis, ni decuplum prodigat: ut tot orphani lugeant; ut tot viduæ jejunent; &, ſi jejunare nolint (quod ſæpe contingit, ut audio) pudicitiæ jacturâ panem habeant? An-ne Conſtantinopoli perpetrant Agareni, quæ in noſtrâ Europâ multi Principum Chriſtianorum Miniſtri? Rem non capio: non intelligo. Et verè (ferè in juramentum prorumperem: ſed animo ſedatiore concludamus.) Et verè, inquam, ſenex jam ſum: præcipuas Europæ Regias frequentavi, & tamen ita captum meum nonnulla ſuperant, quæ in tribunalibus (Civilibus & Criminalibus) propriis oculis vidi, ut antequam mihi perſuadeam eſſe bona, me deberet Deus creare iterum, & alium intellectum indere; repugnat enim, ut ſi utar hoc quem habeo, legitima eſſe judicem, quæ ſunt legibus manifeſtè contraria.

Indefinitè ſum loquutus, & jam ſcimus indefinitas poſitiones in accidentariâ materiâ non poſſe ſumi univerſaliter. Multos hîc, multos in aliis Civitatibus Miniſtros habet Rex, in quos Invidia obmutire non audet: viros ſanè integerrimos, qui poſtquam annis multis fideliſſimè ſerviverunt Reipublicæ, ſunt valde pauperes. Nam paupertas eſt lapis ille Lydius, ad quem integritatis gradus examinantur. Viros profectò pios, & doctos; qui, quia docti, falli in apicibus Iuris non poſſunt; & quia pii, nolunt: quorum meritis præmia condigna dabit in Cœlo Deus, nam Rex, tametſi potentiſſimus, non eſt ſatisfaciendo tantis Viris. Hos Orbi Politico conceſſit Deus, *nam dat nivem ſicut lanam, & nebulam ſicut cinerem ſpargit*. Conceſſit, inquam, ut integritate ſuâ confundant cæteros, & ſint Clientibus univerſis ſolamini. Poſſem plurimos etiamnum vivos, & nunc præſentes in exemplum proponere, ſed quia neminem ante funera Prudentia laudat, D. Corſelii meminero, qui jam in Empyreo (ſic ſpero) eſt extra Fortunæ & humanarum opinationum aleam. Senator fuit in Sacro Conſilio apud Belgas: *integer vitæ, ſceleriſq; purus*; ſincerus, vigilans, & omni hominum ſtatui & conditioni charus. In morbum íncidit: poſt paucos dies deſeritur à Medicis; [*fuè deſanciado*.] Vt mortis audivit ſententiam, non turbatur: quoniam Viri prudentes ſe morituros non ignorant. Statim Patrem Spiritualem advocat: nempe P. Ioannem de Sanctâ Mariâ, Carmelitanum excalceatum, quem ſeveritas vitæ, & doctrinæ eminentia celebrem reddiderunt. Inter pias lachrymas ἐξομολόγησιν generalem inſtituit, & citò abſolvit: viri enim docti non onerant Confeſſarios importunis hiſtoriis, ſed rem ſtatim acu tangunt. Viaticum & Extremam unctionem, noſtræ redemptionis myſteria, recipit ſimilis feſtinanti. Et poſteà? Inſtabat mors, & morbus paucarum horarum concedebat inducias: & illæ erant impendendæ prudenter, & in rebus maximè neceſſariis. Sed quo modo illæ impenſæ? Audiunto. Menſam jubet ad lectum trahi: vocari Secretarios: ſe pulvinari acclinat, [*ſe incorpórà ſobre una almobada*:] & omnia negotia, quæ ſibi commiſſa, éxpedit; & deinde Chriſtum ínvocans, Deiparæ & Cœlitum omnium interponens ſuffragia, ad Deum exceſſit, quin in terris relinqueret vel clientem, vel viduam, vel orphanum, qui illum negligentiæ appellaret. Hiſtoria hæc Senatores omnes ædificavit tunc in Belgio, & poterit in toto Orbe Chriſtiano recenſeri ut exemplum. Erat proximus morti Corſelius, poſt paucas horas moriturus, his ipſis paucis illud voluit facere, quod eſſet perfectius & Deo gratius. Et tamen expe-

pe-

Digitized by Google

pedivit cauſas ſibi commiſſas; ad hoc enim ex officio (hoc eſt, ex juſtitiâ) tenebatur. Ergo hallucinantur omninò, qui dum arbitrariæ devotioni impalleſcunt, obligationes negligunt, & muneri ſuo non ſatisfaciunt.

Fui (Chriſtiani Auditores) præter meam intētionem, & veſtram exſpectationem nimis longus. Sum equidem fatigatus & laſſus: nec putem mihi me fuiſſe gravem & moleſtum, qui alios etiam defatigaverim. Parum dicere ſolet, qui multum loquitur: & ego, quia multa ſum, immò etiam nimis multa, loquutus, dixi pauca. Ergo hæc pauca, obſecro, fideli conſerventur memoriâ; & ut faciliùs poſſint, indulgete, ut totam hac Concionem ad ſynopſin reducam, & pauciſſimis verbis reponam.

Ad hoc templum convénimus, non ut admiraremur, ſed ut imitaremur Tereſiam: illam in profundiſſimo orco tenebrarum Principes demirantur [*Dæmones credunt, & contremiſcunt.*] ſed quo illi fructu? Illam ergo imitari debemus. Fuit ipſa Terra nova, Cœlum novum: ergo exuamus veterem hominem cum imperfectionibus ſuis, & novum, qui ſecundum Deum creatus eſt, cum adnexis virtutibus & prærogativis induamus. Qui terrei hucuſque, in Cœleſtes vertamur. Simus circumſpecti, adeòq; pleni oculis in circuitu. Deſpiciamus terrena, & quia illis non poſſumus omninò carere, hæreamus terræ ut Globus plano, ut lineæ Circulus, ſumendo ſcilicet ea præcisè, quæ noſtro ſtatui aut neceſſaria abſolutè, aut ſaltem proportionata judicantur. Fecit Tereſia, quæ gratiora erant Deo: ſi & fecerimus, ad ſummam Sanctitatem veniemus. Et quidem facere ſemper meliora, & Deo gratiora eſt facile. *Vt ſimus ſancti, tranſalpinare neceſſarium non eſt*, ait meus Bernardus. Non eſt Pietas aromatica quædam ſpecies, quæ vel quæritur apud Sinas, aut invenitur apud Iáponas: non illam vendunt Bráſili, aut Chilenſes commutant. Præſtò eſt: in manu enim cujuſcumq; eſt, Deo optimè ſervire, ſi velit. Homines ſumus, & officia & munera nos diſtinguunt in claſſes. Quà homines, Decalogum obſervare debemus: particularia munia addunt obligationes ſpeciales. Devotiones & orationes voluntariæ laudem promerentur in terris, & coronabuntur in gloriâ: modò obligationes non impediant. Optima enim eſt Virtus, quæ Iuſtitiæ & Obligationi ſatisfacit. Vnde ſanctiſſimus erit conjugatus, ſi ſuam familiam circumſpectè gubernet, & neminem ſcādalizet: artifex quicumq; mechanicus, ſi vultûs ſudore, manuum labore, lucretur panem, ut alat uxorem & filios. Erit quicumq; Religioſus ſanctiſſimus, erit & Miles, ſui uterq; ſtatûs obligationes calleat, & compleat. Eſt Eccleſia in periculo, in diſcrimine tota Reſpublica. Ab hoſtibus undiq; invadimur: qui tametſi videantur diſtare, ſunt prope. Pugnare debent pro Eccleſiâ & Patriâ Regulares. Sed quomodo pugnare Religioſi? Cyprianus Epiſt. 57. *Arma illorum ſunt cæleſtia: nimirùm, jejunia, vigiliæ, eleemoſynæ, orationes, gemitus, lachrymæ.* Debent ergo pugnare Religioſi, abſtinentiâ, diſciplinâ, cilicio; Miſſali, Breviario, Roſario. Et quo Milites orare modo? haſtis, gladiis, bombardis. Et tandem erit Princeps ſanctiſſimus, ſi ſit plenus oculis in dorſo ejus. Si antiqua conſideret, nova prævideat; ex prioribus ad poſteriora conſequentias deducat. Si invigilet; ſi virtutibus & vitiis ſtipendia convenientia concedat. Et ſubditus? ſi claudat *oculos*, non examinet leges, cauſas & fines non inquirat; ſed obedientiâ cœcâ, ſubmittat caput, inclinet aurem, & promptè obediat. Quoniam, ſi ſic vixerimus, erimus Tereſiæ, Virgini prudentiſſimæ ſimiles, ejus inſiſtemus veſtigiis, doctrinâ illuſtrabimur: & in hac vitâ illíus virtutum & gratiarum participio gaudebimus; & in alterâ ad ejuſdem perveniemus conſortium, & cum Patre, Filio, & Spirituſancto vivemus in ſœcula ſœculorum. Amen.

NOTA. *Gregorius Magnus, ut à Decimo-quinto diſtinguatur, Primus dicitur. Ceterùm, quando citatur abſolutè Gregorius, eſt Quintus-decimus in Bullâ Canonizationis: cujus etiam illa verba ſunt, quæ ſine Authore allegantur. Eſt omnibus nota illa Bulla, nec debuit majori diſtinctione citari.*

Digitized by Google

Imprimatur.

Chryſoſtomus Accuntius Vicarius Generalis Satrianenſis.

Apud Sanctum Angelum *della Fratta*, Ex Typographia Epiſcopali Satrianenſi. M.DC.LXV.

Digitized by Google

Digitized by Google